

Dictionarium propriorũ nominum virorum, mulierum, populorũ, idolorum, vrbium, fluuiorum, montium, cæterorúmque locorũ quæ passim in libris prophanis legũtur.

Dictionarium nominũ propriorũ quæ in Bibliis scripta sunt, seorsum impressimus.



PARISIIS.
Ex officina Roberti Stephani typographi Regii.
M. D. XLI.

Cum priuilegio Regis.

ROB. STEPHANVS LECTORI S.

DICTIONARIVM propriorum nominum tibi damus, opus planè nouum, nec antea vnquam editum. Nam libellus qui Elucidarius carminum vulgo inscribitur, bonam partẽ propriorũ nominum haudquaquã cõtinet: & quicquid habet, id eiusmodi non est vt cuiusquã studiis magnopere prodesse possit: in quo omnia partim conficta, partim etiã impolita atque indigesta habentur. Nos ab aliis tradita, omnia studiosè collegimus. fabulas ex Seruio, Acrone, cæterísque nobilibus grammaticis depromp simus: clarorũ virorum historiam à præstantissimis quibusque rerum scriptoribus mutuati, quòd commodè facere potuimus, eos suis dictis factísque illustrauimus. Quod autẽ attinet ad locorum rationem, vrbium situm, fluminum magnitudinẽ, omnia tanto studio, curáque persequimur, vt non tam à nobis scripta, quàm ab authoribus ipsis, Plinio, Strabone, Ptolemæo dictata esse videantur,

Dictionarium proprio-
RVM NOMINVM.

A

ABA, oppidum in Arabia fœlici, vt ait Ptolemæus. Est & ciuitas Phocidis, Straboni & Aristoteli. Mons item Armeniæ vnde oritur Euphrates, vt scribit Plinius lib.5.cap.24.

Abacena, ciuitas Medorũ, & item Siciliæ, vt scribit Ptolemæus.

Abæ, Abarum, oppidum Phocidis, Straboni.

Abala, nomen oppidi in Africa, apud Plinium.

Abali, populi Indiæ, de quibus Plinius cap.19.lib.6.

Abalites, est sinus maris Troglodytici, vt refert Plinius cap.29. lib.6.

Abalus, insula est maris Oceani apud Plinium cap.2.lib.36.

Abantes, populi sunt Ionum inter Achiuos, vt scribit Herodotus lib.primo. Alios dixit Orpheus in Argonautica, iuxta Pontũ. Rursus & alios dixit Aristarchus in secundũ Homeri, Eubœæ insulæ.

Abantias Plinio dicta, Straboni Abantis, insula maris mediterranei, quæ alio nomine postea dicta est Eubœa.

Abaortæ, populi sunt ad Indum fluuium, quorum meminit Plinius lib.3.

Abarimon, regio est super Anthropophagos Scythas, in qua syluestres homines degunt auersis post crura plantis, vt scribit Plinius lib.7.cap.2.

Abas, rex duodecimus Argiuorũ, pater Prœti & Acrisii, & auus Persei, à quo postea Argiuorum reges Abantiadæ dicti. Abas item alius fuit Troianus nobilis, & AEneæ comes, cuius meminit Virgilius, AEre cauo clypeum magni gestamen Abantis.

Abases, regio est AEgypti. Abases AEgyptii vocãt regiones inhabitatas, & maximis desertis circundatas, vt scribit Strabo lib.17.

Abastrus, vnus è tribus equis Plutonis, vt scribit Ioannes Bocatius cap.6.lib.8.

Abatos, media curta, insula est AEgypti, in palude Memphitica: sic dicta quòd ad illam difficilis sit accessus. Huius meminit Lucanus lib.10, Hinc Abatos, quam nostra vocat veneranda vetustas.

Abdera, oppidum est Hispaniæ Bœticæ. Est & insula ad Samothracen. Oppidum item Thraciæ, patria Democriti. Authores Plinius & Ptolemæus lib.3.

Abeacus, Siracorum rex, apud Strabonem lib.11.

Abeatæ, populi in Achaia, nõ procul ab Aliphiræis, & Pyrgensibus, vt author eſt Plinius cap.6.lib.4.

Abella, vrbs eſt ſupra Neapolim, vnde Auellanæ nuces, Macrobio, & Virgilio, Et qui maliferæ deſpectant mœnia Abellæ. Vulgo hodie Bella dicitur.

Abellinates ſunt Italiæ populi, ante Protropi appellati, vt ſcribit Plinius. Iidem Auellinates appellantur. Nam inter B & V, magna adfinitas, vt ſcribit Lucianus.

Abellinum, Italiæ oppidum, quod item Auellinũ dicitur, vt ſcribit Plinius cap.4.lib.3. hodie Troia.

Abeſamis, Syriæ oppidum, quondam à Semiramide conditum, vt author eſt Plinius cap.28.lib.6.

Abeſte, oppidum apud Hermandrum fluuium, Plinio authore cap.23.lib.6.

Abii, populi ſunt Scythiæ, quos ait Solinus Polyhiſtor ex Abiano flumine dici iuxta quod habitant: vel nonnullis, quòd ſine vita ſtabili, aut domicilio ſint in curribus degentes. Horũ meminit Homerus. γαλακτοφάγων Ἀβίων τε δικαιοτάτων. Iuſtiſſimos enim vocat, quòd in pace ſine bello degant, vel quòd extemporali victu vtãtur. Pleraque enim Scytharum nomina ex moribus edita commentáque ſunt, vt Galactophagi, Anthropophagi, Abii. author Volaterranus.

Abila, vide ABYLA.

Abiſari, aliàs Biaſari, regio eſt Indiæ, apud Strabonem lib.15.

Abiſontes, populi inter Alpinas gentes, Plinio numerantur, cap.2.lib.3.

Abiſſa & Abiſſama, Arabiæ Fœlicis ciuitas eſt, apud Ptolemæũ.

Ableti, populi ſunt, nõ procul à Pergamo, qui parent Myſiis, vt auhor eſt Strabo lib.13.

Abobrica, Hiſpaniæ inſigne oppidum, Plinio cap.20.lib.4.

Abolani, populi in Latio, Albenſibus proximi, de quibus Plinius lib.3.cap.5.

Aborigines, gens antiquiſſima per Italiã ſparſa, quæ tandem cũ Troianis Romam condidit, vt author eſt Saluſtius.

Aborienſe, ciuium Romanorum in Africa oppidum, vt ſcribit Plinius lib.4.cap.5.

Aborras, fluuius qui Anthemuſiam vrbem præterfluit, nõ procul ab Euphrate in Aſia, vt ſcribit Strabo lib.16.

Abretana, pars Myſiæ.

Abretanus Iupiter, Myſius deus eſt, ſic ab Abretana dictus, Strabone authore.

Abreceni, Plinio dicuntur Myſiæ populi, cap.30.lib.5.

Abrincatui, Galliæ Lugdunenſis populi. Lugdunenſis Gallia, habuit Lexouios, Vellocaſſes, Galletos, Venetos, Abrincatuos, Hæc Plinius cap.18.lib.4.

Abroni mœnia, vrbs Galatiæ Ptolemæo, vulgo Arcani.

Abrodiætus, Vlyſſis nobiliſſimi pictoris cognomen quod Latinè ſignificat delicatum. author Plinius cap.10.lib.35.

Abronus, pictor Samius, de quo Plinius.

Abrotonū, Africæ oppidū, cuius meminerat Plin. & Strab. li.17.

Abſyrtus filius AEtæ regis Colchorū, alio nomine AEgialeus, quem ſoror eius Medea ſequens Iaſonem, lacerauit: vt ſic retardaret patrem volētem eam retrahere à fuga. Huius meminit Cicero lib.3. de natura deorum, Pacuuium poetam citās. Abſyrti fabulam deſcribit Ouidius, 3. Triſtium, Eleg.9.

Abſyrtides, inſulæ iuxta Iſtrorum agrum à Graiis ſic dictæ à fratre Medeæ ibi occiſo nomine Abſyrto, vt ſcribit Plini9 lib.3.ca.26.

Abudiacum, vrbs Vindeliciæ Ptolemæo, vulgo Burclzhanſen.

Abupus, Britāniæ fluuius maximus Ptolemæo, vulgo Humber.

Abula, vrbs Hiſpaniæ Ptolemæo, vulgò Abyla.

Abydus, y longa, vrbs Aſiæ à Mileſiis cōdita ad Helleſpontū ſita, patria Leandri, de qua apud Virgilium lib. primo Georgic. Pontus & Oſtriferi fauces teſtantur Abydi. Eſt item AEgypti oppidum Memnonis regia & Oſiris templo inclytum. Plinius.

Abyla, Africæ mons, vt Calpe Europæ, laborum Herculis metæ: quam ob cauſam indigenæ, Columnas eius dei vocant. Eſt & Syriæ oppidum iuxta quod ſitæ ſunt Arca, Ampeloeſſa, Gabe. vtriuſque author Plinius cap.1.lb.3. Hodie Aceuta dicitur.

A C

ACA, ciuitas Phœnicum, quæ poſtea Ptolemais dicta eſt Strabone authore, Plinio autem dicitur Ace, quæ quondam colonia fuit Claudii Cæſaris.

Acabene, mons eſt in finibus AEgypti, apud Ptolemæum.

Acabis, villa in Cyrenaica regione Ptolemæo.

Acaceſium, vrbs Arcadiæ, ſic dicta ab Acaco Lycaonis filio. Volaterranus.

Academia fuit locus nemoroſus diſtans ab Athenis mille paſſibus, & ab Academo quondam herôe denominatus. In hoc loco fuit villa vbi Plato natus, & philoſophatus eſt: vnde Academici philoſophi dicti ſunt, qui Platonem ſequebantur. Erant etiam noui Academici qui nihil affirmabāt, & nihil ſciri poſſe aſſerebant. Item Academia fuit villa Ciceronis iuxta Puteolos, vt Cicero ipſe ſcribit,

lacu profluit amnis Acheron, qui in Ambracium sinum defertur.

Acadra, oppidum in Arabia Fœlici, apud Ptolemæum.

Acallis, Acallidis, Minois fuit filia, quæ genuit Oaxem. Stephanus de vrbibus, Oaxus (inquit) oppidum Cretæ est ab Oaxe filio Acallidis, quæ fuit Minois filia.

Acamarchis, nympha Oceani filia, cuius meminit Diodorus li. 6

Acamas, vnus fuit teste Homero Iliad. 2, è Thracũ principibus, qui in auxilium Troianorũ venerũt. Fuit & alius eiusdẽ nominis filius Antenoris, qui tẽpore belli Troiani cælebs erat, & diis similis habebatur. Est præterea Acamas mõtis nomẽ in Cypro, vnde Cyprus antea Acamantis vocitata est, vt author est Strabo lib. 14.

Acanthus, puer fuit regius conuersus in florem sui nominis, de quo sensisse videtur Virgilius lib. AEneid. primo, Et circuntextũ croceo velamen Acantho. Est item ciuitas AEgypti prope Memphim. Præterea etiam Macedoniæ & AEtoliæ. Plinius ca. 10. lib. 4.

Acarnania est regio, & pars Epiri, quã Achelous amnis ab AEtolia separat, mersa medio sinu Ambracio, vt scribit Plinius lib. 4. cap. 1.

Acastus fuit Peliæ Thessalorum regis filius, venator sagittis clarus, cuius meminit Ouidius lib. 8. Metam.

Acca Laurentia Faustuli vxor, quæ Romulum & Remum lactauit. author Seruius.

Accaron vrbs est Iudææ Palæsthinæ, Pomponio.

Acci, vrbs Hispaniæ Ptolemæo, Acti olim dicta, hodie Guadix.

Accusiorum colonia, Ptolemæo, vrbs Allobrogũ in Gallia, hodie Gratianopolis, vulgò Grenoble.

Acelum oppidum Galliæ Cisalpinæ, Plinio.

Acerræ, ciuitas Italiæ antiquissima, cuius meminit Horatius. Acerrani, incolæ Acerrarum.

Acesias, fuit imperitus medicus, qui dum cuidã podagrico mederi vellet, morbum & dolorem auxit. Vnde natum adagium, Acesias medicatus est. Vide Erasmum in chiliadibus.

Acesta: Siciliæ vrbs, ab Aceste dicta, teste Virgilio lib. AEneid. 5. Vrbem appellabunt permisso nomine Acestam.

Acestes filius fuit Crinisi fluminis ex Egesta Troiana, vt lib. 5. AEneid. testatur Virgilius. -occurrit Acestes
Horridus in iaculis, & pelle Libystidis vrsæ:
Troia conceptum Criniso flumine mater
Quem genuit, veterum non immemor ille parentum.
Hic iam senex, primo Anchisen, & AEneam Italiam petentes suscepit hospitio, & mortuũ Anchisen vnà cũ AEnea in Eryce mon-

te Siciliæ sepeliuit. Demum iterum à Carthagine descendēten AEneam, quò illum venti impulerant suscepit. vbi AEneas condita inualidis sociis ciuitate, eam vocauit Acestam. De qua Virgilius, Vrbem appellabunt permisso nomine Acestam.

Achæmenes, penult. breuiata, fuit primus rex Persarum, à quo postea reges omnes descenderunt vsque ad Darium, & vocati sunt Achæmenidæ.

Achæmenia pars Persidis, ab Achæmene AEgæi filio, author Stephanus. Et Achæmenius, id est Persicus, vel Parthicus, author Lucanus, Passus Achæmeniis longè decurrere campis.

Achæus, vel Achiuus, id est aliquis de Achaia, vel Græcus. Achæi enim & Hellenes & Myrmidones iidem dicuntur Homero, vt scribit Plinius. Fuit itē Achæus, Eretrius poeta tragicus, paulò iunior Sophocle. tragœdias XLIIII docuit, vicit autē vna. Fuit & alter iunior item tragicus, qui & vnā ipse reliquit, author Suidas.

Achaia ampla regio Græciæ, & pene insula. Nā AEgæo, & Ionio mari cingitur præter exiguam partē, vbi sita Corinthus vrbs olim ditissima. eadem est dicta Peloponnesus, nunc vulgo Morea vocatur. vide Plinium & Strabonem lib. 8.

Achates, fluuius Siciliæ, & gemma apud eum fluuium reperta. Est item proprium comitis AEneæ, qui teste Seruio, à solicitudine dictus est. Diximus (inquit) quæri, cur Achates AEneæ sit comes: melius tamen hoc fingitur, vt tractum nomen sit à Græca etymologia. ἄχος enim dicitur solicitudo, quæ regum semper est comes. Hæc ille, illud Virgilii enarrans, lib. AEnei. 1,
-ipse vno graditur comitatus Achate.

Achedôrus fluuius Macedoniæ, qui Apolloniam à Thessalonica diuidit authore Volaterrano.

Achelous, Epiri fluuius, qui Acarnaniam ab AEtolis diuidit: Thoas prius vocatus à celeritate: nomen sub Acheloo rege mutauit, qui cum Alcmeone è Thessalia profectus, apud eum consedit. Acheloi autem ipsius AEtoliæ, siue Epiri fluminis fabulam Diodorus lib. 5. refert.

Acheron, dicitur à poetis fluuius inferorum. Seruius autem apud Virgilium lib. AEneid. sexto, scribit locum esse in Campania montibus septū, non procul à Baiis, vbi necromantia exercebatur. Est item Acheron fluuius Epiri & etiam Lucaniæ, teste Plinio.

Acherontini, populi, sic ab Acheronte fluuio dicti, qui est in peninsula Brutiorum, vt refert Plinius cap. 5. lib. 3.

Acherusia palus est inter Capuam & Auersam iuxta Cumas, oriens ex Acheronte. Est item lacus Thesprotiæ, in Epiro, ex quo

lacu profluit amnis Acheron,qui in Ambracium sinum defertur.authores Pomponius & Strabo lib.5.

Achilles vel Achilleùs, Græcorum fortissimus heros,filius Pelei & Thetidis filiæ Chironis, occisus tandem à Paride in tẽplo Apollinis,vt author est Virgilius in sexto,

Dardana qui Paridis direxti tela, manúsque Corpus in AEacidæ.

Achilleon, oppidum Troadis ad illius tumulum à Mitylenæis conditum,authore Plinio cap.30.lib.5.

Ἀχιλλέιος δρόμος Achilleus cursus peninsula est prope Borysthenẽ, Plinio,Pomponio,& Straboni lib.7.

Achillis, Achillidos, insula in ponto Euxino ad Borysthenen, teste Plinio cap.13.lib.4.

Achisarmi, Africæ populi,quorũ meminit Plinius cap.30.lib.6.

Achne,insulæ nomen apud Plinium lib.5: sic enim ait, Rhodiorum insulæ Carpathus,quæ mari nomẽ dedit.Casos,Achne olim.

Achola, ciuitas est Africæ apud Ptolemæum.

Achrua,Ptolemæo est ciuitas Arabiæ fœlicis.

Acibi,Aciborum, locus est in Sarmatia Europæ, vt scribit Ptolemæus.

Acidalius,fons in Orchomeno ciuitate Bœotiæ: Veneri, & Gratiis sacer,vt scribit Bocatius.

Acidalia,Veneris epitheton, vel quia inificit curas, quas Græci ἀκίδας dicũt. vel certe à fõte Acidalio,qui est in Orchomeno Bœotiæ ciuitate:in quo se Gratiæ lauant,quas Veneri constat esse sacratas.Ipsius enim & Liberi filiæ sũt, nec immerito. Gratiæ enim per horum fere numinum munera conciliantur.Hactenus Seruius.

Acienses,Italiæ populi Albensibus & Albanis finitimi, vt refert Plinius,cap.5.lib.3.

Acila,emporii nomen,ex quo nauigatur in Indiã,Plinio cap.28. lib.6.

Acimbro,oppidũ Bæticæ Hispaniæ, Plinio: quod idem Acinipo Ptolemæo dicitur.

Acina, Arabiæ oppidum, Plinio cap.29.lib.6.

Aciris,Italiæ fluuius apud Plinium:cuius etiam mentionem facit Volaterranus.

Acis, pulcherrimus adolescens pastor Siculus, quem dum Galatea amaret, & Polyphemum Cyclopa spemeret, ille iratus Acin necauit: qui postea Galateæ miseratione in fontem mutatus est,vt scribit Ouidius lib. 13. Metam. Cuius etiã meminit lib.4.Fastorũ, Præterit & ripas herbifer Aci tuas. Acis item insula vna est ex Cycladibus,authore Plinio cap.12.lib.4.

Acitauones, Plinio populi inter Alpinas gentes numerantur, cap.20.lib.3.

Acithius, fluuius est Siciliæ apud Ptolemæum, alio nomine Acis & Acilius dictus.

Aciton, insula est prope Cretam, vt scribit Plinius cap. 12. lib.4.

Acmodes insula est in mari Britannico, vt Plinius author est cap.17.lib.4.

Acmonenses, populi sic dicti ab Acmonia vrbe Phrygiæ, vt notant Plinius, & Ptolemæus.

Acmonides, vnus Cyclopum. vide BRONTES.

Acœtes, nomen viri pauperis, & vt indicat etymon vocabuli, carentis cubili. Huius tenuitatem exprimit Ouidius lib. Metam.3,

Ille metu vacuus, nomẽ mihi (dixit) Acœtes.
Patria Mæonia est, humili de plebe parentes:
Non mihi quæ duri colerent pater arua iuuenci,
Lanigerósque greges, non vlla armenta reliquit:
Pauper & ipse fuit: linóque solebat, & hamis
Decipere, & calamo sitientes ducere pisces.
Ars illi sua census erat: cum traderet artem,
Accipe quas habeo, studii successor, & hæres,
Dixit, opes. moriénsque mihi nihil ille reliquit
Præter aquas, vnum hoc possum ego appellare paternum.

Acontius, mons est Bœotiæ, Plinio & Straboni.

Aconteus, venator egregius vt docet Statius lib.7. Thebai.

-donec flammatus Aconteus
Strage virûm, cui sueta feras prosternere virtus. Silius lib.16,
Et cuius nunquam fugisse hastilia cerui
Prærapida potuere fuga, venator Aconteus.

Acra Iapygia, promontorium Italiæ, vt notat Plinius lib.3.

Acrisius, Argiuorũ rex, Abantis filius, vt scribit Lactantius: & vt Eusebius in Chronico scribit, Prœto fratri successit in regnũ. Hic vt idẽ Lactantius asserit, nec ab hoc discrepat Seruius, vnicam habens filiam Danaen, in responsis habuit se manu eius qui ex filia nasceretur, moriturum. qui ad effugiendam prænuntiatam mortẽ, filiam in quadam turri seposuit, seruarique iussit nequis posset ad eã accedere. Contigit igitur vt audita pulchritudinis eius fama, illã concupisceret Iupiter: qui cum ad eam accessum alium nõ videret, versus in auri guttam, ex tegulis se in gremium eius cadere permisit, & sic prægnãs effecta est. Quod ægrè ferens Acrisius, eam capi iussit, & in arcam poni, atque in mare proiici. quod cum ministri fecissent, in litus vsque Apulum arca delata est, & casu à piscatore

capta:in qua cum comperiſſet Danaen,& paruum filium quem enixa fuerat,eum ad Pilumnũ regẽ detulit, qui cum genus eius cognouiſſet,& patriam,illam libẽter coniugio ſibi copulauit. Filius autem eius cui Perſeus nomen fuit, cum excreuiſſet, & Gorgoni caput abſtuliſſet, Argos veniens Acriſiũ tranſmutauit in ſaxum. quæ quidem tranſmutatio ſecundum Euſebium id ſignificat,quod cum regnaſſet Acriſius apud Argos annis X X X I,à Perſeo nepote ſuo, non ſponte tamen occiſus eſt, & in lapidem, id eſt in frigiditatem perpetuam verſus eſt. Ex Euſebio, Bocatio, Seruio. Ab Acriſio, Danae Acriſioneis dicta Virgilio,

Protinus hinc fuſcis triſtis dea tollitur alis
Audacis Rutuli ad muros:quam dicitur vrbem
Acriſioneis Danae fundaſſe colonis,
Præcipiti delata Noto:&c.

Fuit & Acriſius alter, Laertæ patris Vlyſſis pater,& Iouis filius,dicente Vlyſſe apud Ouidium libro Metamorph. 13,

Nam mihi Laertes pater eſt, Acriſius illi, Iuppiter huic, &c.

Acritas, Peloponneſi promontorium, iuxta Maleam & Tænarum. Author Pomponius Mela lib.2.

Acroathon, Thraciæ oppidum,authore Pomponio lib.2.

Acroceraunia, montes excelſi in diuerſis locis, ſic dicti propter altitudinem & iactus fulminũ vt Seruius author eſt. Quorum alii ſunt in Epiro,diuidẽtes Ionium mare ab Adriatico. Alii ſunt eodem nomine montes inter Armeniam & Iberiam,dicti à fulminibus, quibus impetuntur. Nam ἄκρον dicitur mons,vel ſummitas, & κεραυνός fulmen.

Acrocorinthus,eſt altus mons inter AEgæum & Ionium mare, ſub cuius radice eſt vrbs Corinthus.

Acrolochias,promontoriũ eſt AEgypti ad Pharon. Author Strabo lib.17.

Acron Ceninẽſium rex, quem Romulus ſingulari certamine vicit,telóque traiecit, & eius ſpolia opima Ioui Pheretrio dedicauit. Quem ob illata in hoſtem vulnera, teſte Plutarcho in vita Romuli,ſic appellauit. Nã ait ferire apud Latinos,eſſe vulnerare ſagittis.

Acron alius,medicus Agrigentinus, Athenis vnà cum Empedocle philoſophatus eſt:fuit antiquior Hippocrate. ſcripſit lingua Dorica de medicina librum vnum. Author Suidas. Acron nobilis grammaticus, qui Horatium poetam editis cõmentariis enarrauit.

Acronius, Rheni fluuii lacus: duos enim habet lacus, Acronium & Venetum,teſte Pomponio lib.3.

Acropolis, dicebatur ipſa arx Athenienſium. Athenæ enim in

tres partes diuiduntur, scilicet ἀκρόπολιν, ἄστυ, & Piræum portum.

Actæon filius fuit Aristei, ex Autonoe coniuge. Hic venator fuit vt docet Ouidius. & cum die quadam venatione fessus in vallem Gargaphiæ descēdisset, eo quòd in ea fons esset, recens & limpidus, & ad eum fontem potaturus accederet, vidit in eo Dianam nudam se lauātem. Quod cum ægrè Diana tulisset, sumpta manibus aqua, in faciem eius proiecit, dicens, Vade, & dic si potes. Is autem repēte in ceruum conuersus est: quem cum canes eius vidissent, cōfestim irruerunt in eum, atque dentibus laceratum comederunt. De quo figmento sic scribit Fulgentius, Anaximenes (inquit) qui de picturis antiquis disseruit, ait libro secūdo, Actæonem venationem dilexisse. qui cum ad maturā peruenisset ætatem, consyderatis venationum periculis, id est, quasi nudam artis suæ rationem videns, timidus factus est. Et paulò post, Sed cum venandi periculum fugeret, affectum tamen canum non deposuit, quos inaniter pascendo, penè omnem substantiam perdidit. Ob hanc rem à suis canibus deuoratus est. Hæc ille. Hæc de Ouidii sententia libro Metamorphoseos 3. Quanquam de Actæone aliter in commentariis Apollonii libro 4. Sed receptior est & communior Ouidii sententia.

Actasta, nympha fuit Oceani & Tethyos filia, teste Hesiodo in Theogonia.

Actor, Astyoches pater, vt ostendit Homerus lib. Iliados 2. Alter fuit Auruncus, cuius meminit Virgillius lib. 12. AEnei.

- validam vi corripit hastam Actoris Aurunci spolium, &c.

Actium oppidū Epiri & promontorium ad mare vbi Augustus Antonium vicit nauali prælio, vt scribit Plutarchus.

Acylius, nomen est viri proprium.

A D

ADAE, Adarum, oppidum Asiæ Straboni lib. 13.

Adæi, Arabes AEgypto finitimi vt scribit Ptolemæus.

Adana, vrbs Ciliciæ Ptolemæo, vulgò Adena.

Adani, Adanorū, duæ vrbes in Arabia fœlici vt scribit Ptolemæus

Adiabena, regio oriētalis prope Assyriā, vt author est Strabo li. 16.

Adimantus, nomen viri Atheniensis proprium.

Admētus, e producta, fuit rex Thessaliæ, cuius armenta nouē annis pauit Apollo diuinitate priuatus, eo quòd Cyclopas occiderat qui fulmina fecerant, quibus filius ipsius Phaeton erat percussus. Seruius.

Admetes fuit teste Hesiodo in Theogonia nympha, Oceani filia, & Tethyos.

Adônis, fuit formosus pastor filius Cinaræ regis ex Myrrha fi-

lia sua,cuius meminit Virgilius Gallo, Formosus oues ad flumina pauit Adônis. Sed tandem ab apro vulneratus interiit.de quo Ouidius latè lib. decimo Metam. Item Adonis,dicitur fluuius prope Byblum vrbem Phœnicum,author Ptolemæus.

Adra,ciuitas Arabiæ Petrosæ,Ptolemæo.

Adra,oppidum Syriæ cœles,id est curuæ, apud Ptolemæum. Est item eodem authore Liburniæ ciuitas.

Adræmon,fuit teste Homero lib. Iliad. secundo, Thoantis pater.

Adramittiũ,oppidum AEolidis,Pomponio: vnde Adramittenus. Cicero pro Flacco, Quid (inquit) si occisus est à piratis Adramittenus homo nobilis,cuius est fere nobis omnibus nomẽ auditum? Hæc ille.

Adrastus, rex Argiuorum qui Thebanis bellum intulit pro Polynice genero suo: sed vtrinque multis occisis demum rediit re infecta Statio teste. Fuit & alius Adrastus teste Homero libro Iliad. 2,Percosii fili⁹, vt infra videbimus in dictione PERCOSIVS.

Adrobicum Hispaniæ vrbs in Artabris,Pomponio libro 3.

A E

AEA, oppidum Colchidis quæ eadem AEapolis dicitur,authore Plinio cap.16.lib.6.

AEacus, Iouis ex AEgina filius,qui regnauit in insula AEnopia, quã ipse vocauit à nomine suæ matris AEginam. Hic dicitur esse iudex inferorum cum Radamantho & Minoe. Ouid. -tuásque AEacus in pœnas ingeniosus erit.

AEacides,id est Achilles,AEaci nepos. Nã AEaci filius fuit Peleus pater Achillis.

AEantium,oppidum Troadis,Aiacis sepulchrum.Plinius.AEantium item est Magnesiæ promontorium,eodem Plinio authore. Est item AEantium oppidum Macedoniæ Ptolemæo.

AEas, fluuius Epiri,ex Macedonia profluens in Ionium mare, cuius meminit Lucanus,Purus in occasũ,parui sed gurgitis AEas.

AEca vrbs Colchorum, ad Phasim fluuium. Est & AEca Italiæ, à qua AEcani populi,Plinio lib.3.cap.11.

AEdepsum,oppidum in regione Locride,Plinio & Straboni.

AEdon,mons Thraciæ,vnde AEdonius possessiuum. Virgilius, Ac velut AEdoni Boreæ,&c. Est item AEdon mulieris nomen vxoris Zethi fratris Amphionis,vt scribit Bocatius lib.5.

AEæa (inquit Seruius) Circe dicta,ab aspernantiũ voce, propter celebratas illic corporũ mutationes.Quanquã commentarii Apollonii Rhodii testentur AEæã & Cyteida vocari Circen ab vrbibus Colchorum.Virgilius lib.AEnei.3. -AEæǽque insula Circes.

AEgæ,oppidũ AEolidis percelebre,vt teſtatur Plini⁹ cap. 10.li.4.

AEgæum mare, eſt prope Græciam amplum & multas habens inſulas:dictum ab AEgæo rege,vel à quodam in eo ſaxo,quod habet ſpeciem αἰγὸς, id eſt capræ. Eſt autem inter Helleſpontum & Tenedum,vulgo hodie dicitur Archipelago.

AEgas,oppidum Peloponneſi,apud Homerum.

AEgemon,poeta qui bellum Leuctricum Thebanorum, & Lacedæmoniorum verſibus ſcripſit:vt refert Volaterranus.

AEgæon,Terræ filius,ſæuiſſimus,& immanis fuiſſe pirata creditur:ſic vt quibuſdam placet dictus abAEgis,AEgæi maris inſula,in quo inſidebat more piratarum, quibus fas non eſt ob latrocinium vrbes incolere.Produnt fabulæ veteres,hunc centũ à Ioue religatũ catenis, vt poſſit inde intelligi eum potentiſſimum fuiſſe, dum tot catenis eius adſtringuntur vires.Is autem centumgeminus ideo dictus eſt,quòd centũ homines remigio deſeruientes haberet in manibus,De quo Ouidius,

-balenarúmque prementem
AEgæona ſuis immania terga lacertis.Seruius eundem cum Briareo eſſe ſcribit,apud Virgilium lib.10,
-AEgæon qualis, centũ cui brachia dicũt,Centenáſque manus &c.

AEgeria, nympha nemoris Aricini, & vxor Numæ Põpilii ſecundi regis Romanorum,quæ teſte Ouidio lib.15.Metam.mortuo Numa ob dolorem flendo in fontem ſui nominis verſa eſt.De qua idem Ouidius lib.Faſt.3.

AEgeria eſt,quæ præbet aquas dea grata camœnis:
Illa Numæ coniunx,conſiliúmque fuit.

AEgæus, Athenarũ rex, filius Neptunni,duas habuit coniuges, quarum primadicta eſt AEthra,filia Pithei regis,ex qua Theſeum ſuſcepit. Secũda,vt teſtatur Ouidius,fuit Medea profuga,quam ab Iaſone repudiatam,atque fugientem non ſolum ſuſcepit hoſpitio, ſed illam etiam ſibi matrimonio copulauit,& ex ea vt placet Iuſtino,Medum filiũ ſuſcepit. Succeſſit quidem in regno Pandioni regi reuera patri. AEgæo regnãte Athenienſibus bellum intulit Minos Cretenſium rex ob cædem Androgei filii, legéſque duriſſimas impoſuit,vt ſcilicet quotãnis ſeptem iuuenes nobiles in Cretam mitterentur ad Minotaurum, qui tribus annis fortè miſſi ſunt, quarta autem ſors obtigit Theſeo,qui maximo patris AEgæi dolore nauẽ conſcendit.& cum omnia nauigii ornamenta nigra eſſent,& nauis velum,habuit in mandatis à patre, vt ſi cõtingeret in agendis eum fœlicem ſortiri exitum,rediens naui album poneret velum amoto nigro,vt eminus infortuniũ ſuũ noſceret.Theſeus autem Ariadnæ

consilio victor, mandatorũ immemor, non amoto velo nigro redibat. AEgæus excelsa turri prospectans nigrũ velũ, Theseum mortuũ arbitratus, ex turri se deiecit in mare, quod ab ipso vocatũ est AEgæum. & mortuus, ab Atheniensibus liberatis, & Neptuni filius, & marinus deus in solatium Thesei cõsecratus est. Ex Bocatio, & Seruio.

AEgiale, Diomedis vxor, quam cum cognouisset cum Cyllabaro Stheneli filio cõcubuisse, verecundia ductus, domum noluit reuerti, vt scribit Seruius. Est & AEgiale, vna de tribus Gratiis, de quibus & earum etymologia, vide Perottum in dictione GRATIA.

AEgialeus, Apis frater, primi Iouis filius, De quibus scribit Eusebius.

AEgialia, insula est adiacens AEtoliæ regioni, vt scribit Plinius cap. 12. lib. 4.

AEgalios, eadémque Pelopõnesus siue Achaia, Plinio ca. 5. lib. 4.

AEgilodes, sinus Laconiæ, apud Plinium cap. 5. lib. 4.

AEgídes, i producta, dicitur Theseus filius AEgei.

AEgina, filia Asopi regis Bœotiæ, cum qua Iupiter in specie ignis congressus est, & ex ea genuit AEacum & Rhadamanthum. Est etiam insula in qua regnauit AEacus, quæ prius AEnopia dicebatur, vt ait Ouidius, AEacus AEginam genitricis nomine dixit. Est item AEgina, vrbs Peloponnesi, apud Homerum.

AEgion, vrbs inter AEtolos & Peloponnesiacos, authore Pomponio.

AEginetæ, siue AEginenses, populi incolæ AEginæ insulæ, quæ patria fuit Pauli medici.

AEgira, vrbs inter AEtolos & Peloponnesiacos. Author Pomponius libro 2.

AEgis (inquit Seruius) propriè munimentũ est corporis æreum, habẽs in medio Gorgonis caput: quod munimẽtũ si in pectore numinis fuerit, ægis vocatur: si in pectore hominis, sicut in antiquis imperatorũ statuis videm⁹, lorica dicitur. Hactenus ille. Virgilius,

AEgidáque horriferam turbatæ Palladis arma
Certatim squammis serpentum, auróque polibant.

AEgisthus, filius Thyestis ex Polepeia filia. Cum enim Thyestes vitiasset AEropen vxorem fratris sui Atrei, Atreus filios fratris sui occidit, & illi comedendos apposuit. Thyestes verò ex oraculo didicit, fore vt ex filia sua gigneret filium, qui vindicaret hoc nefas. Igitur AEgisthus cum adoleuisset, occidit Atreum, deinde eius filiũ Agamemnonem adiuuante Clytemnestra vxore. Ipse AEgisth⁹ ab Oreste filio Agamemnonis peremptus est.

AEgiochus, Iouis Epitheton, ab αἴξ αἰγὸς, & ὀχή, id eſt à capra & alimonia,quòd à capra puer fuerit nutritus in Creta inſula.

AEgiræſia,teſte Herodoto libro primo hiſtoriæ, vrbs fuit AEtoliæ Aſiæ.

AEgle nympha filia Solis ex Neæra,cuius meminit Virgilius.

AEgon,paſtoris nomen apud Virgilium.

AEgos,fluuius Cherſoneſi Thraciæ apud Strabonem,Athenienſium naufragio nobilis.

AEgyptus,(vt inquit Pomponius Mela lib.1.) Aſiæ prima pars. in duas diuiditur partes. Delta,ex forma literæ, quæ Ptolemæo, itémque Plinio AEgyptus inferior vocatur. Altera,quæ ſecundũ Nilum contermina AEthiopiæ meridiem verſus vſque ad Syenẽ procedit:Thebais appellata. De AEgypti antiquitate, ac diſciplina ſacerdotum(quos prophetas vocant)innumerabilia pene ab authoribus cõmemorantur. Huc Dædalus,Melampus, Pythagoras, Homerus,Solon, Muſæus,Plato, Democritus, Apollonius,Tyaneus, compluréſque alii eruditionis cauſa profecti,dogmata in ſuã quiſque patriam retulere. Primi ſiquidem omnium AEgyptii immortalem eſſe animam dixere, eámque de corpore in corpus vagari, vt eſt author Diodorus.

AElianus, ſophiſta Romanus à Philoſtrato maxime laudatur, quòd Romanus homo tam probe atticiſſauerit, támque eleganter peregrinam vocem retinuerit. Scripſit de animalibus,de varia hiſtoria, de re militari, quæ omnia ad nos peruenerunt. Fuit auditor Pauſaniæ ſub Adriano principe.

Aello,per tres ſyllabas,vna ex Harpyis.

AEminius,fluuius Hiſpaniæ in Luſitania.

AEminium,Hiſpaniæ oppidum apud Ptolemæum.

AEmonia,regio Græciæ,alio nomine Theſſalia.Eſt & AEmonia oppidum Norici apud Plinium cap.24.lib.4.

AEmus, eſt mons Thraciæ,vel inter Thraciam ac Theſſaliam Straboni lib.7.

AEnaria, inſula eſt in Puteolano ſinu, quæ nomen aſſumpſit à ſtatione nauium AEneæ,vt ſcribit Plinius lib.3.naturalis hiſtoriæ.

AEnea, teſte Herodoto, lib.7,vrbs in regione Creſſa contermina Mygdoniæ. Hanc dicit Liuius eſſe propinquam Theſſalonicæ, & ab AEnea Troiano olim conditã. Et ſubdit,Proficiſcuntur à Theſſalonica AEneam ad ſtatutum ſacrificium,quod AEneæ conditori, cum magna ceremonia quotannis faciunt. Hæc Liuius.

AEneas,nobilis Troianus Anchiſæ & Veneris filius.Poſt excidiũ Troianũ, poſt longos errores in Italiam venit,vt ſcribit Virgilius.

AEnos, oppidum Thraciæ liberum cum Polydori tumulo, Cyconũ quondam regio. Verba ſunt Plinii cap. 11. lib. 4. Straboni Poltiobria dicitur.

AEolia, regio ſeptem inſularum inter Italiam & Siciliam, quæ & Vulcaniæ dicuntur: ſcilicet Lipara, Hiera, Strongyle, Didyme. Ericuſa, Phœnicuſa, Prochyta. Pli. lib. 3. cap. 9.

AEolides, epitheton Vlyſſis apud Virgilium, quia vbique talis inducitur. Nam Anticliæ filius eſt quæ ante Laertæ nuptias clam cum Siſypho AEoli filio concubuit, vnde Vlyſſes natus eſt. Hoc ei apud Ouidium, Aiax etiã obiicit, Quid ſanguine cretus Siſyphio.

AEolis vel AEolia, eſt regio Græcorum in Aſia inter Ioniam & Troadem ſita. Hinc dicitur AEolica lingua vna Græcorum.

AEolus, filius Iouis ex Aceſta filia Hippotæ Troiani, à quo dicitur Hippotades. Ouidius, AEolon Hippotaden cohibentem carcere ventos. Hic regnauit in AEolia & inuenit rationẽ ventorum. Proinde ventorum rex & ventus dicitur à poetis. Diodorus.

AEpitus, Arcas fuit genere. heros nobilis inter Græcos qui ad Troiam profecti ſunt. Cuius meminit Homerus lib. Iliad. 2.

AErôpis, o producta, fuit vxor Atrei, à Thyeſte adulterio corrupta. Ouidius, Si non AErópen frater ſceleratus amaſſet.

AEroſam, appellauerũt antiqui inſulam Cyprum, quòd in ea plurimum æris naſcatur. author Sextus Pompeius.

AEſacus, fluuius Troianus ad Idam mõtem. Item filius Priami: qui cum in ſylua ſequeretur Eripen puellam, & illa fugiens fuiſſet à ſerpente occiſa, ipſe doloris, & amoris impatiẽtia, cum de ſcopulo ſe proieciſſet in mare, à Tethyde mutatus eſt in auem Mergum, vt author eſt Ouidius lib. 12. Metamorph.

AEſageus montis nomen, apud Homerum.

AEſapus, teſte Homero lib. Iliad. 6, filius fuit Bucolionis maximi filiorum Laomedontis.

AEſarius, fluuius ponitur Theocrito, quem in Sicilia quidam illius expoſitores eſſe affirmant. Alii verò in Calabria apud Crotonẽ. Huius meminit Ouidius lib. 15. Metam.

AEſchines, Athenienſis orator, Demoſthenis æmulus: cuius orationes tres extant & aliquot epiſtolæ. AEſchines multi narrantur Diogeni. Primus, Philoſophus Socratis diſcipulus. Secũdus, qui artem oratoriam ſcripſit. Tertius, hic orator. Quartus, Mitylenæus, quem flagellum oratorum vocabant. Quintus, Neapolitanus philoſophus Academicus Melandi Rhodii diſcipulus.

AEſchron, Mitylenæus verſificator, inter Alexãdri Macedonis comites expeditionis, Ariſtotelis familiaris, maximéque ei dilectus,

vt tradit Menander Alexandrinus in libro de discipulis Aristotelis.

AEschylus,tragicus Atheniensis.hic primus, teste Horatio,grauitate personarum & coloris distinctione vsus est.

AEsernia,Ptolemæo,Samnitum vrbs in Italia,hodie Esernia.

AEson,Cretei filius frater Peliæ regis Thessaliæ,& pater Iasonis, qui ab eo vocatur AEsonides. AEsonem verò Medea Iasonis rogatu è sene iuuenem fecit suis veneficiis.

AEsopus philosophus, Phryx genere, conditione seruus, tempore Crœsi Lydorum regis, cui fabulas suas dicauit. Item alius AEsopus anagnostes Mithridatis eruditissimus, scripsit de laudibus Mithridatis,& de Helena,vt author est Suidas. Præterea AEsopus tragœdus amicitia iunctus Ciceroni, sæpe cum eo ad videndum in curia pronuntiantem Hortensium profectus est, teste Valerio: in maximas opes ex histrionica peruenit,adeò vt sestertiûm cẽties ei patina steterit: filiũ reliquerit adeò diuitem, simul & prodigum, vt is vniones aceto liquefactos cœnis adponeret, vt scribit Plinius. Est item fluuius qui Zeliam præterlabitur eodẽ authore.

AEsculapius Apollinis &Coronidis filius,medicinæ deus habitus, & à Ioue fulmine occisus quòd Hippolytum arte medica reduxisset ad vitam. Colebatur hic primum Epidauri, vnde vocatur Epidaurius:& colebatur in specie serpẽtis. Nam Romanis in Epidaurum profectis tempore pestilentiæ,vt AEsculapium Romam portarent,serpens grãdis nauem ingressus est, quem illi deum AEsculapium esse rati,secum duxerunt.Vide Plinium lib.4,& Ouidium lib.Metamorph.15.

AEsis,fluuius Vmbriæ in Italia,& AEsium oppidum ab ipso flumine dictum,vt author est Plinius,vulgo Sciesi.

AEsisium,vrbs Vmbrorum,Ptolemæo:hodie Assisia.

AEstræum, oppidum Macedoniæ: & AEstræi populi sunt eius vrbis incolæ,teste Ptolemæo.

AEsymnus,vnus è principibus Græcorũ ab Hectore interfectus, teste Homero lib.Iliad.11.

AEsyrmus,vrbs Thraciæ,teste Homero lib.Iliad.8.

AEta,Colchorum rex,Medeæ & Absyrti pater.

AEthalia, insula adiacens Italiæ in mari Ligustico, author est Plinius.

AEthiopia, pars Africæ,torridæ zonæ subiecta inter Arabiam & AEgyptum. Sic autẽ dicta est ab AEthiope Vulcani filio,vt author est Plinius.

AEthiope,insula est maris Oceani,Macaria antè appellata,vt trã dit Plinius.

AEthiops, Vulcani filius: à quo cum omnis gens eius regionis quæ postea AEthiopia dicta est, appellaretur AEtheria, & deinde Atlantia, postremo ab isto AEthiope, AEthiopia nuncupata est, non paruum quidem argumentum, eum potentissimum fuisse hominem. author Plinius cap. 36. lib. 6.

AEthlius, Iouis filius, & pater Endymionis, vt tradit Hesiodus.

AEthon, vnus ex equis Solis: sunt enim quatuor, primus Pyrois. secundus, Eous. tertius, AEthon. quartus, Phlegon. Alii aliis etiam nominibus appellant, vt scribit Bocati⁹ lib. 4. Est & AEthon nomē equi Pallantis, apud Virgiliū li. 11. AEnei. in funebri pōpa Pallantis,

Post bellator equus, positis insignibus AEthon
It lachrymans, guttísque humectat grandibus ora.

AEthra AEgæi vxor, mater Thesei, vt scripsimus in dictione AEGAEVS. Dicitur etiam AEthra (teste Seruio) splendor ætheris. Virgilius lib. AEneid. 3,

Nam neque erant astrorum ignes, nec lucidus æthra
Syderea polus, obscuro sed nubila cælo,
Et lunam in nimbo nox intempesta tenebat.

AEtna, mons Siciliæ, prius Inesia appellatus, vt tradit Volaterranus, perpetuo igni terribilis, & quandoque globos igneos longius emittens. Inde AEtneus. AEtna, hodie Bolcar vulgo dicitur.

AEtolia, est regio Græciæ inter Acarnaniam & Phocidē. authores Plinius & Strabo.

AEtolus, vt scribit Plinius cap. 56. lib. 7, Martis fuit filius. Homeri autem enarrator, de AEtolo sic tradit, AEtolus (inquit) filius Endymionis fuit: qui cæde per imprudentiam in patria perpetrata, fugit in eam regionem, quæ postea ab ipso AEtolia dicta est, ibíque genuit filium Pleuronem, à quo vrbs AEtoliæ dicta. Huius autem duo filii fuerūt, Cures, & Calydon, à quibus rursus aliis vrbibus nomina data sunt.

A F

Afranius, poeta comicus, teste Cicerone in Bruto, homo peracutus in fabulis & disertus, quòd in togatis excellit, inquit Quintilianus, Vtinámque non inquinasset argumēta puerorum fœdis amoribus, mores suos fassus. Horatius huius meminit, Dicitur Afrani toga conuenisse Menandro. Ausonius quoque, Qui toga facundi scenis agitauit Afrani.

L. Afranius alter dux Pompeianus notissimus.

Africa, tertia pars orbis, freto Herculeo, ac Nilo cæteris orbis partibus diducitur: Libya & Hesperia à Græcis appellata. hanc ab initio, vt ait Sallustius, habitauerūt Getuli & Libyes asperi incul-

tique,quibus cibus erat caro ferina,atque humi pabulum velut pecoribus.Hæc Volaterranus.

Africus,est ventus ab Africa flans inter Austrum,& Zephyrum, cuius meminit Horatius in Odis, Luctantem Icariis fluctibus Africum &c.

A G

Agamede,oppidum Lesbi insulæ,Plinio.

Agamemnon, filius Atrei rex Mycenarū,& frater Menelai, qui à Troiano bello reuersus,à Clytemnestra vxore,& AEgistho adultero fuit occisus.

Agammantes,populi circa Mæotim,Plinio.

Aganippe,fons in Bœotia Apollini & Musis sacer. huius meminit Plinius.

Agapenor,vt scribit Homerus lib.Iliados 2,fuit præfectus classis Agamemnonis.

Agapius Alexādrinus,educatus in eloquentiæ studiis,in medicinam commentarios edidit:Byzantii ludum aperuit,magna doctrinæ fama ingeniique solertia. Fuit item Atheniensis alter philosophus,post Proclum Marini Neapolitani discipulus. author vtriusque Suidas.

Agapitus, apud Præneste puer XIII annorum sub Aureliano principe martyrium passus est.

Agareni, populi sunt Arabiæ,in quos profectus Traianus Cæsar cū exercitu, eorum oppidum Agaram mœnibus nudauit, eos tamen nunquam potuit acie superare,tempestate cæli tanquam diuinitus diremptos.Author Dion.

Agasides,fuit Lacedæmoniorum rex, vt ostendit Plutarchus in dictis Laconicis.

Agastheneus,fuit teste Homero lib.Iliad.2, pater formosi Polyxeni, qui nauibus suæ gentis præfuit in expeditione Troiana.

Agastrophus,Pæonis fuit filius,& heros inter primos Troianorū bellatores, sed à Diomede vulneratus in coxa,mortem obiit, vt scribit Homerus lib.Iliad.11.

Agatharchides,historicus Samius, de quo Plutarchus in historia Persica.

Agathias cognomēto Scholasticus,Smyrnæus patria,scripsit post Procopium res gestas Iustiniani principis,eiúsque ducum Belisarii & Narsetis, tum in Italia quoque & Africa, ac apud Byzantium res gestas quorum tempore ipse fuit. Composuit & quæ vocantur Daphnica,opus elegātissimum: coegítque in volumen diuersa epigrammata Græca nobilium poetarum.Hæc Suidas.

Agatha, Plinio oppidum prouinciæ Narbonensis. Est & virginis martyris nomen.

Agathirnum, oppidum Siciliæ, eodem Plinio authore.

Agatho, philosophus Pythagoricus frequens antithetis: adhibitus quōdam cōuiuio ab Archelao rege, cuius erat familiarissimus, interrogatúsque ab eo cū iam esset annorum L X X X, si robur adhuc vllum seruaret. Sanè, inquit: nam non solum ver, sed autūnus solet bona & prosperitatē adferre. Author AElianus de varia historia.

Agatho, alter Athenis vir monstrosæ fortitudinis, simul & magnitudinis, tēpore Adriani principis, & Herodis Attici, de quo Philostratus in vita ipsius Herodis ait, Adolescēs quum esset, in prima lanugine similis ingenti Gallo, magnitudine octo pedum, vasta coma, hirsutis oculis, ac iunctis, vt vnus videretur, læta facie, naso aquilino, &c. de quo Volaterranus lib. 13. Fuit & Agathon Priami filius, vt docet Homerus Iliados lib. vltimo.

Agathocles, tyrannus Syracusanus simili genere natus, vtpote figuli filius, qui per multa scelera inuasit tyrannidem, multáque gessit bella cum Carthaginēsibus, varia fortuna, de quo Iustinus li. 22.

Agathopolis, Ptolemæo, vrbs Galliæ Narbonensis, mons pessulanus, vulgo Montpeslier.

Agathyrsi, populus Scythicus cæruleo capillo, cuius meminit Plinius.

Agaue, filia Cadmi, & vxor Echionis, quæ inter Bacchanalia filium suum Penthea regem Thebanorum necauit. Horatius, Quid caput abscissum demens cum portat Agaue?

Agauni, populi sunt Septentrionales, quos Homerus circa initiū lib. 13. Iliados, dixit gentem innocentissimam, vt quæ sine vllis diuitiis equino victitat lacte.

Agauus vnus è Priami filiis, apud Homerum lib. Iliad. vltimo.

Agedicum, Ptolemæo: alias Agendicum, vrbs Galliæ, vulgo Sens.

Agenor, rex Phœnicum, Beli regis filius. Huius meminit Virgilius lib. AEneid. 1, Punica regna vides, Tyrios, & Agenoris vrbē. Fuit & Agenor, Antenoris filius, vt scribit Homerus lib. Iliad. 11.

Agerochus, filius fuit Nelei, ex Chlori vxore, vt est apud Homerum lib. 11. Iliad.

Agesias, Syracusanus Olympionica Sostrati filius. Agesias alter Cyrenaicus philosophus Platonicus, prohibitus à Ptolemæo in scholis docere, aut legere, quoniam immortalitatem animæ suadēdo, multos ad mortem compelleret, vt Cleombroto Ambraciotæ accidit. Cicero in Tusculanis.

Agesidamus,Locrensis Epizephyrius nobilis Olympionices, in quem pugilatu vincentem Pindarus hymnum cecinit.

Agesilaus,dux Lacedæmoniorũ clarissimus,cuius res gestas scripserunt Xenophon & Plutarchus.

Agilla (inquit Seruius) ciuitas est Tusciæ, à conditore appellata,cui ex iustitia Romana aliud est inditum nomẽ. Nam cum Romani euntes per Tusciam,interrogãtes Agillinos quæ diceretur ciuitas,illi vtpote Græci,quid audirent ignorantes, & optimũ ducentes si prius eos salutarent,dixerunt χαῖρε. quam salutationem,Romani nomen ciuitatis esse putauerunt, & detracta aspiratione eam Cere nominauerunt,vt scribit Iginus in vrbibus Italicis.Hactenus Seruius.

Aginnum,vrbs Galliæ Ptolemæo: vulgò Angolesmè.

Agis, rex Lacedæmoniorum, cum Atheniensibus cruentissima bella gessit:tandẽ à suis ciuibus occisus est in carcere, eo quòd Lycurgi leges reducere,& bona publicare vellet.Author Plutarchus.

Aglaia,est vna Gratiarum,quæ interpretatur claritudo.

Aglaonice, Hegemonis filia,perita astrologiæ, & eclipsis Lunæ. quando futuræ essent præuidens , iactitabat se illam cælo deducere: quæ ob id postea in magnas calamitates incidit,adeò vt in prouerbium abierit, τὴν σελήνην κατασπᾷ,id est lunã detrahit. Vide Erasmũ in prouerbiis.

Aglaophron, pictor nobilissimus, cuius meminit Plinius.

Aglauros, filia Erichthei regis Athenarum antiquissimi, à Mercurio in saxum mutata,de qua Ouidius lib.2.Metamorph.

Agoracritus Parius,statuarius,Phidiæ discipulus, de quo plura apud Volaterranum.

Agragas, oppidum Siciliæ,Ptolemæo,Straboni, Plinio,quod & Agrigentum dicitur: vnde Empedocles philosophus,& Phalaris tyrannorum sæuissimus, originem duxerunt. Scribitur à nonnullis Acragas.vulgò Gergenti.

Agriophagi,populi AEthiopum versus Occidens,qui teste Solino solum pantherarum,& leonum carnibus vescuntur.

Agrippa Menenius, cognomine Lanatus, dux à Romanis electus aduersus Sabinos: de eis triumphauit.Et cum plebs à patribus secessisset in Auentinum,quòd tributum & militiam toleraret, nec reuocari posset, Agrippa apud eam verba faciens, inquit, Humani artus cum ventrem otiosum viderent,ab illo discordarunt,& suum illi ministeriũ negauerunt.Cum eo pacto & ipsi quoque deficerent, intellexerũt ventrem cibos acceptos per omnia membra diuidere: & cum eo in gratiam redierunt. Sic senatus & populus quasi vnũ

corpus discordia pereũt, concordia valent. Plura de hoc Volaterranus sequutus authorẽ Cæcilium. Fuit & Agrippa filius Aristobuli Magni Herodis filii à Tiberio Cæsare coniectus in vincula, sed à Caio Cæsare rex Iudææ factus. Fuit item alius Agrippa inter proceres Augusti victoria nauali, contra Sextum Pompeiũ insignis & gener Augusti. Fuit item Agrippa cognomẽto Castoris, vir in primis doctus: contra XXIIII Basilidis hæretici volumina, quæ cõtra euãgeliũ ille scripserat, acerrimè disseruit. author Hieronymus.

Agrippina, filia fuit Agrippæ, eius qui fuit è proceribus Augusti & eiusdẽ gener. Alia fuit mater Neronis, quæ post viri mortem Claudio Cæsari nupsit, & filio suo imperiũ obtinuit, ad suã & totius vrbis perniciem. Est item Agrippina, insignis vrbs Germaniæ inferioris metropolis, & colonia olim Romanorum. Pomponius.

Agrius, Parthaonis, Martis filii filius, teste Homero, cuiusnih il præter nudũ nomen ad nos peruenit, vt notat Io. Bocatius. Fuit & Agrius Vlyssis ex Circe fili⁹, vt author est Hesiodus in Theogonia.

Agron, primus qui inter Heraclidas Sardis regnauit, vt scribit Herodotus lib. 1.

Aguntum, oppidum Siciliæ, Ptolemæo.

Agyrtes, patrem interfecisse, scribitur Ouidio lib. Metamorph. 5. Et cæso genitore infamis Agyrtes.

A I

Aiax, Telamonis filius ex Hesione filia Laomedontis, fortissimus Græcorũ post Achillem. Sed Achille occiso, cum illius arma peteret Aiax, & Vlysses eloquẽtia sua illa à iudicibus accepisset: Aiax præ ira insaniẽs pecora occidit, credens Vlyssem cũ sociis occidere, deinde seipsum occidit: de cuius cruore, vt ait Ouidi⁹, flos hyacinthus creuit. Alter eodẽ tẽpore fuit Aiax Oilei filius rex Locrensium velox pedib⁹, & peritus hastæ vibrãdæ. Hic capta Troia Cassandrã virginem, & vatẽ, in tẽplo Palladis violauit: quã ob caussam domũ repetens, fulmine à Pallade exustus est in mari cum sua naui, vt testatur Virgilius lib. primo AEneid. & Ouidius in Ibin.

Aiacis tumulus, oppidum Troadis Plinio.

Aidoneus, Pluto appellatus est, & tẽpore Lyncei regis Argiuorũ, atque Ericthæi regis Atheniensium regnauit, vt scribit Eusebius.

A L

Alaba, ciuitas est Hispaniæ citerioris, Plinio & Ptolemæo.

Alabanda, ciuitas est celeberrima in Caria, authore Plinio, & Ptolemæo.

Alabandici, populi ab Alabanda Cariæ dicti, Plinio.

Alabanses, populi Hispaniæ cõuentus Carthaginensis, sic ab Ala-

ba citerioris Hiſpaniæ vrbe dicti.author Plinius.

Alabaſtrum,mons AEgypti,Plinio. Eſt item Alabaſtrum, eodẽ authore,genus marmoris pellucidi,& colorum varietate diſtincti.

Alabaſtrus,fluuius AEolidis regionis,Plinio.

Alabys,fluuius è præcipuis Siciliæ.author Plinius.

Alalia,vrbs inſulæ Cyrni,vt ſcribit Herodotus lib.hiſtor.1.

Alani,populus Scythicus prope Iſtrum.Ptolemæus. Quorũ meminit Lucanus, Et ſequerer duros æterni Martis Alanos.

Alante,vrbs eſt Arcadiæ,quam Theopompus in hiſtoria Philippica, Alantrum appellauit.author Volaterranus.

Alapeni,populi ſunt in Arabia Fœlici,authore Ptolemæo.

Alaſtor,Plutonis equorũ vnꝰ, quorũ nomina Claudiano ponũtur li.1.de rapt.Proſerpinæ his verſibꝰ, vbi & quartũ addidit Orphneũ,

Orphneus crudele micans, AEthónque ſagitta
Ocyor,& Stygii crudelis gloria Nycteus
Armenti,Ditiſque nota ſignatus Alaſtor,
Stabant ante fores vincti,ſæuúmque fremebant,
Craſtina venturæ ſpectantes gaudia prædæ.

Alata,ciuitas eſt in Arabia Fœlici. Et item in Arabia deſerta,authore Ptolemæo li.5.cap.19. Alata caſtra,Ptolemæo,alio nomine Caſtrum puellarum,vulgò Edenburg,Scotiæ regia.

Alauna,oppidum eſt Britanniæ inſulæ,apud Ptolemæum.

Alauni, fluuii duo eiuſdem nominis in Britannia inſula,eodem authore.

Alaunii,populi ſunt Scythiæ regionis,Ptolemæo teſte.

Alba,fuit vrbs in Latio condita ab Aſcanio, filio AEneæ,quã Tullus Hoſtilius rex Romanus euertit. Eſt item Alba cognomine Põpeia in Gallia Togata,à qua fit Albenſis.Nam à priore Alba,fit Albanus. vtriuſque author Seruius.Fuit item Alba Marſorum.

Albana,oppidum in Arabia Fœlici,Ptolemæo.

Albanus, eſt Macedoniæ ciuitas.vnde Albani populi ſunt in eadem Macedonia,eodẽ Ptolemæo authore.Item Italiæ mons,Straboni.

Albania, eſt regio Orientalis inter Colchon & Armeniam. Altera nunc vocatur Albania,inter Illyricum & Macedoniam,in qua eſt vrbs Dyrrachium.

Albi montes,Cretæ inſulæ locus eſt vbi nõ pluit,authore Plinio.

Albigaunum,Ptolemæo, Liguriæ vrbs,hodie Albinga,vulgò Italis Arbenga.

L.Albini duo,Nũmii filii inter oratores referuntur à Cicerone, qui extare amborũ orationes dicit:ex eiſque Luciũ ſimplicẽ & an-

tiquũ esse: Spuriũ verò doctum, ex disciplina Stoicorum, eiúsque extare multas orationes. Author Volaterranus.

A. Posthumius Albinus, qui consul cum Lucullo fuit, res Romanas Græco sermone scriptitauit. In cuius exordio primũ scriptum est, neminem succensere sibi conuenire, siquid in his libris parum compositè, aut minus eleganter scriptum foret. Nam sum (inquit) homo Romanus, Græca oratio à nobis alienissima est &c. Plura de hoc Gellius, Cornel. Nepos, Suidas, Macrobius.

Albiminium, Ptolemæo Liguriæ vrbs, alio nomine Vintimiliũ, hodie Vintimia.

L. Albinus, de plebe Romana, fugiens Gallos, ex rheda vxorem filiósque descendere iussit: & Vestales, quæ cum sacris ipsæ pedibus fugitabant, imposuit. Author Liuius in 5.

Albion, Britannia insula, sic dicta, ab Albis rupibus, quas mare alluit. Fuit itẽ Albion, gigas Neptuni filius ab Hercule interemptus. authores Pomponius Mela, & Diodorus Siculus.

Albis, fluuius est Germaniæ celebratissimus.

Albium, oppidum Ligusticum Ptolemæo & Plinio.

Albula, fluuius Italiæ, ex Apœnino Romam fluens. alio nomine Tyberis. Sed Albula nomen antiquius, vt author est Seruius Virgilii interpres, vulgò Teuero.

Albulates, est fluuius in quinta regione Italiæ, apud Plinium.

Alburnus, mons Lucaniæ Plinio. Virgilius,

Est lucos Silari circa, ilicibúsque virentem
Plurimus Alburnum volitans, cui nomen asilo &c.

T. Albutius, cuius M. Varro meminit, dicitque scripsisse Satyras Luciliano stilo. Nam & Lucilius eũ vt Græca miscentem verba notat his verbis, Græcum te Albuti quàm Romanũ, atque Sabinum, &c. Vide reliqua apud Ciceronem, in principio de finibus.

Albutium alium Seneca in declamationibus dicit suo tempore fuisse nobilem declamatorem.

Albutius Silus, Nouariensis orator Romam venit, receptus in Planci oratoris cõtuberniũ. Iam verò senior ob vitiũ vomicæ Nouariam rediit: conuocatáque plebe caussis propter quas mori destinasset, in concione redditis, abstinuit cibo. Ex Tranquillo.

Alcæus, poeta lyricus Atheniensis primus, vt quibusdam placet. Sappho apud Ouidiũ, Nec plus Alcæus, consors patriǽque lyrǽq;
Laudis habet, quanuis grandius ille sonet. Est & alter Mitylenæus priscæ comœdiæ poeta, qui docuit fabulas X. Hæc Suidas. Alcæus item fuit auus Herculis: vnde Alcides dictus est.

Alcamenes, vir statuarius, cuius meminit Quintil. li. Inst. Orat. 2.

Alcanor, viri proprium, cuius mentionem facit Virgilius libro AEnei.x,Huic frater ſubit Alcanor &c.

Alcathoe,vrbs fuit,vt quidam putant,eadē cum Megara,de qua dixit Ouidius lib.Metamorph.8,
Alcathoe quam Niſus habet. & reliqua.

Alcathous, Pelopis filius,qui cædis Chryſippi fratris ſuſpectus, Megaram venit.occiſóque leone,qui Cytheroniusà loco dicebatur: multóſque,& in iis Megarei regis filiū Enippum necauerat,aſcitus Megareo gener,in regno ſucceſſit.Author Direchidas.

Alcenor,vir fuit Argiuus, teſte Herodoto.

Alceſte,fuit vxor Admeti regis Theſſaliæ,quæ pro viri ſalute ſe morti tradidit.Nā rege ægrotante reſponſum fuit ab oraculo quòd breui moreretur,niſi quis amicorū pro eo morti ſe traderet.Quod quum omnes recuſarent,ipſa promptiſſimam ſe obtulit. cuius meminit Iuuenalis, - ſpectant ſubeuntem fata mariti
Alceſten: & ſimilis ſi permutatio detur,
Morte viri cupiant animam ſeruare catellæ.

Alcibiades,vir Athenienſis pulcherrimus,nobiliſſimus, & rei bellicæ peritiſſimus. Sed linguæ fuit balbutientis, & proinde taxatus ab Ariſtophane comico illo verſiculo, ὀλαο· θεὸχλος τὴν κεφαλὴν κόλακος ἔχει.Author Plutarchus in Alcibiade.

Alcidamas, Eleates philoſophus , ſcripſit de Muſica , diſcipulus Gorgiæ Leontini.author Suidas.

Alcidamus,rhetor antiquus,qui mortis laudationem ſcripſit authore Cicerone lib.1. Tuſcul.quæſtionum.

Alcides Hercules dictus ab Alcæo auo patre Amphytrionis,Seruio authore,Sanè Alcidem(inquit)volunt quidam dictum,ἀπὸ τῆς ἀλκῆς, id eſt,à virtute.quod non procedit: quia à prima ætate hoc nomē habuit ab Alcæo patre Amphitryonis.De quo Charon apud Virgiliū lib.AEnei.6, Nec verò Alciden me ſum lætatus euntem Accepiſſe lacu,&c.

Alcimedes,poeta tragicus,Megarenſis,vt ſcripſit Suidas.

Alcimedis,vxor fuit AEſonis,& Iaſonis mater,vt tradit Pherecides.Quanquam Homeri enarrator AEſonem,ex Polymila Iaſonem genuiſſe ſcribit.

Alcimedon,proprium nobilis artificis cælatoris,cuius meminit Virgilius Ecloga 3, - pocula ponam
Fagina,cælatum diuini opus Alcimedontis.

Alcinous,Nauſithoi filius teſte Homero lib.7.Odyſs.rex Phæacū iuſtiſſim⁹ dicēte Orpheo inArgonaut. κρααίνειν δικαιότατος βασιλεύς.Fuítque diligens hortorum cultor.Quamobrem dixit Vir-

lius lib. 2. Georg.Pomáque,& Alcinoi sylux.Id est,arbores pomiferæ.Huius meminit Ouidius Metamorph.12, & Homerus in Odyssæa. Fuit item Alcinous philosophus Platonicus,qui epitomē composuit decretorum Platonis.

Alciphron,Magnesius,Alexandri temporibus philosophus. author Suidas.

Alcippe,nomen est rusticæ mulieris propriū,cuius sæpe meminit Theocritus,& Virgilius Ecloga 7,

Quid facerem:neque ego Alcippen,nec Phyllida habebam,
Depulsos à lacte domi quæ clauderet agnos.

Alcman,poeta lyricus Laconic⁹ siue Messenius circa Olymp.27. inuentor amatorii carminis, scripsit lingua Dorica,author Suidas. Is morbo pediculari periit,vt scribit AElianus.

Alcmanes, statuarius Atheniensis,Phidiæ discipulus,cuius opera Athenis plura memorantur authore Plinio.

Alcmena,Electrionis filia,& Amphitryonis vxor,ex qua Iupiter genuit Herculem.

Alcmæon,Amphiarai vatis & Eriphyles fuit filius.Huic Amphiaraus ad bellū proficisci coactus nequitiam Eriphyles in se aperuit, eíque futuræ mortis suæ vindictam reliquit: qui defuncto patre memor præcepti, vt in patrem pietatem seruaret, impius in matrem factus est, eámque necauit. Ex Bocatio. Huic fabulæ à cæteris additur,quum postea ob matris cædem Alcmæon furiis agitaretur, venisse eum ad fluuium Phlegeum, à quo lustratus est. Et quum filiam eiusdem Alphesibœam amasset, donato illi monili quod matris Eriphyles fuerat, vxorem illā duxisse. Cæterū,quum aliquando ad Acheloum fluuiū post ea tempora forte rediisset,placuissétque ipsi Callirroe Acheloi filia, monile quod superiori coniugi dederat,etiā huic nuptiarum spe pollicitū esse.Ad quod tamen repetendū cū proficisceretur,à fratribus Alphesibœæ,Themone,& Axione occisum esse:qui tamen & ipsi ab eodem mutuis vulneribus petiti,perierunt.Vel,vt Ouidius videtur sentire, à filiis Callirroes, quos Iupiter natos, statim deos fecerat, in vltionem patris occisi sunt. Ouidius lib.9. Metamor. Fuit & Alcmæon philosophus Crotoniates,Pythagoræ auditor.Hic,teste Laertio,primus de naturæ ratione scripsit lingua Dorica. author Suidas. & morbo pediculari periit,vt scripsit AElianus.

Alcon,Cretensis sagittarius,cuius quum filiū draco inuasisset,tanta arte direxit sagittam,vt ea currens in serpentis deficeret vulnere,nec transiret in filium.Hæc Seruius enarrans illud Virgilii,

Aut Alconis habes laudes,aut iurgia Codri.

Alcyone, Atlantis filia ex Pleione, vt scribit Ioannes Bocatius de genealogia deorum lib.4.

Alecto, vna est è tribus furiis. Tres enim à poetis describuntur, Alecto, Megæra, & Tisiphone. Alectus meminit Virgilius lib.7. AEneid. & Luctificam vocat. Porrò furiæ dicuntur à poetis filiæ Acherontis, & Noctis, vt notant Virgilii interpretes.

Alegenor, vnus fuit filiorum Boethi: quatuor enim fuerunt, Hippodamus, Electrion, Archilycus, Alegenor, teste Diodoro lib.5.

Alemani, aliter vocantur Teutones, Teutoni, & Teutonici, à Teutone deo quem venerabantur. Virgilius libro 7, Teutonico ritu soliti torquere Cateias. Lucanus libro 1,

Vidimus & Martem Libyes, cursúmque furoris

Teutonici. Idem lib.6, Cantaber exiguis aut longis Teutonus armis. Germani porrò dicuntur, quòd vicini sint Belgis. Item & Germanici, vt tradit Suetonius in Augusto: vt tamen in quibusdã Pannonicis, & Germanicis aut interueniret, aut non longè abesset. Rhenicolæ dicuntur quòd habitent ad Rhenum fluuium.

Alesium, oppidum Peloponnesi, apud Strabonem.

Alethes, nomen fuit proprium viri Troiani quasi ἀληθὴς, Id est verax fuerit. De quo Virgilius libro. AEneid.1, Et quàm grandæuus Alethes.

Aletium, oppidum Salentinorum in Italia, authore Ptolemæo.

Alex, fluuius Italiæ Straboni.

Alexander Macedo, Philippi regis filius fuit. eius res gestas scripserunt è Græcis Clitarchus, Polycratus, Onesicritus, Antigenes, Istrus, Aristobulus, Chares, Hecateus, Erythræus, Philippus Chalcidensis, Duris Samius, Ptolemæus Anticlides, Philo Thebanus, Antistenes, Menechmus Sicyonius, Petamon Mitylenæus, & alii complures, præter Plutarchũ, è nostris vero Qu. Curtius. Hæc Volaterranus.

Alexandria, nomen est trium vrbium ab Alexandro Macedone conditarum. Siquidem vna est in AEgypto, ad ostium Nili sita, à nonnullis Canopicum dicta, vt scribit Solinus. aliam eodem nomine condidit idem rex in Asia, aliam item in Scythia super Tanain. Dicitur item Alexandrea, e producta. Propertius, Noxia Alexandrea dolis aptissima tellus. Est præterea Alexandria vrbs Liguriæ ab Alexandro pontifice condita.

Alexandria AEgypti, hodie Scanderia vulgo dicitur à Turcis.

Alexandropolis, Parthorum ciuitas, sic dicta ab Alexandro magno conditore, vt author est Plinius lib.6. cap.25.

Alexia,Ptolemæo Rigiacũ. Alexiam appellat Diodorus Siculus lib.5,ab Hercule conditam,totius Celticæ metropolim. vulgò hodie hæc ciuitas vocatur Arras, vt notatur apud Ptolemæum . Alii pro Alexia ſupponunt hodie oppidum in Burgundia ,vulgò Lauſſois.

Alexis Thurius, qui prius Sybaris dicebatur, poeta comicus ante Menandrum:reliquit plures fabulas. habuit filium Stephanum poetam & ipſum comicũ.Suidas. Fuit & Alexis,Aſinii Pollionis ſeruus,ſic dictus quaſi ſine reſponſione,ac ſuperbus. quem Virgilius rogatus ad prandium, cum vidiſſet in miniſterio omniũ pulcherrimum,dilexit, cúmque dono accepit. Hunc autem dilectum fuiſſe Pollionis conſtat, & Virgilium gratum ſe futurum exiſtimaſſe, ſi eũ laudaret, cuius forma Pollio delectabatur: qui eo tempore Tranſpadanam Italiæ partem tenebat, & agris præerat diuidendis.Hæc Seruius enarrans illud Virgilii,Formoſum paſtor Corydon ardebat Alexim.

Alia vel Allia,fluuius non longe à Roma diſtans,apud quem Romanus exercitus olim deletus fuit à Gallis Senonibus duce Brenno. Lucanus, Et damnata diu Romanis Allia faſtis.

Aliphyræi,populi Arcadiæ,authore Plinio.

Aliſta,inſulæ Corſicæ vrbs Ptolemæo, hodie Amaſſa.

Aliſum,vrbs Germaniæ authore Ptolemæo , vulgo Hanriſtéin.

Aliſus,vrbs Germaniæ Ptolemæo,vulgò Parthen.

Allifa,Samnitum vrbs Ptolemæo,hodie Alipha.

Allobroges,populus Galliæ iuxta Rhodanum,nũc Sabaudienſes, victoria Fabii & Catilinæ cõiuratione noti,ad tractum Lugdunenſem olim ſiti,Ptolemæo authore.

Aloeus per ευ diphthõgum,fuit gigas Titani & Terræ filius,cuius vxor Iphimedia à Neptuno compreſſa,OEtum & Ephialten genuit,qui tandem Aloidæ dicti ſunt, quorũ meminit Virgilius in 6,
Hinc & Aloidas geminos immania vidi
Corpora,qui manibus magnum reſcindere cælum Aggreſſi,&c.

Alonæ,vrbs Hiſpaniæ Tarraconenſis Põponio,vulgò Alicante.

Alontium vel Aluntium,oppidum Siciliæ Ptolemæo & Plinio.

Alope,Græcis ἀλόπη,fuit Cercionis filia,à cuius nomine cognominata Alope Theſſaliæ ciuitas, de qua mẽtionem facit Homerus lib.2.Iliad.

Alopece,inſula eſt in Ponto Euxino,vt author eſt Plinius.

Aloros,Macedoniæ vrbs authore Pomponio lib.2.

Alpes,ſunt excelſi montes ſeparantes Italiam à Gallia & Germania. Lucanus, Gallica per gelidas rabies effunditur Alpes. Hinc

Alpinus.

Alphenus,nomen eſt ſutoris apud Horatium,lib.1 Sermonum, vt Alphenus vafer in omni
Abiecto inſtrumento artis,clauſáque taberna Sutor erat,&c.

Alpheſa,oppidum Bæticæ Hiſpaniæ,Plinio.

Alpheus,fluuius eſt Elidis ciuitatis Arcadiæ iuxta Piſas(vbi colitur Olympicus Iuppiter)defluẽs,longo tandem curſu in Achaia demergitur, & ibi à terra abſorptus, atque ſubter mare defluens, ex Græcia in fontem Arethuſam apud Syracuſas in Sicilia ſe attollit, inde in mare Siculum cadit. vnde Vergilius lib.3.AEneid.
Alpheum fama eſt huc Elidis amnem
Occultas egiſſe vias ſubter mare;qui nunc
Ore Arethuſa tuo Siculis confunditur vndis.
Meminit & lib.8.Strabo, Alpheum dictum exiſtimans, quòd Alphos vitiliginis ſpeciem curet.

Alſium,vrbs Tuſcorum Ptolemæo:vulgo S.Seuerina.

Alſus,nomen eſt paſtoris apud Virgilium,lib.12.AEneid.
Sic rigido latus enſe ferit Podalirius Alſum Paſtorem.

Altanus,pelagi ventus,& ab alto denominatus. Flatus omnis(inquit Seruius)qui eſt ripæ & pelagi,Altanus vocatur. Hæc ille apud Virgilium,Cũ venti poſuere,omnîſque repẽte reſedit Flatus &c.

Altea, OEnei regis AEtoliæ vxor fuit,& mater Tydei,vt ſcribit Seruius grammaticus enarrans illud Virgilii in ſexto,
Hic illẽ occurrit Tydeus,hîc inclytus armis Parthenopeus,&c.

Altinum, Italiæ oppidum iuxta Aquileiam, teſte Pomponio, vulgo Torrello.

Aluona,Liburniæ vrbs Ptolemæo,Vulgo Albon.

Alyba,regio eſt teſte Homero lib.2.Iliados,non procul à Myſia, vbi argenti fodinas eſſe dixit.

Alyſonii,populi ſunt Scythiæ Aſiaticæ,vt docet Herodotus li.4.

Alyxoe,filia Dymantis,vt teſtari videtur Ouidius,dicens,
Quanuis eſt illum proles enixa Dymantis,
AEacon vmbroſa furtim peperiſſe ſub Ida
Fertur Alyxoe,&c. Hæc igitur ex Priamo peperit AEacum, qui poſtea in mergum verſus eſt,Bocatius.

A M

Amadoca,ciuitas Sarmatiæ in Europa. Et Amadoci montes & populi in eadem Sarmatia.Vtriuſque eſt author Ptolemæus.

Amalchium apud Pliniũ maris Oceani ſeptẽtrionalis portio eſt.

Amalthéa fuit nutrix Iouis infantis. Nam Meliſſus rex Cretæ duas filias habuit,ſcilicet Amalthéam & Meliſſam,quæ Iouem ca

prino lacte & melle nutriuerunt,teste Lactantio Firmiano libro 1. Institut. Alii dicunt capram illam appellatam esse Amalthéam, vt Parmenius poeta Græcus.

Amana,ciuitas est Mediæ apud Ptolemæum.

Amanicæ pylæ,Id est,portæ montis Amani,Ptolemæo authore & Plinio.

Amanoides,Ciliciæ promontoriũ,Pomponio sic dictú, quòd for mam effigiémque Amani circumnauigantibus exhibet, reddidit etymon Hermolaus.

Amantes, apud Ptolemæum populi sunt Pannoniæ inferioris, quæ hodie Vngaria dicitur.Plinio Amantini vocantur.

Amantia,ciuitas Macedoniæ,eodem authore Ptolemæo.

Amanus mõs,portio mõtis Tauri ad Ciliciã,authore Ptolemæo.

Amara,ciuitas Arabiæ fœlicis,non procul à Mara metropoli sita,vt author est Ptolemæus lib.6.cap.7.

Amaracus,puer Cynaræ regis Cypri vnguẽtarius,qui casu lapsa dum ferret vnguenta,maiorem ex cõfusione odorem creauit.vnde optima vnguenta, Amaricina dicuntur.Hic postea in herbã sampsacum versus est,quam Amaracum etiam dixit Virgilius. Hæc Seruius Virgilii interpres,enarrans carmen illud lib.1.AEneid.

At Venus Ascanio placidam per membra quietem
Irrigat:& totum gremio dea tollit in altos
Idaliæ lucos,vbi mollis amaracus illum
Floribus,& dulci aspirans complectitur vmbra.

Amardi,populi sunt Hyrcaniæ ad sinum Scythicum,Straboni.

Amardus,Mediæ fluuius est Ptolemæo.

Amaryllis, rusticæ proprium, cuius Theocritus & Virgilius sæpe meminerunt, Postquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit.

Amarynthus,Achaiæ ciuitas,non procul à Chalcide,Ptolemæo.

Amasenus,fluuius est Volscorum in Latio.Est etiam fluuius Siciliæ.Ouidius,Necnon Sicanias voluens Amasenus arenas.

Amasia, Germaniæ ciuitas est, authore Ptolemæo,hodie Marcpurgium.

Amasis,rex AEgyptiorũ,cuius tumulus fuit vna pyramidum,dicente Lucano, Non mihi pyramidum tumulis euulsus Amasis. ante quem, Pomponio, triginta supra trecentos reges in AEgypto fuere:quare vetustissimos prædicant AEgyptios.Fuit etiam Amasis peditum Darii dux contra Cyrenenses missus.author vtriusque Herodotus.

Amasius,Germaniæ fluuius,Ptolemæo,qui Plinio Amisius dici-

tur,& Pomponio Mellæ.vide infra,A M I S I V S. Vulgo Ems.

Amastris,Ptolemæo Bithyniæ vrbs.vulgo Suyastro.

Amata,fuit vxor Latini regis,& soror Veniliæ deæ,vt author est Seruius apud Virgilium lib.AEneid.6.& 7.

Amathus, Amathuntis, insula est maris AEgæi, Veneri sacra, vnde tota insula Amathusia dicebatur,vt est apud Ptolemæum. Virgilius,

Est Amathus,est celsa mihi Paphos,atque Cythera,&c.

Ipsa eadem est metallorum fœcundissima, teste Ouidio lib. Metamor.10, At si forte roges fœcundam Amathunta metallis. Vnde Amathuntæus.Ouid. eodem libro, Lactantes vitulos Amathuntæásque bidentes.

Amazones, erant fœminæ Scythicæ primùm iuxta Tanaim fluuiũ habitantes,vnde se postea ad Thermodoonta fluuiũ Thraciæ transtulerant:quod etiam Salustius testatur,dicens,Deni campi Threissi quos habuerũt Amazones,ab Tanai flumine,incertum quã ob causam digressæ. Hæc Salustius. Dicuntur porro Amazones,quasi ἁμαζῶσαι,quòd simul viuant sine viris:vel quòd vnã mãmam exustam habent, quasi ἄνευ μαζοῦ. Has autem iam non esse constat, vt pote extinctas partim ab Hercule, partim ab Achillle. Hæc Seruius apud Virgilium.

Ambantæ,populi sunt Asiæ,Ptolemæo.

Ambarri,populi sunt Galliæ Lugdunensis,Cæsari.

Ambastæ,populi sunt Asiæ.Et Ambastũ,fluminis nomẽ in Asia, authore Ptolemæo.

Ambe,ciuitas est Arabiæ fœlicis,Ptolemæo.

Ambiani,Galliæ Belgicæ populi,Plinio,Ptolemæo,Cæsari,Pomponio.Vulgo Amiens.

Ambracia, nobilis est ciuitas Thesprotiæ Epiri, ab Ambracia Thesproti filio,prius Eponia & Paralia dicta.hodie vulgo Larta appellatur apud Ptolemæum.

Ambratiotæ,sunt ciues & incolæ vrbis Ambraciæ

Ameria,oppidum est Vmbriæ, patria Roscii Amerini quem defendit Cicero.Huius oppidi meminit Plinius in descriptiõe Italiæ. vulgo Almelina.

Amilcar,Dux Carthaginensis cognomento Rhodo,facundia solertiáque insignis. de sententia Atheniensium, qui ea tempestate crescentẽ Alexandri Magni potentiam timebant,in castra ad Alexandrum venit, sese & exulem fingens, & militem offerens, Parmenone aditum conciliante,vt author est Trogus libro 21. Item Amilcar an alius, an idem, quem suprà nominaui, inter authores non satis deprehenditur,qui à Syracusanis accersitus contra Aga-

thoclen tyrannum eos obsidione prementem, vt idem Trogus author est, lib.32.

Amilcarem aliũ Liuius libro 31. memorat, qui dicit L. Furiũ prætorem Gallos Insubres rebellantes, & Amilcarem Pœnum in ea acie vicisse. Ex Liuio. Amilcar item cognomento Barcha, pater Annibalis, qui primam secundum filium Annibalem inter Pœnos duces gloriam obtinuit. Hic ex Liuio, & cæteris historiæ scriptoribus notissimus est.

Aminæum, Ptolemæo est Italiæ oppidũ in Campania, vbi sunt generosa vina, teste Virgilio lib. Georg. II, Sũt Aminææ vites firmissima vina. Aminæum Ptolemæus Salernum vocat lib.3.

Amisius, fluuius est Germaniæ Pomponio Melæ. Strabo Amasium vel Amasiam vocat. Ptolemæus Amasium, qui Vidrum tamen aliũ, nescio an bene, iuxtà nominat. hodie Ems vocatur à Germanis, quasi Emisius corrupto vocabulo: quanquã veri⁹ est, Latina illa nomina ex Germanis nata deflexáque fuisse. Ortus hic Vuestphaliæ montanis, inter Frisios, & quos hodie Bremenses vocant, Oceano miscetur. Hæc Vadianus Pomponii interpres.

Amisus, Galatiæ vrbs Ptolemæo, Simiso à Sabellico dicta.

Amiternum, vrbs Vestinorum in Italia Ptolemæo, hodie Aquila.

Ammon, dicitur Iupiter in specie arietis. Ratio autẽ huius nominis ab omnibus authoribus sic redditur, Cum liber pater per deserta Libyæ exercitũ duceret, vniuersa iã Asia deuicta & siti admodũ laboraret, implorasse à patre auxilium dicitur. Quo facto, apparuisse ei extemplo arietem, quem dum fugientem sequitur, peruenisse illo duce ad fontem amœnissimum. Quapropter desyderio potitum, existimasse arietem illum fuisse Iouem, eíque templum miræ magnitudinis in arena cõstituisse, & deum vocasse Ammonem, Id est, Iouem arenarium. Græci enim, ἄμμον arenam vocant. De quo fusius Nicolaus Perottus.

Amorgos, insula vna ex Cycladibus Plinio, & Straboni.

Ampeloessa, oppidũ est in Decapolitana regione, quæ Syriæ proxima est. author Plinius.

Ampelos, ciuitas est in insula Creta, Ptolemæo. Est item Macedoniæ oppidum apud Plinium.

Ampelusia, promontorium est Africæ in Mauritania, nomen à vitium copia inditũ. ἄμπελος enim Græcis vitem significat. Ampelusiam (inquit Pomponius Mela) Græci, Afri aliter, sed idem significante vocabulo appellant. In eo est specus Herculi sacer. Hæc Pomponius. Meminit & Ampelusiæ Plinius his verbis, Promontorium (inquit) Oceani extimũ Ampelusia nominatur à Græcis, Vul.

go hodie, La punta alcafar.

Amphapalia, locus eſt Cretæ, apud Strabonem, in ipſius inſulæ deſcriptione.

Amphesibena, ſerpentis nomen eſt duobus capitibus, quorum alterum habet in cauda. Lucanus,

Et grauis in geminum ſurgit caput Amphesibena.

Amphiala, oppidum eſt Atticæ, Straboni.

Amphiaraus, cuius meminit Strabo libro 9, Oiclei filius, augur fuit, & vates Græcus: quē quum Adraſtus rex, in bello contra Thebas vellet ducere, recuſauit, ac ne duceretur, ſeſe occultauit, quòd præuideret ibidem ſe periturum: fraude tamen vxoris Eirphyles (quam monili corruperat Adraſtus) proditus eſt, & inuitus in bellū tractus, vbi terræ hiatu abſorptus eſt. Huius meminit Statius lib. 1, Thebaidos, -nō tu ipſe pater, nō docte futuri Amphiarae vides.

Amphictyon, filius Deucalionis & Pyrrhæ, à quo dicti ſunt

Amphictyones, publicum Græciæ concilium, vt ſcribit Cicero de Inuent. lib. 2. cōſtabat autem Amphictyonū conuentus ex ſeptem Græciæ ciuitatibus, vt ſcribit Strabo lib. 9.

Amphilochus, Athenienſis philoſophus, & agriculturæ ſcriptor, vt teſtis eſt M. Varro li. 1. de re ruſtica. Fuit & Amphilocus filius Amphiarai vatis ex Eriphyle ſuſcept', vt in Odyſſea teſtatur Homerus.

Amphimachus, fuit Amphiarai & Eriphyles filius, quem Homerus cum aliis Græcorum ducibus ad Troiam veniſſe ſcribit.

Amphimalis, ſinus eſt Cretæ inſulæ, vt teſtis eſt Ptolemæus: hodie S. Nicolaus vocatur.

Amphion, filius Iouis, & Antiopæ. tres enim liberos ex Antiopa ſuſcepit Iupiter, Amphionem ſcilicet, & Zethum, atque Calatum, vt author eſt Homerus in Odyſſea. E quibus Amphion muſicæ artis adeò peritus fuit, vt à Mercurio citharam meruiſſe dicatur Lactātio, eiúſque ſono Thebanæ vrbis muros conſtruxiſſe: quod etiā teſtatur Horatius,

Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis,

Saxa mouere ſono teſtudinis, &c. Eum autem mouiſſe ſaxa ſcribit Albericus nihil aliud fuiſſe, quàm melliflua oratione ſuaſiſſe ignaris atque rudibus hominibus, & ſparſim degētibus, vt in vnū conuenirent, & ciuiliter viuerent, & in defenſionem publicam ciuitatem mœnibus circundarent. quod & factum eſt. Quod autem à Mercurio citharam ſuſceperit, id ſignificat eum eloquentiſſimum fuiſſe. Ex Bocatio. Fuit & Amphion alter ab illo, qui Thebas muro clauſit, filius Iaſii, & regnauit, vt dicit Leontius, in Orchomeno, & in Pylo. vocatus alio nomine Argus, cui vnica fuit filia nomine

Chloris. Bocatius.

Amphipolis, Macedoniæ vel Thraciæ ciuitas, vel potius inter Thraciam Macedoniámque sita: neque enim inter scriptores de ea satis conuenit. Philippo Macedoni & Atheniensibus bellorum causam dedit. Hanc vrbem Brasides Lacedæmoniorũ dux bello Peloponesiaco occupauit, datóque negotio Thucydidi Olori filio historico, qui tunc in proxima regione magistratum gerebat, vti subueniret, ille cũ septẽ nauibus sero iam venit. Hæc ex lib. 4, Thucydidis.

Amphiro, teste Hesiodo in Theogonia, fuit nympha Oceani filia.

Amphisa, apud Ptolemæum, fluuius est in Phocide. Plinius Amphissam scribit. Inde Amphissæi qui Delphicũ templũ diripuerunt apud Demosthenem in oratione pro Ctesiphonte.

Amphistos, nomen proprium puellæ, vt notat Tortelius.

Amphitrite, Neptuni vxor fuit, cuius nuptias quũ initio fugeret, virginitatẽ seruare cupiens, misit ad eã Neptunus Delphinũ, qui varia per loca quæsitã, tandẽ ad radices Atlantis montis inuenit, & vt Neptuno iungeretur persuasit. Hinc poetæ maris deã esse dixere, & pro ipso mari vsurpare consueuerũt. Ouidius - nec brachia longo Margine terrarum porrexerat Amphitrite.

Amphitryo, princeps Thebanus, Alcmenæ matris Herculis maritus, à quo Hercules Amphitryoniades dicitur à poetis.

Amphrysus, fluuius est Thessaliæ à poetis celebratus, iuxta quem Apollo pauit armenta regis Admeti. Lucanus, -& flumine puro Irrigat Amphrysus famulantis pascua Phœbi. Et Virg. in Georg. -& te memorande canemus Pastor ab Amphryso &c.

Ampsalis, ciuitas Sarmatiæ in Asia, Ptolemæo. Albasequia hodie.

Amulius, rex Albanorum Numitoris frater, quorum historiam scribit Seruius his verbis, Amulius, inquit, & Numitor fratres fuerunt. Amulius fratrẽ imperio pepulit, & filiũ eius necauit: filiã vero eius Iliam Vestæ sacerdotẽ fecit, vt spem sobolis auferret, à qua se puniri posse cognouerat. Hanc, vt multi dicũt, Mars cõpressit, vnde sunt nati Remus & Romus: quos cum matre Amulius præcipitari iussit in Tyberim, tum vt quidam dicunt, Iliam sibi Anien fecit vxorem: vt alii, inter quos Horatius, Tyberis, vnde ait, Vxorius amnis. Pueri vero expositi ad vicinã ripẽ sunt: hos Faustulus reperit pastor, cuius vxor erat nuper meretrix Acca Laurẽtia, quæ susceptos aluit pueros. Hi postea auum suũ Numitorẽ occiso Amulio in regna reuocarũt: quibus dum cum eo angustum Albæ videretur imperium, recesserunt: & captatis auguriis vrbem condiderunt. sed Remus prior sex vultures vidit, Romus postea duodecim: quæ res bellum creauit, in quo extinctus est Remus: & à Ro-

mi nomine, Romani appellati. Vt autẽ pro Romo Romulus diceretur, blandimẽti gratia factum eſt, quòd gaudet diminutione. Quòd autem à lupa dicuntur aliti, fabuloſum figmentum eſt, ad cælandam authorum Romani generis turpitudinem: nec incongruè fictum eſt. Nam & meretrices lupas vocamus: vnde & lupanaria. Et conſtat hoc animal eſſe in tutela Martis. Hæc Seruius enarrans Virgilianum illud lib. 1. AEneid. - donec regina ſacerdos Marte grauis geminam partu dabit Ilia prolem.

Amycla, ciuitas eſt Laconiæ, vnde Seruius in illo Virgilii, Talis Amyclæi domitus Pollucis habenis Cyllarus.

Amyclæ tacitæ inter Caietam & Tarracinã, oppidum à Laconibus conſtitutum. Tacitæ autem appellatæ ſunt Amyclæ, Id eſt, Pythagoreæ: & Pythagorica virtus eſt quinquennale ſilentium. Incolæ enim Amyclarum, Pythagorici fuerunt. Eſt & alia expoſitio. Vide Seruium Virgilii interpretem in eum Virgilii locum, Et tacitis regnauit Amyclis.

Amyclas, Lacedæmonis filius, vt eſt author Dictys Cretenſis in lib. quem de expeditione Græcorum in Troianos compoſuit.

Amyclon, vrbs fuit Macedoniæ, ſeu Pæoniæ, nõ longè ab Actio fluuio, Troianis auxilium mittens, vt ſcribit Homerus lib. Iliad. 2.

Amylia, regio Italiæ, quæ & Flaminia dicitur, in qua Bononia eſt, & Imola, & Rauenna.

Amycus, inquit Seruius, filius Neptuni fuit, & nymphæ Melies, qui à Polluce victus eſt pyctali certamine. Hæc ille. Hui⁹ meminit & Ouidius li. 12, Met. Primus Ophionides Amycus penetralia donis Haud timuit ſpoliare ſuis &c.

Amyntas, pater fuit Philippi Macedonis. Eſt item paſtoris nomẽ apud Theocritum & Virgilium.

Amyntor, teſte Homero Iliad. 2, fuit Phœnicis pater, vnde dixit Ouid. in 3, Epiſt. Venerunt ad te Telamone & Amyntore nati.

Amythaon, fuit vir Argiuus, pater Melampi medici, vt oſtendit Homerus paſſim in Odyſſea, à quo Melampus ipſe dictus eſt Amythaonius, vt ſcribit Virgilius Georg. 3, Amythaoniúſque Melãpus.

A N

Ana, vel Anas fluuius eſt Hiſpaniæ qui Bæticam & Luſitaniam diuidit, modo in ſtagna ſe fundens, modo in anguſtias reſorbẽs, aut in totũ cuniculis condens, & ſæpius naſci gaudens: in Atlanticum Oceanũ effunditur, vt teſtãtur Strabo & Põponi⁹. vulgo Guadiana.

Anabis, fluuius eſt Hiſpaniæ apud Ptolemæum.

Anacharſis, Scytha, doctus philoſophus, pecuniam faſtúmque contempſit, vt docet Cicero libro 5, Tuſcula. quæſtionũ ex ipſius ad

Hannonem epiſtola. Is dum Athenienſium leges apud ſuos introducere conatur, vt patriæ conſuleret,à fratre eius loci rege ſagitta confoſſus eſt.author Laertius.

Anacreon,poeta Lyricus,patria Teius,ex Teo vrbe Ionum,in honore fuit apud Polycratẽ Samiorũ regẽ: cuius etiã puerũ Smeridiẽ dilexit. A Elianus. Huius poema totũ amatoriũ eſt,vt ſcribit Cicero.

Anactoria,ciuitas Moloſſorum in Epiro. Eſt itẽ inſula quæ poſtea Miletus dicta eſt,vt ſcribit Plinius.

Anagnia,ciuitas Hernicorum in Italia. Virgil.

-quos diues Anagnia paſcit.

Anâpis,fluuius eſt Siciliæ leniter defluens,dicente Ouidio,

Præterit & Cyanen,& fontes lenis Anapis.

Anauros, Theſſaliæ fluuius eſt, quaſi abſque aura dictus,dicente Lucano lib.6,

Quíque nec humentes nebulas,nec rore madentem
Aera,nec tenues ventos reſpirat Anauros.

Anaxagoras Clazomenius,philoſophus Anaximenis diſcipulus, cuius morientis præclarum dictũ refert Cicero lib. Tuſcul. quæſtionum primo. De hoc Suidas & Diogenes Laertius plura. Fuere item eodem nomine alii tres. Primus, de Iſocratis diſciplina veniens ſtatuarius: Alius,cuius meminit Antigonus: Tertius,grãmaticus Zenodoti diſcipulus.author Diogenes Laertius.

Anaxandrides,poeta Græcus comicus Rhodius, tẽpore Philippi Macedonis floruit. docuit fabulas. L . vicit vna, vt ſcribit Suidas.

Anaxarbus,ciuitas mediterranea Ciliciæ,vt ſcribit Plinius.

Anaxarbani,populi Ciliciæ,ab eadem vrbe ſic dicti,apud Pliniũ.

Anaxarchus,Democritæus philoſophus,vt refert Cicero li .3.de natura deorum,à Cyprio tyranno Nicocreonte excarnificatus eſt. Qui dum lapidea pila tyranni iuſſu tunderetur,ob veteres iniurias nullũ doloris præ ſe tulit indicium. Quin conuerſus ad carnifices, Tundite,inquit,pilam Anaxarchi:nã Anaxarchũ nõ tunditis. teſtes ſunt Laertius, Valerius, Cicero. Huius etiam meminit Ouidius,

Aut vt Anaxarchus pila minuaris in alta. Floruit autem Anaxarchus Olymp.c x.vt ſcribit Suidas.

Anaxaretes, Cypria Salaminia puella miræ pulchritudinis,& regali ſtirpe nata, quã Iphis infimæ ſortis inſanè amabat. Sed ab illa ſemper ſpretus,ad eius fores ſe ſuſpẽdit,vt ait Ouidius li. Meta.4.

Anaxenor, citharœdus fuit,quẽ Tyana ciuitas valde extulit : ſed magis M. Antonius, qui quatuor ciuitatum ei tributa legenda tribuit,vt ſcribit Strabo.

Anaxilas,poetæ comici nomen,cuius meminit Suidas.

Anaxilaus,proprium Lacedæmonii, cuius meminit Plutarchus in Alcibiade dicit enim Anixalaum & Lycurgum à Lacedemoniis in vincula coniectos,in iudiciúmque vocatos,ac deinde omni supplicio absolutos è vinculis exisse:de quo plura apud Plutarchum in Alcibiade.

Anaximander,Milesius philosophus, Thaletis auditor & successor,primus horologium & gnomonem inuenit, cæleſtiáque signa docuit.Is infinitatem rerum posuit, ex qua omnia nascerentur,vt refert Cicero Academicarum quæstionum lib.4.

Anaximenes, auditor & successor Anaximandri, aera infinitum asserebat,eúmque deum statuebat, vt author est Cicero Academic. quæstionum lib.4.

Anaxini,populi in quarta regione Italiæ apud Plinium.

Ancæus, Lycurgi fuit filius, authore Lactantio, & vt dicit Statius lib.5.Thebaid.

Cernimus AEacidas,murísque immane minantem

Ancæum &c. Ancæi huius meminit & Apolloni⁹ in primo Argonauticôn. Fuit & alius Ancæus, Neptuni & Astipalææ filius, rex Sami: qui quum esset agriculturæ magnopere studiosus, teste Aristotele,vites seruit admodum senex,ac tandem ab apro vastante suas vites interemptus est. Meminit & huius Apollonius Rhodius,& eius interpres.

Anchemolus,nomen est viri proprium,Tortelio.

Anchialos,vrbs Thraciæ sita in intimo sinu, atque vbi pontus alterum sui flexum angulo finit, nõ procul à magna Apollonia.Hæc Pomponius. Est & Anchialus,astrologi nomen, cuius meminit Cicero lib.2.de diuinatione.

Anchises,Troianus pastor fuit,& cũ eo amato Venus concubuit, vnde AEneas circa Simoin fluuium natus est, vt scribit Seruius.

Ancile,Ancilia,vel vt alii,Ancyle,scutũ breue fuit quod regnante Numa Põpilio cũ pestilens annus esset, è cælo cecidisse fertur:ideo sic appellatum, quia ex vtroque latere erat recisum & summũ, infimúmque latius medio pateret.De hac dictione multa Plutarchus in vita Numæ Põpilii,& Seruius Virgilii interpres,eius locũ hunc enarrans -læuáque Ancyle gerebat Picus equûm domitor.

Ancon, vel Ancona, vrbs in Piceno ad mare Adriaticum.Lucanus, Illis Dalmaticis obnoxia fluctibus Ancõ.de qua Ptolemæus, Plinius & Pomponius.

Ancus fuit quartus rex Romanorũ, sic ἀπὸ τοῦ ἀγκῶνος, Id est, ab incuruo cubito dictus,quẽ incuruũ habuisse dicitur,vt ait Seruius.

Andabatæ,gladiatores,qui clausis oculis pugnabãt.Cicero Treba

tio, Qui natare volueris in Oceano, ſtudioſiſſimus homo natādi:ne que ſpectare eſſedarios, quem antea ne Andabatam quidem defrau dare poteramus.

Andania, ciuitas eſt in Peloponneſo, apud Strabonem.

Andanis, apud Strabonem, fluuius eſt Carmaniæ regionis, cuius etiam meminerunt Plinius & Mela.

Andelus, ciuitas eſt Hiſpaniæ in Vaſconia nō procul à Pompeiopoli, quæ vulgò Pampilona appellatur: metropolis regni Nauarræ.

Andes, fuit vicus prope vrbem Mantuā, vbi natus eſt Virgilius. vnde à quibuſdam vocatur Andius vates. Andes, populus eſt Galliæ in prouincia Turonenſi, qui nunc Andegauenſes appellantur. de quibus Ptolemæus.

Andocides, orator Atheniēſis vnus è decem, filius Leogori, prognatus Telemacho Vlyſſis, vt meminit Hellanicus.

Andomatunnum, Lingonum ciuitas in Gallia, Ptolemæo authore. vulgò hodie Langres.

Andragoras, ſubita morte periit, authore Martiale lib. 6,

Lotus nobiſcum eſt hilaris, cœnauit, & idem

Inuentus mane mortuus Andragoras.

Andriaca, oppidum eſt in Media, & item Lycia, Ptolemæo: Rurſum in Thracia, Straboni.

Andrius, fluuius in Scamandrum fluens, apud Strabonem.

Androcleus, fuit philoſophus Porphyrii diſcipulus, cuius ipſe Porphyrius mentionem facit, vt refert Volaterranus.

Androdamus Rheginus, qui leges condidit Chalcidenſibus, qui ſunt in Thracia, vt ſcribit Ariſtoteles.

Androgeos, filius Minois regis Cretæ, occiſus doloſè ab Athenienſibus & Megarēſibus: Quare Minos Megarā vaſtauit, & Athenienſes coegit, quotannis mittere Cretā ſeptē adoleſcētes, & totidē puellas deuorādas à Minotauro. Fuit & Androgeos vn⁹ è Græcorū ducibus qui ad Troiā profecti ſunt, de quo ſic AEneas apud Virg.

Primus ſe Danaûm magna comitante caterua

Androgeos offert nobis, ſocia agmina credens.

Andromache, vxor Hectoris, quæ poſt excidiū Troiæ à Pyrrho Achillis filio in Græciam abducta eſt, & Heleno Troiano in matrimonium data. author Volaterranus.

Andromachus, adulator Craſſi, à quo tamen Craſſus ipſe Parthis prodit⁹ eſt. author Plutarchus. Fuit & Andromachus è Neapoli Syriæ filius Zona, qui grammaticus docuit Nicomediæ, Diocletiani principis tempore, vt author eſt Suidas.

Andromeda, filia Cephei regis AEthiopū & Caſſiopes, quæ pro-

pter superbiam matris alligata fuit saxo,& marinæ belluæ exposita in oppido Ioppe:sed Perseus eam liberauit & vxorem duxit.Est & Andromeda cæleste signum vel sydus. Andromeda enim Mineruæ beneficio, inter astra collocata dicitur,ob Persei virtuté, qui eam ceto propositam à periculo liberauit. De hac fabulam scripsit Euripides, quæ ab eius nomine Andromeda inscribitur.

Andronicus Rhodius,philosophus Peripateticus, cuius meminit Strabo. Fuit & alius Andronicus grammaticus desidiosior in professione Græca,ex quo minus idoneus ad tuendam scholam,cuius meminit Tranquillus. Andronicus item alius fuit historicus, qui res Alexandri scripsit,vt scribit Volaterranus.

Andros,quæ & Antandros, Phrygii litoris oppido cognominis, à qua Andrii: insula vna est è Cycladibus.quæ quia in orbé iacent, Cyclades dictæ sunt. Hæc Pomponius Mela.

Anglia,quæ ab eruditis Británia appellatur, insula est insignis in Oceano:quæ vndique à circũfuso mari alluitur, author Vadianus. vide in dictione ALBION.

Angolus, Ptolemæo Angula, Plinio Vestinorum vrbs in Italia, vulgò Angelus.

Anio,fluuius est,qui in Trebulanis ortus iugis Tiburtinos alluit, vt est author Vadianus Pomponii interpres.huius meminit Silius li.8, Quíque Anienis habent ripas,gelidóque rigantur
Simbriuio,&c.

Anius,rex fuit in Delo,dicente Virgilio lib.AEnei.3,Rex Anius, rex idem hominum Phœbíque sacerdos.

Annibales multi fuere,primus senior appellatus, Asdrubalis filius.Orosius lib.4,dicit hunc ob rem malè gestam à Carthaginensibus lapidibus obrutum.Liuius autem scripsit,cruci fuisse affixũ. Fuit item Annibal huius filius,qui missus est ab Amilcone duce in Lilybæum quod à Romanis oppugnabatur , ad Siculos in officio cõtinendos,vt est author Polybius.Fuit præterea Annibal alius Rhodius,dux item Carthaginẽsis in eodem bello,qui tandem à Romanis interceptus est, vt scribit Polybius. Fuit postremo Annibal Amilcaris filius,qui oẽs hos fama virtutéque superauit. Is sæpius Romanos vicit,fuditque.authores Liuius,Plutarchus,& Polybius.

Antæus, fuit gigas ex Terræ filiis:qui cũ Hercule cõgrediens,vt deprehensus est ex telluris tactu vires excrescere,ab eodem in aera sublatus,atque exanimatus est,vt scribit Volaterranus.

Antagoras,viri proprium,cuius sæpe meminit Plutarchus.

Anteas fuit, teste Plutarcho,Scytharum rex.

Antennæ,& Antennates,Italiæ populi,de quibus Strabo lib.5.

Antênor, vnus è principibus Troianorũ, qui Patauium condidit; quæ ciuitas hodie vulgo Padua appellatur, nũc à Venetis occupata: ditionis tamen ducum Austriæ, vt notant interpretes Melæ.

Anteros, filius Veneris & Martis, cuius meminit Cicero lib.3.de natura deorum.

Antharis, rex Longobardorum Theolindæ maritus, quum sex regnasset annos, insidiis domesticorum apud Ticinum extinctus est venenato poculo. author Paulus Diaconus de rebus gestis Longobardorum.

Anthedon, vrbs est Bœotiæ de qua sic scripsit Homerus ἀνθηδόνα τ' ἐσχατόωσαν. Etymon habet ex florente fertilique agro, vel ex Anthedone Neptuni prognato, habitata quondam Thracibus. de qua Pomponius & Strabo lib.9.

Anthemis, insula est maris mediterranei, quæ postea Imbrasus vocata est, & Parthenia à fluuio, authore Strabone lib.10.

Anthemus, vrbs Syriæ, apud Strabonem.

Anthenusia, ciuitas Mesopotamiæ, apud Strabonem lib.16.

Anthia, vrbs fuit propinqua Pylo, sub ditione Memnonis, vt scribit Homerus lib. Iliad.9.

Anthiũ, oppidum Thraciæ, de quo sic Plinius in Thraciæ descriptiõe, Astice regio, inquit, oppidũ habuit Anthiũ, nũc est Apollonia

Antho, fuit Amulii Albanorum regis filia.

Anthores, nomẽ est viri proprium, de quo Virg. lib. AEneid.10, Egregium Anthorem latus inter & ilia figit:
Herculis Anthorem comitem.

Anthybla, vrbs AEgypti, vt scribit Herodotus.

Anticasus, mons Seleuciæ, vt author est Strabo.

Anticlea, fuit Vlyssis mater, quæ quum duceretur ad Laertæ nuptias, ab Sisypho latrone AEoli filio capitur & adulteratur. Alii dicunt cum Laertæ iam nupsisset, & ad oraculum iam pergeret con sultura, captam à Sisypho latrone, & vt multi putãt ex eo Vlyssem concepisse. Quod Aiax apud Ouidium 13 Metamorph. vitio vertit Vlyssi dum dixit, -& sanguine cretus Sisyphio.

Anticyra, vrbs Phocidis, Straboni. tres enim vrbes vicinas in ora Phocidis ponit, Crissam, Cirrham & Anticyram. Altera est Anticyra quam Stephanus ad suum Maliacũ in Thessalia ponit. Hæc est helleboro clara, quãquam adagium de vtraque intelligitur, Nauiget Anticyras, de homine vehementer insano.

Antigone, illustris fœmina Laomedontis filia, & Priami soror: quam ob superbiã formæ Iuno conuertit in ciconiam. Antigone item filia fuit OEdipi regis Thebanorũ, quæ patri cæco & à Cre-

onte in exilium acto viæ dux extitit,vt Seneca in OEdipō, & Statius in Thebaide testātur.Quam cū postea iugulari fecisset Creon, Hæmon amator ad mortuæ tumulū se interfecit.Propertius lib.2,
Quid? non Antigones tumulo Bœotius Hæmon
Saucius ipse suo corruit ense latus.

Antigonus,rex Macedonum de quo multa apud Plutarchum in vita Pyrrhi.

Antigragus,mons Lyciæ Grago oppositus,vt testatur Strabo.

Antilochus,Nestoris ex Eurydice filius,interfectus in bello Troiano à Memnone Auroræ filio,vt tradit Homerus.

Antimachus, Colophonius poeta Græcus.Is quū poema quoddam obscurum in auditorio recitaret, atque omnes præter Platonem quòd minime illud intelligerent,discessissent, Plato mihi (inquit)pro omnibus.Nam & poetis hoc quidem concedi potest,oratoribus minimè: quum popularis sit illa facultas, illéque tantum sit bonus orator, qui multitudini placet.Hæc Cicero.De eodē Plutarchus in Lysandro. Antimachos quoque alios duos Suidas ponit,alterum AEgyptium patria Hieropolitanū,alterum poetā Melicum cognomento Psecam. Fuit item præter hos,etiā alius Antimachus Troianus, qui donis Alexandri,auróque corruptus, impedimento fuit quò minus Helena redderetur, quin pro concione Troianos hortatus est ne Menelaum dum legatus ad eos in vrbē venisset cum Vlysse, redire ad suos finerent, sed in vrbe asseruarēt, trucidaréntque.Author Homerus lib.Iliad.11.

Antinous Bithynicus,admirandæ pulchritudinis adolescens,tanta,támque elegāti fuit forma,vt Adrianus princeps,(à quo adamabatur) templū ei apud Mantineā constituerit, vt scribit Pausanias.

Antiochia, est Syriæ pars,vt author est Plinius in Syriæ descriptione,& item Pomponius. Est item Antiochia oppidum Mygdoniæ Asiæ,vt author est Plin.lib. 6.cap.13. Est præterea insula maris mediterranei Strongyle insulæ proxima,eodē Plinio authore.

Antiochus, nomen fuit regum Syriæ. ferè enim hoc nomine omnes vocati sunt, vt Antiochus Soter, Antiochus Deus, Antiochus Magnus, Antiochus Eusebius, de quibus Appianus copiosius in Syriaco,& Trogus. Fuit præter hos Antiochus Ascalonita, ex vetere Academia, dicendi peritissimus,Luculli præceptor, de quo Plutarchus in Lucullo. Antiochus item Syracusanus historicus qui scripsit de Italia.citatur sæpe testis à Strabone & Dionysio.Præter hos Antiochus sophista, quem AEgæ Cilicum tulere,doctissimus. de quo Philostratus.

Antiopa,Nyctei regis filia,& vxor Lyci Thebanorum regis, au-

thore Lactantio. Hæc,vt ferũt fabulæ,propter formam à Ioue adamata eſt,ex quo Zethum,& Amphionem ſuſcepit. Propertius,

Tu licet Antiopæ formam Nycteidos, & tu
Parthanam referas laudibus Hermionen.

Antipater, Iolai filius fuit è Paliura ciuitate Macedoniæ, miles Philippi, deinde inter Alexandri duces, & regni ſucceſſores, diſcipulus & ipſe Ariſtotelis, vir præter ſcientiam rei militaris, literatiſſimus,vt tradit Suidas. De hoc Antipatro ſic ſcribit Plutarchus, Antipater ſucceſſor Alexandri in regno Macedoniæ, poſt bellum Athenienſibus illatum,legatis ad eum de pace veniẽtibus, quorum princeps erat Xenocrates, reſpondit ſe in amicitia permanſurum, ſi ſibi Demoſthenes,& Hyperides dederentur:Si eius præſidium in Munichian,id eſt,Athenarũ arcem recepiſſent:Si denique abſumptam in eo bello pecuniam acceptáque damna reſarcirent. Quibus illi conditionibus conſenſerunt. Antipater alius, Sidonius poeta nobilis, qui extempore innumerabiles pene verſus faciebat, vt teſtantur Cicero & Quintilianus. Item Antipater Tyrius,philoſophus Stoicus, & Catonis Vticenſis præceptor, vt author eſt Plutarchus in Catone. Alius item Tarſenſis philoſophus, vt idem author eſt. Fuit præterea Antipater Herodis regis pater, Aſcalonita,vir maximus,& potentia præditus,de quo Volaterranus in hiſtoria Ieroſolymitana. Fuit & Antipater Hieropolitanus Sophiſta nobilis præceptor liberorũ Seueri principis,cuius etiã res geſtas ſcripſit,ac magiſter epiſtolarum fuit,vt eſt author Philoſtratus.

Antiphates,fuit filius nothus Sarpedonis, vt eſt apud Virg.li.9.

Et primum Antiphaten,is enim ſe primus aiebat
Thebana de gente nothum Sarpedonis alti.

Antiphon, Rhamnuſius orator antiquus, Athenis ſimul & dux præcepta dicendi tradidit,teſte Quintiliano, quo neminem melius orauiſſe cauſam capitis quũ ſeipſe defenderet, locuples. eſt author Thucydides.Huius meminit Cicero in Bruto,

Antiphonus, & item Antiphus Priami fuerunt filii ex Hecuba, vt ſcribit Homerus lib.Iliad.vltimo.

Antiphus,filius Theſſali,& nepos Herculis, qui cum fratre Phidippo dux triginta nauium cum aliis Græcis ad Troiam commigrauit,vt eſt apud Homerum lib.Iliad.2.

Antipolis,Galliæ Narbonenſis vrbs,Ptolemæo,vulgo Ragni.

Antipyrgus,Ptolemæo vrbs Marmaricæ,Straboni Tetrapyrgia, vulgo Lucho.

Antiſſa,oppidũ in Leſbo inſula:Sũt enim in ea inſula,oppida quinque,Antiſſa,Pyrrha,Ereſſos,Ciraua,Mitylene. Verba ſũt Põponii.

Antisthenes,Socraticus philosophus,acutus magis quàm eruditus, præceptor Diogenis,patientiam, & duritiam in Socratico sermone adamauit,vt scribit Cicero lib.3,de Oratore ad Quintũ fratrem. Fuere item alii tres,Vnus de schola Heracliti,Alius Ephesius,Tertius Rhodius,historicus,vt tradit Diogenes Laertius.

Antiuestæum promontorium Britanniæ,quod etiam dicitur Bolerium, apud Ptolemæum. Diodoro Belerium,vulgo S. Burien:in Cornubia seu Cornualla.

Antium,oppidũ vetus in Latio iuxta mare, cuius meminit Ptolemæus,nunc penitus dirutum.Erat ibi templum Fortunæ,vt Horatius innuit.hodie Neptunium dicitur.

Anûbis, AEgyptiorũ deus. Quia canino capite pingitur,hũc volunt esse Mercurium, quia nihil est cane sagacius. author Seruius enarrans illud Virgilii,Omnigenúmque deûm monstra,& latrator Anûbis.

Anulus,fluuius Mauritaniæ,apud Plinium.

Anxur,Volscorum lingua oppidi nomen,quod hodie Tarracina appellatur,vt placet Plinio.

Anysis,AEgypti rex,vt scribit Herodotus lib.2.

Anytus,vir Atheniensis,Socratis inimicus:de quo Plutarchus in vita Socratis.

A O

Aon,vt dicit Lactantius, fuit Neptuni filius,& ab eo dictam affirmat Aoniam,quæ quidem pars est Bœotiæ. Addit Perottus Aonem filium reliquisse Dymantem,qui patri in imperio successit.

Aonia, pars montana Bœotiæ. Nam Aones, erat populus vetustus in Bœotia,à quibus Aones mõtes dicti sunt,in quibus est fons Aganippe,qui dicitur Aonius fons. Item Aonides vocãtur Musæ, quibus ille fons dicatus est.Vnde Iuuenalis,

-cupidus syluarum aptúsque bibendis Fontibus Aonidum.

Aonius,id est,Bœotius,vt placet Seruio apud Virgilium, Aonio rediens deducam vertice musas.

Aornos,vrbs in Epiro,vt est apud Ptolemæum.

A P

Apæi,populi in AEthiopia sub AEgypto,vt tradit Ptolemæus.

Apamea,ciuitas Parthorum,Ptolemæo. Est item ciuitas Ponti,apud eundem. Est præterea insula,teste Plinio,à Tigride circunfusa,cui Antiochus id nomen à suæ matris nomine imposuit.

Apamia, vrbs minoris Asiæ, prius dicta Celene,quam Nicanor construxit.

Apelles,pictor eximius,patria Cous:& teste Quintiliano li.12.de

Institutione oratoria,ingenio & gratia, quam in se maxime iacta-bat præstantissimus.Nam,vt ait Plinius lib.35,omnes prius genitos futurósque postea superauit,& picturæ plura solus prope,quàm cæteri omnes cõtulit,voluminibus etiam ad Perseum discipulum suũ editis,quæ doctrinam eam continerent. Is moriens Venerem reliquit,quam nemo ausus est perficere. Fuit & Apelles alter è sectatoribus Marcionis,de cuius hæresi scribit suæ historiæ lib.5.

Apeneste,Ptolemæo Apuliæ vrbs,vulgo Manfredonia.

Aphrodisium,Cariæ promontoriũ est Pomponio,quod Aphrodisias Plinio appellatur. Est & Aphrodisiũ Ptolemæo, vrbs Africæ, quæ vulgo Africha dicitur. Est præterea Aphrodisium Hispaniæ Tarraconensis promõtorium,eodẽ authore. vulgo Labo de cruz.

Aphrodisius,præsul Bituricẽsis Petri discipulus, genere AEgyptius,iacet apud Bituriges,vt tradit Volaterranus.

Aphthonius Sophista,scripsit προγυμνάσματα, id est,præexercitationes in rhetorica. Item artem Hermogenis,cuius adhuc liber extat.

Apidanus,fluuius vnus è præcipuis Thessaliæ,& tardè fluere dicitur,quousque illi cõmiscetur Enipheus,vt scribit Herodotus li.7.

Apis,lingua AEgyptiaca bos dicitur,& erat viuus bos,quem colebant AEgyptii: sed incerto tempore ipsum submergentes,alium quærebãt cum luctu. Vide Strabonem lib.vltimo,& Plinium lib. 8.cap.46.

Apiscion,nomen viri Troiani proprium.

Apitius, altissimus nepotum gurges, vt scribit Plinius. libros de gula conscripsit,vt author est Suidas, pro qua multas absumpsit opes.Huius etiam meminit Martialis,

Ipse quoque ad cœnam gaudebat Apitius ire:
  Quum cœnaret,erat tristior ille,domi.

Hic & cõgiaria principum, & ingens Capitolii vectigal comessationibus hausit. Seneca de cõsolatione ad Albinam matrem sic scribit de Apitio,Apitius nostra memoria vixit,qui in ea vrbe,ex qua aliquando philosophi velut corruptores iuuentutis abire iussi sunt, sciẽtiam popinæ professus,disciplina sua seculum infecit.Hæc ille.

Apœninus,mons est qui ab alpibus proficiscens, vniuersam Italiam vsque in Siciliam diuidit. M. Cato Pœninum montem eum nominare videtur, per quem Annibal exercitum traiecit in Galliã. Hinc Apœninus,dictus quòd radices sub Pœnino transitu Annibalis habeat. Hæc Vadianus Pomponii interpres. huius montis meminit Lucanus lib.2.

Apollo. Apollines quatuor Cicero ponit. Primum,antiquum cu-

ftodem Athenarum: Alterum, Corybantis filium natum in Creta: Tertium, Ioue & Latona natum, qui ex Hyperboreis Delphos venerit, quanuis Eufebius antiquiorem illum defcribat. Quartum, in Arcadia, quem Arcades, quòd illis leges dederit, Nomion vocant. Deinde ob nimiam feueritatem regno pulfus, ad Admetum Theffaliæ regem confugit, & iuxta Amphrifum amnem eius armenta pauit. Quare à pofterioribus pro deo colitur: & ab Homero variis nominibus appellatur, vt Ἀργυρότοξος ἑκάβολος, ab eius fcilicet artibus & inuentis.

Apollodôrus, Athenienfis grammaticus Afclepiadis difcipulus, Panætii Rhodii philofophi difcipulus, & Ariftarchi grammatici. Is primus genus metri Triambici inuenit, vt teftatur Suidas. Scripfit quoque hiftoriam Athenienfium vfque ad reditum Heraclidarũ, vt eft author Diodorus Siculus. Apollodôrus item alius Tarfenfis, Tragicus, cuius tragœdias Suidas recenfet. Apollodôrus item Athenienfis poeta Comicus, tempore quo & Menander fuit, fabulas ipfius nonnullas commemorat Suidas. Præter hos, Apollodôrus Pergamenus extitit Cæfaris Augufti præceptor & familiaris: fcripfit de arte Rhetorica, vt author eft Strabo.

Apollonia, nomen fuit plurium vrbium, quarum vna fuit in Epiro, quatuor millibus paffuũ à mari diftans, vt teftis eft Plinius lib.4. natural. hiftoriæ. Alia, eodem tefte, fuit in Creta. Alia item in Syria, vt idem Plinius lib.5. docuit. Alia præterea, tefte Herodoto, lib.4. fuit in Thracia. Apollonia Syriæ, hodie Bonandria. Apollonia autem Epiri, hodie Velona. La valone, ex qua in Italiam traiectus breuis.

Apollonius Rhodius, quòd in Rhodo agitaret. Alexandriæ autẽ natus, Callimachi difcipulus, æqualis Eratofthenis grãmatici, cuius etiã fucceffor in præfectura bibliothecæ apud Ptolemæum Euergeten. fcripfit Argonautica verfu hexametro. author Suidas. Fuit item Apollonius Alexandrinus, cognomento Dyfcolus, pater Herodiani grãmatici, nobilis & ipfe grammaticus, filiúmque erudiit. Scripfit de compofitione partiũ orationis, & alia complura in arte grammatica. Apollonius Aphrodifeus hiftoricus fcripfit res Carias de Trallibus, de Orpheo, eiúfque myfteriis. Apollonius Molo Rhodius, præceptor Ciceronis, Romæ docuit, quo legatus venerat de præmiis Rhodiorũ, Dictatore Sulla. orator vnus in caufis, fcriptórque præftantiffimus, & in adnotandis, animaduertendífque vitiis, & inftituendo, docendóque præftãtiffimus, vt ait Cicero in Bruto. Apollonius item fuit Alabandenfis, (Alabanda autem oppidũ eft Minoris Afiæ) dicendi magifter: qui cũ mercede doceret, tamen

non patiebatur eos quos iudicabat nõ posse oratores euadere, operã apud se perdere, dimittebátque quéque ad quancunque artem putabat esse aptũ, vt scribit Cicero lib. primo de Oratore. Ad hos, Apollonius quidam fuit Nyssæus Panætii Stoici familiaris. Strabo Apollonius, præterea Erophilius appellatus quòd Eriphili discipulus fuit, scripsit de vnguentis, vt est author Athenæus. apud Pliniũ tamen Apollodôrus scribitur. Philostratus præter hos, duos ponit inter Sophistas Apollonios, Naucratitam vnum: alterũ Atheniensem, qui ambo M. Antonini principis tempore concurrentes, docuere Athenis. Apollonius item Tyaneus philosophus, cuius vitam Philostratus scripsit, & ante hũc Damis Apollonii ipsius peregrinationis comes.

Aponus, vicus ad Euganeos colles in Italia prope Patauiũ, vbi & aquæ calidæ variis morbis aptæ Claudiani elegiaco carmine laudatæ, & à Theodorico Gotthorũ rege mœnib⁹ cinctæ, teste Cassiodoro.

Appia, via est à Roma in Campaniam, & ad mare vsque Brũdusium, quã Appius Claudius consul lapidibus strauit, vt author est Cicero in oratione pro Milone.

Appianus, Alexandrinus, XXII libros historiæ Romanæ composuit: quorum nouem tãtum ad nos peruenere. vixit autem ipse Adriani principis temporibus, vt ipse author est in Syriaco.

Appion, Græcus scriptor, qui πολνίσωρ est appellatus, facili atque alacri facũdia fuit, vt est author Gellius. Is res gestas Alexãdri Macedonis scripsit.

Appius Claudius cæcus, orator fuit Romæ, vt author est Cicero in Bruto. huius etiam meminit Tuscul. lib. 4.

Apsorrus, vrbs ponti Cappadocii, Ptolemæo: hodie Arcani.

Apuani, Ligures sunt, teste Liuio lib. 10, Sempronius (inquit) è Pisis in Apuanos Ligures vastando aperuit saltus, &c.

Apulia, regio Italiæ notissima est, in qua sunt vrbes Barium oppidum ditionis Mediolanẽsium principum, Beneuentum, Luceria, & mons Garganus. author Vadianus.

A Q

Aquæ augustæ, Ptolemæo, vrbs Aquitaniæ in Gallia, vulgo Baiona

Aquæ calidæ, vrbs insulæ Britãniæ, Ptolemæo: vulgo Bathe. Est & vrbs eiusdẽ nominis Ptolemæo, vicus aquarius aliis dictus, vulgo Vich, vique.

Aquæ mortuæ, oppidũ Galliæ Narbonẽsis opere C. Marii, C. passus à Rhodani ostiis deductæ, vt ait Plinius. vulgo Aigues mortes.

Aquæ Sextiæ Salyum, Galliæ Narbonensis vrbs, nunc Aquẽsis, ciuitas quã Sextius dux redactis in potestatem Salybus ædificauit, vbi erant aquæ calidæ. Author Strabo. vulgo Aix en Prouence.

Aquila, vrbs Brutiorum, ex ruinis Furconii antiquissimi oppidi, à Longobardis ædificata, vt scribit Volaterranus.

Aquileia, à Romanis condita in Italia, incumbentibus Barbaris, opposita: emporium Illyriacarum gentium. verba sunt Strabonis. Liuius de bello Macedonico, Aquileia (inquit) colonia Latina eodem anno in agro Gallorum deducta. Hæc enim vrbs non prius caput extulit quàm subactis Pannoniis, ex quibus tanquam claustris ad Danubium patefactis, tutum id cœpit esse iter, quod teste Tranquillo Augustus sæpe frequẽtauit. Hæc Liuius. Aquileiensiũ fides probata est Maximinorum patris & filii bello, vt scribit Capitolinus. Aquileia, hodie Algar castellum vulgo.

Aquinum, Latinorum oppidum, quod Melpha fluuius alluit, vt author est Strabo. vulgo Aquino S. Thomæ patria.

Aquisgranum, Germaniæ nobilissima ciuitas, prius Vegerra dicta: Caroli Magni sepulchro nobilitata.

Aquitania, tertia pars Galliæ, de qua sic Plinius li. 4, scribit, Gallia (inquit) omnis Comata vno nomine appellata, in tria populorum genera diuiditur, amnibus maximè distincta: à Scalde ad Sequanã, Belgica: ab eo ad Garumnam, Celtica, eadémque Lugdunensis. inde ad Pyrenæi montis excursum Aquitania, Aremorica antè dicta. Hactenus Plinius.

Aquula, oppidum Hetruriæ, vnde Aquulenses & Aquenses Plinio, & Ptolemæo dicti.

A R

Arabarches, M. Antonius dictus est à Cicerone in epistola quadam ad Atticum, quasi AEgyptius publicanus.

Arabia, Asiæ regio est. Ea autẽ triplex est, Petrea, Deserta, Fœlix. Petrea sic dicta à Petra vetustissimo oppido, AEgypto, Iudææque confinis est, authore Ptolemæo: Straboni autẽ ac Plinio alio nomine Nabathea dicitur. Post Petreã Arabia deserta Ptolemæo vocata, Straboni autẽ Scenetis, vbi & Scene vrbs Plinio, ἀπὸ τῶν σκηνῶν dici placet, quòd gẽs vaga & sine ædificiis in tentoriis habitet. Hæc à Meridie mõtibus Arabiæ Fœlicis cincta est, à Septentrione Mesopotamiam habet, ab Occidẽte, Petream. Arabia Fœlix Meridiem versus, inter duos sinus Arabicum, & Persicum, veluti peninsula excurrit, quæ, vt Strabo scribit, bis vt India, seritur ob fœcunditatẽ, fluminibus scatet. de hac vide Plinium lib. 6. cap. 28.

Arabus, fuit Apollinis ex Babylone filius, quem quidam medicinam adinuenisse volunt. author Plinius lib. 7.

Arachne, puella Lydia lanificii peritissima, ægreferẽs opus suũ à Pallade, quacũ certamẽ susceperat cõfractũ, laqueo gulã sibi fregit:

quam Pallas in araneam mutauit.author Ouidius lib.6.Metam.
Non tulit infœlix,laqueóque animosa ligauit
Guttura,pendentẽ Pallas miserata leuauit.à Græcis ἀράχνης, à Latinis Aranea dicitur. Virgil.lib.4.Georg.
In foribus suspendit aranea casses. & (vt notat Seruius) Araneus etiam ab antiquis dicebatur.

Arachosia, vna est è Satrapiis vltra Indum fluuiũ,cuius meminit Plinius in descriptione Indiæ,& Strabo lib.11. Scribitur & Aracosia sine aspirationis nota in antepenultima.

Aracthus,vnus è quatuor nobilissimis fluuiis Epiri.Strabo.

Aracynthus,vrbs Bœotiæ, & mons,vt scribit Volaterranus.

Araduca,vrbs Hispaniæ Ptolemæo: vulgo Arzua.

Aradus, Phœniciæ ciuitas Tripoleos, non procul à Tyro & Sidone. Tripolis enim maritimum oppidum sic dictum est à tribus oppidis,scilicet Tyro,Sidone,atque Arado, vt authores sunt Plini⁹ & Strabo. Arado opposita est Antaradus in Meridiem,quæ hodie Tortosa dicitur,amœnissima ciuitas,sita non procul à Damasco, vt Ptolemæus tab.Asiæ 4.indicat.

Aræthyrea, vrbs in Peloponneso quam amœnam esse dixit Homerus lib. Iliad.2.

Aræ Flauiæ,Germaniæ vrbs ad Danubium, Ptolemæo, vulgo Nordlingen.

Aramæi, Plinio sunt Scythæ. scribit enim Scythas vocatos esse Sacas à Persis,lingua verò Persica Aramæos.

Arar,fluuius est Galliæ,atque ex eodẽ,ex quo Rhodanus,monte exiens,in Rhodanum ipsum iuxta Lugdunũ immergitur: alio nomine nũc Sagona dicitur, qui adeo lenis fluit, vt nescias in vtram partem descendat:clarus ponte Cæsaris vno die militum operæ fabricato. Araris item dicitur,sed per Apocopen Arar,vt testatur Priscianus in 7.hodie Sagona,vulgo La Sone.

Ararus,Scytharum fluuius est,vt ostendit Herodotus libro historiarum 4.

Arator,poeta Christianus,Romanus subdiaconus fuit, qui Apostolorum acta hexametro versu cõposuit,vt notat Volaterranus.

Aratus,poeta Græcus antiquissimus,qui optimè de Astrologia iudicio Ciceronis scripsit.Cuius Phænomena Cicero vertit adolescẽs, vt scribit ipse lib.2.de natura deorum. Fuit item Aratus dux Sicyonius tyrannus maxime infestus, vt scribit Liuius lib.69, & 70.

Araurius fluuius est Galliæ Ptolemæo:Straboni,Rauraris appellatus.Is etiã prope Massiliam Petrosus vocatur, quòd lapidibus sit maxime refertus.Vide interpretem Pomponii.

Arauſio,nunc Arauſinenſis ciuitas dicta,vulgo Aurenge,principatus nobiliſſimus, qui nunc ditionis eſt Anaxonenſium principū. Fuit olim Arauſio Secundanorum, vt alii Sextanorum, Septumanorúmque: & id genus cognominibus appellantur à legionum videlicet ordine,numeróque.De his plura Vadianus Pomponii Melæ interpres.

Araxes,Armeniæ fluuius ex eo monte ex quo Euphrates naſcitur, contrario tamen ei curſu, verſus Orientem tendens, vſque ad Atropatiam:deinde in Boream conuerſus Azaram præterlabens in mare deſinit Hyrcanum,vt author eſt Strabo.Herodoto tamen ſecus viſum eſt. Porro Araxes ἀπὸ τοῦ ἀράσσειν vocari, quòd opera Iaſonis & labore Penei Theſſalici, montium continuationē diſrupit.Stephanus & item Strabo authores ſunt.

Arba,inſula,& ciuitas Illyrici apud Plinium lib.4.cap.21.

Arbies, populi ſunt Indiæ, & Arbis Indiæ fluuius, authoribus Plinio & Strabone.

Arca,Syriæ cœles, vrbs antiquum adhuc retinens nomen inter Barbaros.eius meminit Ioſephus v,Antiquitatum.

Arcadia,in medio Peloponneſi ſita, ab Arcade Iouis filio nomen accepit,dicta & Parrhaſia,& Pelaſgia,& Lycaonia,&Azania,& Gigantis & Pama Euſtathio Homeri interpreti.

Archadius grammaticus, ſcripſit nonnulla grammatica cōmemorata à Suida.

Arcas,Iouis filius & Caliſtonis,à quo Arcades denominati ſunt: quos quia vetuſtiſſima gens eſt,fabulātur ante Solem & Lunam ex arboribus eſſe natos.

Archander,teſte Herodoto lib.2,fuit Danai ſocer.

Arceſius,nomē eſt viri propriū.de quo Homerus lib.x I Odyſſ.

Archedicus,poeta comicus,ſcripſit contra Democharem Demoſthenis propinquū:fabulæ ipſius Theſaurus & Diamartanon.Author Athenæus.

Archelaus Mileſius,Anaxagoræ diſcipulus fuit, vt ſcribit Cicero lib.Tuſculanarū 5,& Socratis præceptor. Primus Phyſicam philoſophiam Athenas inuexit: quapropter appellatus Phyſicus fuit. Hic vitia & virtutes non natura, ſed lege conſtare dixit. Fuere itē tres alii, vnus,chorographus, qui omnem ab Alexandro peragratā terrā deſcripſit. Alius,qui phyſicen carmine ſcripſit.Tertius,qui de Oratoria ſcripſit, vt eſt author Diogenes Laertius. Archelai item in Cappadocia regnauerunt: ex his ille qui ſuperatus à Sylla eſt quòd Mithridati auxilium tuliſſet: Alterū Romæ retinuit Tyberius. Item Archelaus Herodis, de quo in hiſtoria Ieroſolymitana.

Præter hos, Archelaus Macedoniæ rex Perdicæ filius ſuo tempore fortunatiſſimus iudicatus,vt ſcribit Cicero li.5, Tuſculanarũ quæſtionum. Archelaus item fuit præſul Meſopotamiæ, qui librum diſputationis cõtra Manichæum Syro ſermone cõpoſuit ſub Probo imperatore.Author Hieronymus.

Archemolus,Rhœti Marrubiorum regis filius in Italia.Legendũ videtur Anchemolus,vt apud Virgilium lib.5,AEneid.

Archemorus, Lycurgi regis Nemeæ filius,à ſerpente infans necatus, dum nutrix, quæ ſitientibus Argiuis fontem oſtenderet, eum dimiſiſſet in gramine. In cuius honorem inſtituti ſunt ludi Nemei, vt author eſt Archias poeta lib.primo epigram.Græcorũ.

Archeptolemus,fuit Hectoris auriga,ſuffectus in locum Enipei, qui à Diomede interfectus eſt.

Archeſilas,Polemonis diſcipulus,fuit in diſputando pertinacior, & magno ingenii acumine, vt ſcribit Cicero de finibus bonorum & malorum lib.quinto.Is conſtitutam philoſophiam,vt Gracchus rempublicam euertit, vt idem Cicero author eſt lib. quarto Academicarum quæſtionum. Fuit item ſculptor Archeſilas nomine, fama nobilis,præſertim Dianæ ſimulachro,in quod extat Simonidis epigramma.

Archeſilaus,vnus fuit è quinque ducibus Bœotorũ,qui ad Troiam cum quinquaginta nauibus aduenerunt, vt oſtendit Homerus lib.Iliad.ſecundo.Alius fuit philoſophus Theophraſti auditor, qui tandem in Academiam ſe ad Crantorem contulit: & cum in dicẽdo exercitatus eſſet,& grauiſſimus, poeticæ quoque operam dedit.De quo multa Laertius.

Archias,poeta Antiochenus,Romæ fuit in amicitia multorum clarorum oratorum, præſertim Lucullorum: & à nonnullis Græcis populis honoratus, & eorum ciuitatibus donatus: Ciceroni in primis familiaris. Hic quum diſcederet è Sicilia, cum L. Lucullo Heracleam venit, & adſcribi in eandem voluit: quod & ſua virtute, & Luculli amicitia facile impetrauit. Deinde lite mota à Græco quodam,Cicero ipſum defendit,vbi multa de laudibus poeticæ dixit.Pædianus. Fuit item Archias,qui condidit Syracuſas,vt ſcribit Volaterranus. Rurſum Archias,fuitHyblæus quidam præco celeberrimus: vicit tres Olympiadas & Pythica: vbi icon ipſius & epigramma Græcum.Pollux.

Archibius,Alexandrinus grammaticus,docuit Romæ ſub Traiano principe:ſcripſit commentarios in epigrammata Callimachi, vt teſtatur Suidas.

Archidamus,princeps Lacedæmoniorum, vir bello clarus, Te-

lidis filius, Methonem ad Athenienſes deficiẽtem recepit. in bello contra Pilum primus è naui proſiliens, nec vulneratus eſt, nec ſcutum amiſit. denique aduerſus Amphipolim ſtrenuè decertauit. Inſimulatus poſtremò, quòd Agnonis Thraciæ regis amicitiæ ſtuderet, damnatus eſt, vt ſcribit Suidas.

Architas, Tarentinus philoſophus, cuius meminit Cicero libro tertio de oratore. Pythagoricus fuit, Tarentinorum rempublicam rexit, exercitus ductando, nec vnquam ſuperatus, vt author eſt Ariſtoxenus. ſcripta eius non feruntur, niſi quædam ad Platonem epiſtola, eius in Geometria diſcipulum. Fuit item Architas, alius Mitylenæus muſicus: cui quũ probro daretur, quòd non exaudiretur, reſpondit, Inſtrumentum pro me loquitur. Fuere prætera alii duo: vnus qui de agricultura ſcripſit, alter poeta epigrammatum. Author Diogenes.

Archilocus, poeta Græcus iambicus, qui perſecutus eſt Lycamben ſocerum ſuum, quòd ei filiam pactam alii locauerat: eúmque ad laqueum, ob Iamborum petulantiam in eum ſcriptorum compulit. Ex quo Horatius,

Archilochum proprio rabies armauit Iambo. Ouidius,

Tincta Lycambæo ſanguine tela madent. Quintilianus, Archilocus primus inter eos qui Iambos ſcripſere, ſumma in eo vis, elegantes ſanè vibrantéſque ſententiæ, plurimum ſanguinis atque neruorum, adeò vt videatur quibuſdam, quod quidem veneni eſt, materiæ eſſe, non ingenii vitium. emicuit regnante Romulo, vt ait Cicero in Tuſculanis. Fuit item Archilocus, Neſtoris & Eurydices filius, vt docet Homerus in Odyſſ.

Arcilacis, oppidum eſt in Hiſpania, vt author eſt Ptolemæus.

Archimedes, Syracuſanus, geometra nobiliſſimus, tanta in ipſa ſcientia dulcedine dicitur verſatus, vt ſæpenumero inuitus ad balnea ductus, dum perungendus in cratere conſtitueretur, per corporis vnguenta, figuras ac lineamenta digito inſcriberet. De quo plura apud Plutarchum in vita Marcelli. Cicero in Tuſculanis quum eſſet in Sicilia quæſtor, ſepulchrum eius inter vepres inueniſſe gloriatur. Fuit & alter Archimedes grammaticus genere Trallianus, qui commẽtarios in Homerum & Mechanica ſcripſit. Author Suidas.

Arcina, oppidum eſt Ptolemæo in Dacia.

Arctax, mons eſt Propontidis, apud Strabonem.

Arcti, duæ ſunt, quæ Septentrionali polo nixæ vehuntur, Arctico circulo clauſæ, & ita collocatæ, vt vtraque reſupinata, alterius contegat caput: ſed caput eius quæ ſuperior eſt, ad caudam inferio-

ris contendat: Alteram maiorem Vrſam ſiue Elicem:alteram minorem Vrſam,ſiue Græcorum lingua, Cynoſurã,id eſt canis caudam nominãt. Illam Græciæ populi notare ſoliti,hanc Sidonii aſpicientes aſſiduè nauigant.Ouidius,

Eſſe duas Arctos,quarum Cynoſura vocatur
Sidoniis,Elicem Graia carina notat.

Elicem ſcribit Heſiodus Caliſtona Lycaonis Arcadiæ regis filiam fuiſſe.Hanc ſtudio venationis inductam,relicto patre,ſeſe in ſyluas contuliſſe,factámque vnam ex comitibus Dianæ: à qua cum mirifice amaretur, quodam die ſolam in ſyluis inuentam,Iouem cõpreſſiſſe . Quod facinus quum aliquando celaſſet, tandem iuſſam cum cæteris virginibus lauari,tumore vteri crimen detexiſſe.Quã obrem indignatam deam,in Vrſæ effigiem illam commutaſſe,quæ Græcis ἄρκτος appellatur.inea ſpecie non multo poſt filium peperiſſe,quem Arcada nominauit:à quo poſtea dicta eſt Arcadia Peloponneſi regio.Ab Arcto oritur Arctous,Arcticus,& Antarcticus.

Arctophylax,quaſi Vrſæ cuſtos,eſt ſtella iuxta maiorem vrſam, quæ & Bootes dicitur,cuius meminit Cicero in Oratore.

Arcturus,ſtella eſt quã Vrſæ caudam interpretari lubet, eo quòd in cauda ipſius Vrſa locata dicatur:de qua Cicero li.ſecundo de natura deorum,verſus referens Arati,inquit,

Stella micans radiis Arcturus nomine claro.

Ardea, Turni & Rutulorum regia in Latio,ſic dicta, vt ait Seruius Virgilii interpres, quaſi ardua, id eſt magna & nobilis.licet Iginus ab augurio auis Ardeam dictam velit.Hæc Seruius.

Ardiſcos,teſte Ariſtarcho,fluuius Scythiæ,cuius meminit & Herodotus lib.4.

Ardis,filius Gygis Lydorum regis,cui etiam in regno ſucceſſit,vt ſcribit Herodotus lib.1.

Arelate, ciuitas in Norico, teſte Ptolemæo.vulgo Lintz. ditionis eſt principum Auſtriæ.

Arelate, Galliæ Narbonenſis vrbs inter Salyes. Plinio colonia Sextanorum dicta, quòd è ſexta legione milites coloni eò deducti ſint.Strabo Arelatem iuxta Rhodanum ſitam, ampliſſimo emporio inſignem eſſe ſcribit, hodie Honorato & Hilario ſanctiſſimis præſulibus ſuis clara.Vulgo Arles.

Arena, ciuitas eſt Triphyliæ & Meſſeniæ in Peloponneſo. Homerus Ἀρήνην ἐρατεινήν,amœnam vocat,quòd flumine Mineio abluatur,vt notat Euſtathius eius interpres.

Arete,vt in Odyſſea ſcribit Homerus, quã Alcinous Phæacũ rex duxit vxorẽ,& ex ea Nauſicam filiam,& tres filios ſuſcepit.ad hãc

Vlyſſes ductu & conſilio Palladis transformatæ in effigiem Calpis virginis,à Calyſtone nympha veniens naufragus acceſſit, & multa illi interrogatus expoſuit,& tandem honorificè ab ea ſuſceptus eſt. Ex Bocatio.

Arethuſa,virgo venatrix Dianæ comes,ſecundum fabulas,quæ dum ſe in Alphæo poſt laborem lauaret, ab eo adamata eſt: & diu fugiens, deorum miſeratione in fontem mutata,per ſecretos meatus in Siciliam venit. Quod etiam Virgilius oſtendit,

Et tandem poſitis velox Arethuſa ſagittis. Hæc ex Seruio grammatico. Eſt item Arethuſa vrbs vna Eubœæ,altera Syriæ.author Volaterranus.De Arethuſa vide Bocatium cap.18.lib.7.

Aretium,vrbs Thuſciæ,Plinio.à Græcis condita, C C C C ſtadiis diſtans à Peruſio,vulgo Arezo.

Aretus filius fuit Neſtoris & Eurydices, vt ſcribit Bocatius lib. decimo.

Arganthonius,rex fuit, vt teſtatur Herodotus, in Arna ciuitate Bœotiæ.Fuit item Arganthonius,rex in Hiſpania,quem Plinius ait vixiſſe C X X annos: Silius autẽ trecentos,qui eius meminit. li.3,

Arganthoniacos armat Carteia nepotes:
Rex proauus fuit humani ditiſſimus æui:
Ter denos decies emenſus belliger annos.

Argentoratum,vrbs Galliæ,authore Ptolemæo lib.2. alio nomine Argentina,vulgo Straſburg.

Argeſtes,ventus eſt,alio nomine Caurus appellatus.

Argîa,fuit filia Adraſti regis Argiuorum,&vxor Polynicis:quæ quum viri ſui in bello cæſi funus crearet,à Creonte tyranno necata fuit,cuius meminit Statius lib.2,

Egregiam Argîam,nec formæ laude ſecundam
Deiphilem,&c.

Argiletum,ab Argo dictum,quòd is eò venerit, ibíque ſepultus ſit.Virgilius,

Et lætum docet hoſpitis Argi. Quanuis aliqui ab argilla deductũ potius velint,quòd id genus cretæ ibi eſſet. Erat autem Argiletum locus in Vrbe prope palatium,vbi tabernæ opificum erant,præſertimque bibliopolarum,à quo Argiletanæ dicebantur.Martialis,

Argiletanas mauis habitare tabernas.

Argilus,fuit,teſte Herodoto,lib. hiſtoriarum ſeptimo, vrbs AEmathiæ, non procul ab oſtiis Strymonis fluuii verſus Occidentem.

Argiripa,Apuliæ vrbs,à Diomede condita,vt ſcribit Virgilius libro decimo.

Argippei,populi sunt vltra Sauromatas, vt ostendit Herodotus lib.historiarum 2.

Argissa,Thessaliæ ciuitas est prope Peneum,condita à filiis Larissæ,deinde Argura vocitata.Author Volaterranus.

Argo,nauis fuit,in qua Iason cum L I I I I heroibus nauigauit Colchos.dicta autem est Argo,vt quidam scriptores asserũt, vel ab Argo architecto,qui etiam inter nauigandum,eius resarciendæ curã susceperat.alii ab eius velocitate:antiqui enim ἀργὸν velox appellabant. fuítque,teste Diodoro,iuxta Pelion ædificata, magnitudine atque apparatu longe maiore, quàm quæ ad eam diem fieri cõsueuerant.Erat enim antea paruarum nauicularum vsus.

Argonautæ, dicuntur heroes illi qui in Argo naui Colchos profecti sunt,ad rapiendum vellus aureum. sunt qui dicant fuisse duo & quinquaginta numero: alii addunt quatuor. Sed parum refert de numero.Valerius Flaccus lib.1,multos enumerat.

Argos,& regio dicitur,& ciuitas:& Argi, & Argiui populi, à Latinis vsurpatum,sicut Achæi & Achiui.Iidem & Argoli à Persis dicti,& Argolis regio,& omnis denique Peloponnesus,vt ait Strabo, præsertim Laconica,Argea appellata: ex quo ab Homero Helena Argea dicta est.Propter igitur frequentiã ac varietatẽ nominis huius, manauit prouerbiũ Græcũ in viros iactabundos & sycophantas,Ἄργεια φωρά.Argos verò Peloponnesiacum,de quo nunc sermo, Sophocles Doricum etiam vocat: diuersis etiam vocabulis censetur, vt ait Eustathius. Nam & Hippobotum dicitur ac Hippiũ,& Iasium & Dipsium ob aquæ inopiam. Vide Volaterranum libro nono,

Argulus,vt scribit Dictys Cretensis,filius fuit Amyclatis.Ex Bocatio.

Argus,filius Aristoris,de quo ait Ouidius,

Centum luminibus cinctum caput Argus habebat,
Inque suis vicibus capiebat bina quietem:
Cætera seruabant,atque in statione manebant.

Huic Iuno custodiendam dedit Io Inachi filiam mutatam in vaccam. Sed Mercurius à Ioue missus dulcedine cantus illum sopitum occidit. Oculos tamẽ Argi Iuno indidit caudæ Pauonis, quæ dicitur auis Iunonia. Ouid.Metamorph.

Argyrundes,teste Aristarcho apud Hesiodum, fluuius AEtoliæ.

Aria, vna est è Satrapiis Indiam terminantibus. Ex Occidente enim,non Indo flumine, sed nonnullis vltra Satrapiis Indiam terminari, quæ sunt Aria, Gedrosia, Arcosia, Paropanisis, Carmania, author est Plinius.

Ariabignes, fuit Darii filius ex filia Gobryæ, qui vnà cum Præxaspe & Megabazo præpositus fuit classi Xerxis. Herodotus lib. 7.

Ariadne, filia Minois regis Cretæ, forma eleganti, quæ Theseū ingressurum Labyrinthum adiuuit, & redeuntem in patriam secuta est. Catullus de ea & Theseo loquens, sic ait in Argonaut.

Hunc simulac cupido conspexit lumine virgo
Regia, quam suaues expirans castus odores
Lectulus in molli complexu matris alebat,
Quales Eurotæ pergignunt flumina myrtos,
Aurave distinctos educit verna colores
Non prius ex illo flagrantia declinauit
Lumina, quàm toto concepit pectore flammam
Funditus, atque imis exarsit tota medullis.

Eam deinde Bacchus vxorem duxit, eiúsque coronā stellis ornatā in astra retulit. vnde est cæleste sydus, quod Corona Gnosia dicitur.

Ariannes, fuit nobilissima Armeniæ ciuitas. Tortelius.

Ariapythes, Scytharum rex, vt notat Tortelius.

Ariathis, nomen viri proprium. Tortelius.

Ariarathes, Cappadociæ rex, sub quo Cappadoces primùm petierunt Pop. Rom. societatē, cuius deficiente stirpe, lectus rex Ariobarzanes, & à Mithridate sæpe pulsus, Romanorū armis restitutus est. Author Volaterranus.

Aricandos, amnis in Lycia: à quo & vrbs ibi Aricanda nomine.

Aricia, ciuitas in Italia, Ptolemæo. hodie Ricia castellum.

Aricomisci, Volscæ, populi sunt Galliæ, de quibus Strabo lib. 4, sic scribit, Vlteriores fluuii (Rhodanum intelligit) partes Volscæ, quos Aricomiscos appellant, maximum incolunt spatium, quorū portus, & nauium receptaculum Narbo dicitur. Apud Pomponiū tamen & reliquos, Arecomici legitur, & rectius.

Arii, sunt Asiæ Scythicæ populi, vt docet Herodotus lib. historiarum 4.

Arimaspi, populi sunt in Scythia Asiæ, versus Septentrionem, vnicum tantummodo oculum in fronte habentes, quos Dionysius Arimaneas, vel Arimannos vocat. AEschylus verò, μόνωπα στρατὸν. id est vnoculum exercitum: quòd sagittarii quum sint optimi, alterum inflectunt oculum vt à paruis assueti, altero melius cernant. vnde etiam nomen auspicati sunt Herodoto. Nam Ari Scythicè, vnum significat: & maspos oculum. Item dicit idem Herodotus supra Arimaspos gryphes esse aurum seruantes. hos prope, Riphæi sunt montes.

Ariminū, vrbs vetus in Flaminia iuxta Rubiconē. Liuius coloniā

dicit in Picenum cum Beneuento deductam. Rursus lib.14, Sempronio prætori Ariminum prouincia obuenit. Strabo, Vmbrorum dicit coloniam. Hæc prius à Cæsare occupata, initium ciuilis belli dedit. hodie vulgo Rimino.

Arimus, rex Mysiæ, seu Meoniæ. author Varro, Xanthum citans antiquum rerum scriptorem.

Arimphæi, populi sunt Scythiæ, iusti & mites. Plinius dicit eos in nemoribus agere, ac baccis victitare.

Ariobarzanes, fuit Cappadociæ rex, qui Pōpeio in Pharsalico bello fauit. Is populi Romani amicus fuit, & à Cicerone cum toto regno seruatus, vt scribit ipse lib.9, epistolarum ad Atticum.

Ariomardus, fuit, teste Herodoto, Darii filius.

Arion, Methymnæus citharœdus, & poeta Lyricus: emicuit Olympiade XXXVIII. Scripsit cātica circiter versuū duo millia. Dicitur & Tragici carminis primus inuentor fuisse, & chorū instituisse, ac Dithyrambicum carmen cecinisse. Author Suidas. Huius Arionis historiam Ouidius in Fastis, & Gellius lib.16, ac AElianus de animalibus pluribus referunt verbis, Dū Lesbon patriam repeteret, animaduerterétque nauales socios in se propter opes coniurasse, ex naui se in mare proiecit, quem Delphinus dorso exceptū domum vsque tulit. Volaterranus.

Arisbe, vrbs Phrygiæ iuxta Pōtum, vt scribit Homerus Iliad.2.

Aristæus, fuit Apollinis ex Cyrene filia Penei regis Arcadiæ filius: hic deinde in Arcadia regnauit, & primus apum & mellis vsum lactísque coagulū demonstrauit, vsúmque olei, & alia quamplurima adinuenisse retulit Iustinus lib.14.

Aristagoras, fuit præfectus exercitus Darii contra Græcos, teste Herodoto, lib.5.

Aristarchus, grammaticus Alexandrinus, lege oriundus è Samothracia, patre itē Aristarcho: floruit Olymp. CLVI sub Ptolemæo Philometore, cuius etiam filium erudiit. scripsit cōmentarios supra mille: fuit discipulus Aristophanis grammatici. Decessit in Cypro, seipsum cibi abstinentia necans morbo hydropiseos, ætatis anno LXXII. filios reliquit Aristarchum, & Aristagorā, ambos stultos. Author Suidas. AElianus tradit hunc tam castigato fuisse iudicio, vt Homeri versus non putaretur, quem ipse non probaret.

Aristarchus Tegeates poeta Tragicus, AEsculapio, à quo ex morbo fuit liberatus, pro recepta sanitate fabulā vouit. Emicuit tēpore Euripidis, Docuit tragœdias LXX, vicit duabus. Fuit & alius Aristarchus Ephesi tyrannus. vtriusque author Suidas.

Aristeas, Proconnesius genere, versificator, carmina quæ dicuntur

Arimaspea cōposuit libris tribus. Præterea Theogoniam circiter versus mille. Emicuit Crœsi & Cyri temporibus. Hic animā quoties vellet, resumebat. Hæc Suidas. Plutarchus in Romulo, & item Herodotus Aristeæ meminerunt.

Aristides, cognomento, δίκαιος, id est iustus, Athenis cū Themistocle in administranda repub. dissensit, quum esset diuersis moribus. Catoni alter: Cæsari Themistocles comparandus. Author Plutarchus. Aristidem alium inter sophistas Philostratus ponit è ciuitate Adrianorum Mysiæ, qui Smyrnæ docebat: & aduenienti forte M. Antonio principi, vnus omnium non processit obuiam, eóque modo in cognitionē & amicitiā venit imperatoris. Aristides item Thebanus pictor fuit Apellis tempore. Is omnium primus animū pinxit & sensus expressit omnes, quos Græci vocant ἤθη, duriorali quantulum in coloribus. Huius pictura illa præcipuè laudatur, Infans adrepens ad mammam matris ex vulnere moriētis, ac manu prohibentis: sentire mater & timere videtur ne è mortuo lacte sanguinem infans lambat. Quam tabulam Alexander transtulit Pellam. Ex Plinio.

Aristides alius fuit orator Atheniēsis inter X secundus: cuius multæ extant orationes, insuper & declamationes.

Aristides præterea fuit Atheniēsis philosophus Christianus eloquentissimus sub pristino habitu. volumen nostri dogmatis rationem continens Adriano principi tradidit. Author Hieronymus.

Aristippus, Cyrenæus, Socratis auditor, primus Socraticorū mercedem docendi exegit, ac quæstu philosophatus est. Cum Xenephōte simultatem gessit: summū bonum in voluptate corporis posuit. Quapropter à Diogene canis regius est appellatus, quòd diuitum esset assecla. Iactatum inter eos scōma, Horatius perpulchrè versibus includit,

Si pranderet olus patienter: regibus vti
Nollet Aristippus. si sciret regibus vti:
Fastidiret olus.

Aricia, puella fuit Attica, Hippolyti vxor, postquā ille à Diana in Italiam fuisset translatus, vt testatur Virgilius,

Ibat & Hippolyti proles pulcherrima bello
Virbius insignis, quem mater Aricia misit,
Eductum AEgeriæ lucis.

Aricia item oppidum est ab Hippolyto constructum à nomine Ariciæ vxoris, quod ad decimum lapidem abest ab vrbe Roma, vt testatur Lucanus,

Distat ab excelsa nemoralis Aricia Roma.

In hac Orestes oraculo monitus, simulachrum Scythicæ Dianæ, quod de Taurica regione transtulerat prius quàm Argos peteret, consecrauit. Erat ad huius templum nemus quod vocabatur Aricinum, dicente Ouidio lib. 3. Fastorum,

Vallis Aricinæ sylua præcinctus opaca,
Est locus antiqua religione sacer.
Hic iacet Hippolytus furiis distractus equorum,
Vnde nemus nullis illud aditur equis.

Est item Aritinus lacus, quod speculum Dianæ vocabatur, in quo nunc quoque insulæ cum proceris arboribus conspiciuntur.

Aristo, fuit Platonis pater. Fuit item Aristo philosophus, Zenonis auditor, cuius meminit Cicero Academicarum quæstionum 4, & lib. 1. de natura deorum.

Aristobulus Iudæus ex Paneade, Agatobuli Hebræi discipulus, vnus fuit ex illis LXXII interpretibus qui missi fuere ad Ptolemæũ, tũc Iudææ dominũ, vti libros sacros in Græcum sermonem conuerterent. Qui multa ex præceptis Moseos proponenti regi, percontẽtique respondit. Hic cõmentarios etiã in legem Hebræorum edidit. author Eusebius. Aristobulus alter historicus item Iudæus, qui res gestas Alexandri Magni conscripsit, comésque peregrinationis fuit. Author Volaterranus.

Aristocles, philosophus fuit Messanensis Peripateticus, scripsit de philosophia librum vnũ, vter esset studio & doctrina prior, Homerus an Plato. scripsit & de arte Rhetorica. author Suidas. Fuit item Aristocles Lampsacenus philosophus alter Megarẽsis sophista, sub Traiano & Adriano scripsit de arte Rhetorica, epistolas, & declamationes ad imperatorem. Suidas.

Aristodemus Nisæus, filius Menecratis Aristarchi discipuli, quẽ Strabo dicit se iuuenem vidisse senẽ. Alter Aristodemus qui Magni Pompeii filios erudiit: mane rhetoricam, meridie grammaticã docebat. Author Strabo.

Aristogenes, Thasius medicus, scripsit libros in medicina ad Antigonum Macedoniæ regem. Aristogenes alter Gnidius item medicus, seruus Chrysippi philosophi, famam adeptus est ex curatione Antigoni Gonatæ. author vtriusque Suidas.

Aristogiton, orator fuit Atheniẽsis impudens, ex quo canis vocatus est ab Atheniensibus. scripsit Apologiam ad Demostenem ducẽ cõtra Timotheum, ad Lycurgum cõtra Timarchum. Aristogiton, item Harmodius liberatores tyrannidis Pisistrati, quibus statuæ in foro ab Atheniensibus positæ. Suidas.

Aristolaus, pictor, Pausiæ discipulus, è seuerissimis pictoribus fuit,

eius opera nonnulla commemorat Plinius.

Ariſtomachus,propriũ viri,qui ſic amore opum flagrauit,vt duodequadraginta annis, nihil aliud fecerit. Fuit item Ariſtomachus qui de arte vini ſcripſit.Author vtriuſque Plinius.

Ariſtomenes,Atheniẽſis comicus inter ſecundos antiquæ comœdiæ,Olympiade CLXXXVII. cognominatus θυροποιός.Suidas.

Ariſton,ſculptor,cuius meminit Plinius.

Ariſtonicus grammaticus Alexandrinus,ſcripſit librum in Theogoniã Heſiodi,& de nominibus ſiue conſtructione apud Homerũ. Ariſtonicus, Eunuchus Ptolemæi, qui animum ſupra Eunuchum gerebat.dux fuit belli fortiſſimus,præterea liberalis in omnes.Author vtriuſque Suidas.

Ariſtonidas,ſtatuarius,cuius meminit Plinius.

Ariſtonides,pictor,de quo Plinius.

Ariſtonymus, poeta comicus ſub Philadelpho: is præfuit regiæ bibliothecæ poſt Apollonium. veniens poſtremo in ſuſpicionem quòd ad Eumenem tranſfugere cuperet,in cuſtodia per aliquot annos fuit: tandem liberatus,mortem non multo poſt obiit. Author Athenæus in Dipnoſophiſtis.

Ariſtopatra, mater Crateri cuiuſdam qui ſub Alexandro militauit,vt author eſt Strabo.

Ariſtophanes,poeta comicus Rhodius, ſiue Lindius genere, lege verò Athenienſis,patre Philippo: inuentor tetrametri & octometri verſus,filios habuit Ararota, Philippũ, Philetærum, comicos omnes. docuit fabulas LIIII. Suidas. Hic Atticæ linguæ nobilitate adeò præpollet, vt Dionyſio roganti aliquem eius ſermonis erutum,authorem hunc miſerint. Socratis æmulus fuit, quem exagitat,& inſectatur in Nubibus.

Ariſtophanes alter Byzantinus grammaticus Apellis filius,dux etiam exercitus, diſcipulus Callimachi,Zenodoti & Dionyſii.Author Suidas.

Ariſtophon, pictoris nomen apud Plinium.

Ariſtoteles,Stagirites philoſophus, Platonis auditor, patre Nycomacho medico,Alexãdro diſcipulo vel præcipuè charus.id beneuolentiæ ſignum vel maximũ,quòd Stagiram eius patriam ab ſe dirutam reſtituerit.Exceſſit annorũ LXIII,eodem quo Demoſthenes anno:hic in Apulia, ille in Eubœa, ambo profugi, perſequente Antipatro.Author Plutarchus in Sylla.

Ariſtoxenus,Tarentinus Mantineæ tamen agens,philoſophus & medicus nobiliſſimus,audiuit patrem & Lamprum philoſophum Erythræum, dein Zenophilũ Pythagoreum: poſtremò Ariſtotelẽ

cessione praeponeret. Scripsit in omni genere libros,in musica praesertim.Suidas.Hic animam dixit harmoniam esse, vt tradit Cicero in Tusculanis.

Aristoxenus alter Cyrenaeus, qui adeò delicatus fuisse dicitur in hortorum cura, vt vesperi lactucas mulso irrigaret, vt luxuriosius subcrescerent, & saporis essent praestantioris.author Suidas.

Armalchar,alio nomine Euphrates,fluuius est,author Plinius.

Armenia,regio Asiae inter Tauru & Caucasum montes,& à Cappadocia ad Caspium mare protensa. Ea autem est duplex,maior & minor.vide Ptolemaei tabulam Asiae4, Pliniu lib.1. & Strabone,2.

Armoricae,pro Aremoricae,ciuitates Galliae apud Caesarem notissimae.Toute Bretaigne.

Arne,ciuitas est iuxta sinum Maliacum,apud Plinium.

Arnus, fluuius est rapacissimus Hetruriae, Florentiam alluens. author Plinius.vulgo Arno.

Arnates,apud Plinium populi sunt in Italia ab Arna Vmbrorum.

Aroma,vrbs Cappadociae,cuius meminit Capella post Plinium.

Arpandes,fuit AEgypti pro Cambyse praefectus, qui postea à Dario interfectus est.author Herodotus lib.3.

Arpinates,populi sunt Arpini incolae.

Arpinum, oppidum Volscorum in Latio, quod M.Ciceronis & C.Marii natalibus gloriatur:ex quo Arpinates hodie ob honorem tanti municipis tres literas,M.T.C,pro signo publico conscribut.

Arrha,oppidum Arabiae foelicis apud Ptolemaeum.

Arianus poeta,cuius carminibus Tyberium principem delectatu fuisse Tranquillus scribit. Eius autem opera Suidas commemorat Metaphrasim Georgicorum Virgilii:Alexandriada, poema videlicet de rebus gestis Alexadri Macedoniae libris, X X I I.Suidas

Arrianus è Nicomedia historicus Zenophon minor cognominatus,sicut ille in Cyro,ita hic de Epicteto philosopho eiúsque disceptationibus opus edidit tribus voluminib9.scripsit quoque historia Alexandri Magni: vtrunque opus habetur in bibliotheca Vaticana. Emicuit Romae sub Adriano & M.Antonino principibus,à quibus ob literas honoribus consularibus ornatus est. author Heliconius.

Arrius,familiaris fuit Ciceronis, cuius epulum lautissimum có memorat Cicero ipse in Vatinium. Horatius quoque libro secundo carminum,Atque epulu(ait)arbitrio Arrii. Fuit & Arrius philosophus Alexandrinus,qui Augusto venienti Alexandriam, post victoriam Acciacá se obtulit: tantóque in honore fuit apud eum, vt Augustus ipse palam sit fassus, Alexandrinos tribus de causis

ab se cõseruatos esse:ob Alexandri primum memoriam:deinde ob vrbis pulchritudinem:postremo propter Arrium philosophum. Au thor Plutarchus in Antonio.

Arrius item Alexandrinus Arrianæ sectæ author, vt scribit Ruffi nus lib. 10.

Arsaces, fuit postremus Persarum ex Parthis rex, à quo omnes Persidis reges postea Arsacidæ dicti sunt. Nam vt ait Seruius in V I AEneid. omnes reges Albani ab Syluio filio AEneæ & Lauiniæ Sylui sũt dicti: sicut Romani imperatores, Augusti vocãtur: AEgy ptii, Ptolemæi: Persæ, Arsacidæ. Hæc Seruius. Apud Strabonem legitur Arsacæ.

Arsacia, prius vocata Aropus, vrbs est in Media, sic à Parthis appellata. author Volaterranus.

Arsanca vrbs Germaniæ Ptolemæo, vulgo Cleppern.

Arsenaria, Mauritaniæ Cæsariẽsis colonia Ptolemæo. Arze vulgo.

Arsicina vrbs Germaniæ Ptolemæo, hodie Brunna, vulgo Brũp.

Arsicoras, Sardorum rex tempore Annibalis, vt scribit Liuius.

Arsinoe, fuit filia Ptolemæi Lagi filii, qui AEgyptum post Alexandrum tenuit, & fuit vxor Lysimachi regis Macedoniæ, forma præstantissima: quæ ex viro duos peperit filios, Lysimachum scilicet & Philippum, forma & præstantia similes. Huius nomine Ptolemæus Philadelphus eius frater teste Plinio lib. 5, vrbem condidit in Cyrenaica regione, quæ & similiter Arsinoe dicta est: & fluuium qui eam præterfluit, Ptolemæũ vocauit. Vadianus Pomponii inter pres sic ait, Arsinoe duæ sunt huius nominis, in hoc littore sinus Arabici, quibus à reginis, AEgyptiis data sunt nomina, Philoteris & Epiterias, à venationis studio sortita vocabula. Arsinoe Cyrenes, Trochara vulgo.

Arsonium, vrbs Germaniæ Ptolemæo. vulgò Prisintzæ.

Artabanus, vltimus Arsacidarum fuit, quẽ Artaxerxes Persa eius miles interfecit, regnúmque Persis restituit annis ab vltimo Dario qui victus fuit ab Alexandro D X X X V I I I, regésque deinceps Persarum non Parthorum dicti.

Artabazes, Armeniæ rex filius Mithridatis: quanquam Barbarus vir, plane doctissimus fuisse scribitur, Appiano in Parthico & Plutarcho in Crasso. Is quãdiu mansit in amicitia populi Romani, tan diu fortunatus fuit. postquam autem Antonium in Parthico bello Parthis prodidisset, perfidiæ pœnas dedit. Nã victus ab eo Alexan driam ductus, & cõtumeliosè per vrbem circumlatus, ac primum custodiæ traditus, deinceps interemptus est. Hæc Strabo lib. 12.

Artabicia, inter insulas Propontidis Stephano numeratur. Arta-

bicia,Balcea,Harpagia,ἀπὸ τοῦ ἁρπάζειν, vnde raptus Ganymedes. Ex Volaterrano.

Artabri,populi Hiſpaniæ:& Artabrum eius loci promontorium, apud Plinium.

Artaca, in Cyzicenorum inſula, mons eſt arboribus plenus.in fronte iacet quædam parua inſula eodem nomine: propè eſt promontorium, quod Nigri appellatur. id in præternauigatione eſt è Cyzico Priapum delatis.Hæc Strabo lib.12.& 13.

Artace,vrbs,Mileſiorum colonia in Aſia.Demoſthenes poeta, νάσσετο δ' Ἀρτακίοις ἐφίστιος αἰγιαλοῖσιν.Sic enim Venus apud eos vocabatur.qui locus in Cyzicenorum inſula ſitus aduerſus Priapum conſurgit.Author Strabo. Eſt & Artace caſtellū Bithyniæ authore Ptolemæo,vulgo hodie Carpi.

Artacena,regio eſt Syriæ,vt ſcribit Strabo lib.XVI.

Artachæas,fuit dux in exercitu Xerxis,teſte Herodoto lib.7.

Artageras, proprium Syri hominis apud Strabonem in deſcriptione Syriæ.

Artanes Sophenus rex Armeniæ qui Auſtrales partes habuit,eas maxime quæ vergunt ad Occidentem. Hic à Tigrane deletus eſt. Author Strabo lib.11. Eſt & Artanes fluuius in Iſtrum defluens,teſte Herdoto lib.4.

Artaphernes,fuit vnus è ducibus Darii, & primus Sardium præfectus, qui apud Marathona debellatus fuit: vt ſcribit Herodotus lib.hiſtoriarum 7.

Artaunum, vrbs Germaniæ Ptolemæo:hodie Herbipolis vulgo Vuirtzburg.

Artaxa,rex Armeniæ à quo ducebat originem Tigranes.

Artaxata,metropolis Armeniæ,ſic ab Artaxa rege dicta.Strabo.

Artaxiaſata,vrbs item Armeniæ, ſic à conditore Artaxia appellata.Strabo author eſt.

Artaxerxes,filius Xerxis rex Perſarum qui ex pellicibus habuit filios CXV, & ex iuſto matrimonio tres,ſcilicet Darium,Ochum & Ariarathen:quorum Darius à patre rex factus,contra patrem leui de cauſſa cum quinquaginta fratribus cōiurauit. Qui omnes cū vxoribus & filiis à rege ſunt occiſi,Author Iuſtinus poſt Trogum.

Arteatæ,fuerunt gentes Perſicæ,teſte Herodoto lib. hiſtoriarū 1.

Artembares,fuit vir clarus apud Medos,vt tradit Herodotus.

Artemidorus,Gnidius,Romæ Græcæ diſciplinæ præceptor fuit, Bruti familiaris, libellum de coniuratione obtulit Cæſari extremo die ingredieti in ſenatum,vt ſtatim legeret:quod ille minimè fecit. Author Plutarchus. Fuit & alter Artemidorus Daldianus.Daldis

enim ciuitas Lydiæ eſt. philoſophus,ſcripſit de interpretatiōe ſomniorum,de auſpiciis,& de Chiromantia.Author Suidas.

Artemis, Diana ſic dicta,quaſi ἀεροτόμις, Id eſt aerem ſecans,vt nōnulli volūt:vel quòd integros faciat,vt Author eſt Strabo lib.14.

Artemiſia,regina Halicarnaſi, in auxilium Xerxis contra Græcos venit, inter primores duces bellum acerrimè ciebat, quippe vt in viro muliebrem tunc rem,ita in muliere virilem audaciam cerneres. Hæc extincto viro Mauſolo,ſepulchrum fecit, inter ſeptem orbis miracula connumeratum à Græcis poetis: ad funus quoque ornandum primos Græciæ oratores accerſiuit. Authores Gellius lib.10,& Suidas & Vitruuius lib.2.

Artemiſium,promontorium eſt Eubœæ,cuius Demoſthenes meminit in oratione pro Cteſiphonte vt tradit Suidas. Eſt & Artemiſium vel Artemiſius,Dianæ ſimulachrum. Item apud Macedones Maium menſem ſignificat,vt tradit Suidas.

Artemita,inſignis ciuitas eſt quingentis ſtadiis à Seleucia diſtans, plurimum ad Orientem expoſita.Verba ſunt Strabonis lib.15.

Artemius,Romæ fuit præfectus carceris,qui vnà cū vxore Candida & Paulina filia iacent in via Aurelia, martyres ſub Adriano principe.Author Volaterranus.

Artigis,Hiſpaniæ ciuitas Ptolemæo, alio nomine Alhama dicta.

Artobriga,Germaniæ vrbs,Ptolemæo.Ratiſpona hodie,vulgò Regenſpurg.

Artochines, vnus fuit è Xerxis ducibus, qui Darii filiam vxorē duxit,vt teſtis eſt Herodotus lib.hiſtoriarum 7.

Aruerni,Galliæ populi ſuper Ligerim ſiti,qui multis hominū millibus cum Verſingentorige contra Cæſarem profecti ſunt, quum prius aduerſus Maximum AEmilianum,& Domitium AEnobarbum etiam CC hominum millibus conflixiſſent. Verba ſunt Strabonis lib.4.

Aruiſium, promontoriū eſt inſulæ Chii, in quo, teſte Plinio lib. 14,optima vina proueniunt.Huius meminit Virgilius in Daphni, Vina nouum fundā calathis Aruiſia nectar. Hæc noſtra ætate adiectione vnius literæ, Maruiſia dicimus,quæ prius è Chio, nunc è Creta optima veniunt.Volaterranus.

Arunci, Samnitum populi ſunt in Italia,quorum meminit Liuius lib.8.

Arupenum,oppidum eſt Galliæ,apud Strabonem lib.5.

Arupinus,eſt Pannoniæ vrbs, cuius meminit Strabo lib.7.

Artaxata,vrbs eſt Armeniæ,de qua Strabo lib.vndecimo ſic ſcribit,Armeniæ vrbes ſunt,Artaxata,Artaxiaſata appellata, quā An-

nibal Artaxiæ regi condidit. Item Arxata iuxta fines Atropatræ prope Araxem. Hæc Strabo.

A S

Asachæ, populi sunt in montibus AEthiopiæ, qui abesse à mari dicuntur dierum quinque itinere, viuentes elephantorũ venatu. De his apud Plinium lib. 8.

Asacus, fluuius est alluens Heracleam ciuitatem, sitam ad radices montis OEtæ, teste Liuio lib. 5, de bello Macedonico.

Asæ, vicus est Pelopõnesi, non procul à Genea ciuitate, vt author est Stephanus.

Asæa, nomen est proprium montis. Author Suidas.

Asæus, vnus fuit ex principibus Græcorum interfectus ab Hercule. Author Homerus lib. x I. Iliad.

Asander, viri proprium, apud Strabonem lib. 7.

Asbestæ, Libyæ populi vbi Ammonis oraculũ fuit. Author Volaterranus.

Asbetæ, Ptolemæo populi circa Cyrenen.

Asbotus, vrbs Thessaliæ, Stephano.

Asbylus, Crotoniata, cuius meminit Pausanias, & Plato in libris de republica.

Asca, Siciliæ ciuitas, quam Elymus princeps Troianorum dicitur condidisse. Seruius.

Ascalaphus, Martis & Astyoches filius, cuius meminit Homerus libro 2.

Ascalingium, Ptolemæo vrbs Germaniæ, hodie Hildezhemi.

Ascalon, Palæstinæ ciuitas Idumæorũ. author Strabo. Xanthus in historia Lydorum scribit Ascalum Hymenæi filium, à rege Lydorum Aciamo, ducem exercitus in Syriam missum, vbi res gessisse, virginémque adamasse, ac vrbem de suo nomine Ascalon cõdidisse. De Ascalone plura Diodôrus lib 3. Hodie Escalona dicitur.

Ascalus, Tantali frater fuit, Hymenæi filius, vt scribit Xanthus.

Ascania, insula maris Mediterranei non procul ab Andro. Est & regio Asiæ & vrbs, & palus in Troade. Author Eustathius. De hac Strabo lib. 12.

Ascanius, non solum AEneæ filius ex Creusa regis Priami filia: sed fugæ laborúmque in quærendo regno socius, teste Virgilio. Liuius lib. 1, ab vrbe cõdita dubitat an Creusæ vel Lauiniæ filius fuerit: sed poetæ cæteri omnes & historici cum Virgilio, Creusæ filiũ fuisse affirmant. Est & Ascanius, Phrygiæ, fluuius, à quo Ascanius AEneæ filius dictus est. Huius fluuii meminit Virgilius lib. Georgic. 3, Illas ducit amor trans Gargara, tránsque sonantẽ Ascaniũ.

Ascaucalis,vrbs Germaniæ Ptolemæo.vulgo Suuetz.

Asciburgium,Ptolemæo vrbs Germaniæ.Vulgo Emerich.

Asclepiades, genere Prusiensis,medicorum eloquentissimus,Cn. Pompeio familiaris,cũ in arte Rhetorica facultates decoxisset,medicinam sectatus est,aliam à cæteris viam ingressus.Dicebat salutẽ cõstare cibi potúsque abstinẽtia: præterea gestatione,ambulatione, frictione. Ipse condita noua secta, spretis legatis,& pollicitationibus Mithridatis regis, reperta ratione qua vinum ægris medetur, relato è funere homine & seruato : sed maximè , sponsione facta cum fortuna , ne medicus crederetur , si vnquam inualidus vllo modo fuisset ipse:& victor suprema in senecta lapsu scalarum exanimatus est. Hæc Plinius libro 7, capite 37 . De eo quoque multa refert Apuleius lib.4. Asclepiades alius fuit Antiochenus martyr. Asclepiades itẽ Myrleanus ludimagister in Tuditania Hispaniæ regione:librum edidit de gentibus eius regionis. Author Strabo lib.3. Asclepiades Anazarbeus grammaticus scripsit de fluminibus.

Asclepiodôrus,pictor ætate Apellis, Olymp.C X I I,quẽ in symmetria mirabatur ipse Apelles. Huic Mnason tyrannus pro X I I diis dedit in singulos mnas tricenas. Plinius. Asclepiodôrus item fuit, Alexandrinus , singulari ingenio ad omnia mathematica, ad inquisitionem cognitionémque herbarum & lapidum. Author est Suidas.

Asconius Pædianus historicus circa Neronis tempora, anno vitæ L X X I I I captus luminibus,X I I postea summo cum honore & hominum gratia vixit annos. Author Eusebius. Hic etiam in Ciceronis orationes commentarios edidit.

Ascra, Bœotiæ vicus ad radices montis Heliconis,Hesiodi poetæ clarissimi patria,teste Ouidio lib. 4.de Ponto, Intumuit vati nec tamen Ascra suo. Inde Ascræus nomen adiectiuum. Virgilius, Ascræúmque cano Romana per oppida carmen.

Ascruium,vrbs Liburniæ Ptolemæo:hodie Ascriuium.

Asculum,oppidum est Apuliæ memorandum clade illata Pyrrho à Curio & Fabritio Romanis consulibus, vt late ostẽdit Plutarchus in vita Pyrrhi.

Asdrubal,gener Amilcaris patris Annibalis.post eius mortem septem annos imperium tenuit, fauente factione Barchina.demum à seruo Barbaro,cuius dominum occiderat,interfectus est in medio suorum.Comprehensus deinde à circunstantibus,haud facti pœnitens, inter cruciatus & tormenta, speciem semper ridẽtis præbuit. Author Liuius lib.21.

Aſdrubal item, Giſconis filius,cuius meminit Plutarchus in vita Scipionis.

Aſdrubal item alius fuit Annibalis frater, de quo vide Plutarchũ in Annibale. Præterea Aſdrubal,cui Caluo cognomẽ erat,is tempore quo Annibal in Italia erat,in Sardiniã dux claſſis mittitur:ſed tẽpeſtate reiectus ad inſulas Baleares,ibi tantiſper quoad quaſſas reficeret naues,reſedit:de quo plura apud Liuium. Aſdrubal,præter hos alius fuit dux bello tertio Punico à Scipione AEmiliano vict⁹ facta deditione.eius vxor quũ paucis ante diebus à viro impetrare non potuiſſet vt ad victorem tranſfugeret, in medias vrbis flãmas ſeſe cum filiis iecit.Author Liuius lib.51.

Aſellius Sempronius hiſtoricus militauit ſub Scipione AEmiliano,apud Numantiam tribunus militaris,idque bellum literis mandauit.citatur ſæpe teſtis à Gellio. Aſellius item Claudius eques Romanus,tribunus militum,ſub Claudio Nerone apud Lucanos memoranda fortitudine.huius meminit Volaterranus.

Aſia,tertia pars eſt orbis,tametſi magnitudine,Europæ & Africæ par ſit.Sic autem dictam volunt ab Aſia Iapeti coniuge,quæ Oceani & Tethyos filia fuit:vel vt Herodoto placuit,à Promethei matre. Lydis verò,ab Aſiæo Atyis filio, vnde & gens quædam Sardis Aſia dicitur,vt tradit Euſtathius.Eſt & Aſius campus prope Cayſtrũ fluuium,cuius meminit Homerus,

ἀσίῳ ἐν λειμῶνι καϋστρίου ἀμφὶ ῥέεθρα. Eſt autem Aſia duplex:maior ſcilicet,& minor,quæ in ſe continet Phrygiam,Cariam,Lyciã, Lydiam,Lycaoniam, vt eſt apud Strabonem & Pomponium.

Aſine,vel vt eſt apud Strabonẽ,Aſina,vrbs eſt Peloponneſi iuxta Meſſeniam vnde ſinus Aſinæus.author Strabo lib.8.& Pomponius lib.2. Aſine item, inſula eſt vna ex Sporadibus, quas Electridas nonnulli vocant,in mari Adriatico, cuius meminit Pomponius libro 2.& eius interpres Vadianus.

Aſinius Pollio,celebris in primis orator fuit Romæ, Auguſtique amicus.Is primus omniũ Romanorum,aduocatis hominibus,ſcripta ſua recitauit.à Quintiliano autem his verbis taxatur, Multa in Aſinio Pollione inuẽio,ſumma diligentia:adeò vt quibuſdã etiã nimia videatur:& conſilii & animi ſatis.à nitore & iucunditate Ciceronis ita longè abeſt,vt videri poſſit ſeculo prior. Hactenus Quintilianus.

Aſinius Gallus,eius filius,vir etiã doctiſſimus,vt Seneca teſtatur in declamationibus,libros edidit de comparatione patris Pollionis & Ciceronis,in quibus patrem Ciceroni prætulit. Author Cæcilius Plin.lib.11.Epiſtolarum. Contra quos Claudius Cæſar poſtea Ci-

ceronis edidit defensionem, vt author est Tranquillus in Claudio. Præterea alius fuit Asinius cognomento Capito, doctissimus artis grammaticæ: librum reliquit epistolarum, in primáque ad Pacuuium Labeonem scripta, erat titulus, Pluria & nó plura scribi oporteret: rationésque addit. author Gellius. Præter hos Asinius Pollio fuit Trallianus genere, docuit Romæ tempore Pompeii Magni: successit scholæ Timagenis, scripsit bellum ciuile Cæsaris & Pompeii. author Suidas.

Asis, Vmbriæ mons est.

Asisium, oppidum cui mós imminet: & Asisinates, eius oppidi incolæ Plinio & Ptolemæo.

Asius, filius fuit Dymantis, vt in Iliade scribit Homerus. Hic aduersus Græcos Priamo fauit. Fuerunt & alii Asii, quorum passim meminit Homerus. Est & Asius Ptolemæo Semnorum fluuius in Italia: AEsium hodie. vulgo Esino.

Asophis, regis est Achaiæ prouinciæ, quæ ab Homero Aræthyrea dicta est, postea Asophis. Hæc Plinius lib. 4. cap. 5.

Asopus, fluuius Peloponnesi è Chronio monte mediam præterfluẽs Corinthi regioné, in sinũ labitur Corinthiacũ. Volaterranus.

Aspasia, mulier Milesia fuit magna doctrinæ fama, sophistria & rhetorices magistra. Periclem docuit, simul & amauit, ab eóque in matrimonium accepta quum esset captiua, caussa fuit & ipsa duorũ bellorum: Samii scilicet, & Peloponnesiaci. Author Plutarchus in Pericle, & Aristophanes in fabula quæ inscribitur ἀχαρνῆς.

Aspasius, sophista fuit Rauẽnas, Demetriani filius, sub Alexãdro Romæ profitebatur auditor Pausaniæ & Hippodromi: scripsit contra Aristoné & maledicos diuersas orationes. Hæc Suidas. De hoc multa Philostratus. Fuit itẽ Aspasius cognométo Byblius, quoniã de byblo, id est de papyro, librum condidit, ac artem rhetoricam & Panegyricum in Adrianum principem, cuius temporibus floruit. Author Suidas. Præterea Aspasius, fuit Tyrius quidam historicus qui de Cõtinẽte variam historiam scripsit, vt idem Suidas author est.

Aspendus, Pãphyliæ vrbs, Argiuorũ ædificiũ: Hic Veneri suibus sacrificabant: eo quòd author eius generis Mopsus ex Argis huc proficiscens, primũ obuium sacrificare vouerat. occurrit autẽ sus. Author Stephanus, & Pomponius lib. 1.

Asphaltus, lacus Syriæ, ideo sic dictus, quòd in eo nihil viuũ submergitur. vnde Mortuum mare ab historicis dicitur dicẽte Solino, Mare mortuum est, nihilque præter bitumen gignit: animal nũllũ habet, nec in eo aliquid viuum mergi potest. Huius etiã meminit

Iustinus lib.36.

Aspis,Numidiæ promontorium est,ex clypei forma dictum,in mare prominens. Est & insula eius nominis, maris Mediterranei, vt tradit Plinius lib.5,cap.31.

Aspathines,ex Persis vnus qui cum Dario in Magum & Smerdim coniurarunt,teste Herodoto lib.historiarum tertio.

Asplendon,Phocensium vrbs,vt tradit Pausanias. Hanc Eustatius vocatam Apricam dicit,quòd hybernationi locus amœnus sit, tum ad differentiam alterius cuius meminit Homerus in catalogo lib.2.Iliad.

Asporenus,mons est Asiæ Pergamo proximus , sic dictus quòd asper & sterilis sit:& templum quod ibi est matris deorum Asporenum dictum,Dea quoque ipsa Asporena dicta est. Author Strabo libro 13.

Assacani,Indiæ regio est in qua est Magosa ciuitas,regionis huius caput.Verba sunt Strabonis lib.15.

Assaracus,auus Anchisæ & pater Capys.Virgil. Assaraci proles.

Assyria, regio maioris Asiæ,habens ab ortu Indiam, ab occasu Tigrim fluuium, à meridie verò Mediam,& à septentrione montẽ Caucasum.Eadem,Syria dicitur,vt author est Iustinus libro primo & Herodotus.

Asta,colonia Bæticæ Hispaniæ,nõ procul à Gadibus,vt author est Pomponius lib.3.Est & Asta oppidum Liguriæ antiquũ,nomẽ adhuc retinens.Author Plinius.

Astaboras,AEgypti fluuius,cuius meminit Ptolemæus,Pomponius,& Plinius cap.9,lib.5.vide in ASTAPAS.

Astacœni,populi Indiæ,qui Mediã regionem,inter Cophen atque Indum habitant.Author Strabo lib.15.

Astacus, Asiæ vrbs,quæ sinum à se cognominat Astacensem, ab Astaco Neptuni & Olbiæ nymphæ filio.Author Arrianus in Bithynicis.Strabo Megarensium coloniam eam esse dicit.Est & Astacus apud Byzantium,& item ciuitas in Acarnania.Author Volaterranus post Plinium lib.5.

Astaces,fluuius est in Pontum defluens.Author Plinius libro secundo cap.103.

Astapas,fluuius Asiæ,de quo Strabo lib.16 sic scribit,Circa Meroen Astaboras,& Astapas influũt.Hæc flumina Rhizophagi accolunt,qui etiam Elii vocantur, propterea quòd ex adiacente palude euulsis radicibus massulas conficiunt, & ad solem coctis vescũtur. Hæc loca leones alunt qui sub Canis exortum à maximis culicibus hinc expelluntur.Hactenus Strabo lib.16.Meminit & Astapi

fluuii idem author, quem Astosabã à nonnullis nominari ait initio lib.17.in descriptione AEgypti.Plinius tamen lib.5,cap.9,de Astapo sic scribit, Nilus Astapus cognominatus est,quod illarum gentium lingua significat aquam è tenebris profluentem,qui & Astabores læuo alueo dictus, hoc est ramus aquæ venientis è tenebris, dextro vero Astusapes,quod latentis significationẽ adiicit: nec antè Nilus,quàm se totũ aquis cõcordibus rursus iunxit. Hæc Plinius.

Aster puer,Platonis carminibus celebratus, in quem etiam extant epigrammata lib.3 Epigrammatôn Græcorum.

Asterion,ciuitas Thessaliæ de qua scripsit Homerus,
οἵ τ' ἔχον ἀστέριον τιτάνοιό τε λευκὰ κάρηνα.quòd in alto sita monte, velut astrum fulgeat, vt tradit Eu stathius, qui nunc eam Persiam dicit vocari. Est & altera vrbs eius nominis in Syria. Est & fluuius Achaiæ,in Nemæa sylua leniter fluens,& fructuum iuxta ripas abundantissimus,vt testis est Lactantius.

Asteris, insula est in medio Sami & Ithacæ sita. Author Strabo: cuius sic meminit Homerus,
ἔστι δέ τις νῆσος μέσσῃ ἁλὶ πετρήεσσα,
ἀστερὶς οὐ μεγάλη,λιμένες δ' ἔνι ναύλοχοι αὐτῇ
ἀμφίδυμοι. id est,
Saxea nunc medio supereminet insula ponto
Asteris,haud ingens,portus dans puppibus aptos,
Quos subeant hinc atque hinc. Nũc autem nec ad anchoræ quidem iactum prorsus idonea. Eadem etiam Asteria vocatur eodem Strabone authore lib.2.Est & Asteris, ciuitas Hispaniæ Ptolemæo. Fuit item Asteria,Titani filia,& Latonæ soror.

Asterusia,mons Asiæ:vnde Asterusiam coloni ciuitatẽ supra Caucasum ædificauerunt.Author Stephanus.

Astice,regio Thraciæ,vt author est Plinius.

Asticla,vide infra in dictione ASTYPALAEA.

Astigi,vrbs est Bæticæ Hispaniæ,à qua Astigitanus ager. Plinius.

Astreus, vnus è Titanibus, qui cum Aurora concumbens,vẽtos genuit.Et Astrea,huius Astrei filia ex Aurora,quam ob summam æquitatem,Iustitiam fuisse appellatam scribit Aratus:
-nam cum adhuc terras habitaret,
Nondum vesanos rabies nudauerat enses,
Nec consanguineis fuerat discordia nota. Sed postea crescentibus vitiis euolauit in cælum.vnde subdit idem Aratus,
Et cæli sortita locum,qua proximus illi,
Tardus in Occasum sequitur sua plaustra Bootes.

Astuia,Germaniæ vrbs,vt scribit Ptolemæus .vulgo Bodẽhusen.

Astures,sũt Hispaniæ populi memoratissimi Callœcis proximi,

aurifodinis & equis quondam tolutariis nobilitati, quibus non vul garis in curſu gradus, ſed mollis alterno crurum explicatu glome ratio, vt Plinius libro octauo ſcribit. Martialis,
Hic breuis ad numerum rapidos qui colligit vngues,
Venit ab auriferis gentibus Aſtur equus. Meminit Aſturum mul tis lib.3, Silius. Eorum tractus, Aſturiæ nomen habet.

Aſturica Auguſta, Hiſpaniæ Tarraconẽſis vrbs Ptolemæo. Aſtorga vulgo. Olim Roma.

Aſtyages, Cyaxaris Medorum regis filius, & Mandanæ pater, vltimus Aſſyriorum & Medorum rex. De quo apud Græcos Herodotus lib.1, & Iuſtinus ſcripſere.

Aſtyalus, vir fuit Troianus, à Neoptolemo interemptus, vt ſcribit Homerus lib.6, Iliados.

Aſtyanax, quaſi vrbis princeps, appellatus autem proprio nomine Scamandrꝰ Hectoris filiꝰ ex Andromacha: qui à matre abſconditus, ab Vlyſſe repertus, ac de alta turri præceps eſt datus. Author Volaterranus.

Aſtrampſychus, antiquiſſimus ſcriptor, librũ ſcripſit de cura aſinorum, & ὀνειροκριτικόν, id eſt de coniectatione ſomniorũ. Suidas.

Aſtycratia filia AEoli, teſte Homero Odyſſ. lib.10.

Aſtydamas ſenior, tragicus Athenięſis, docuit tragœdias XLII, vicit V. primus qui ex auditoribus Socratis ad poeticam ſe conuerterit. Aſtydamas iunior filius, & ipſe tragicus, cuius tragœdias nõnullas commemorat Suidas.

Aſtylus Crotoniata, tribus Olympicis cõtinuis vicit, ſtadio, diaulo & dolicho. Quòd autẽ in vltimo ſe Hieronis magiſtrũ ac Syracuſanum à præcone declarari fecerit, Crotoniatæ irati, ſtatuã eius fregerunt, bona inſuper publicauerunt. Author Pauſanias.

Aſtynous, princeps quidam Troianus, quem Diomedes in bello Troiano interfecit, vt ſcribit Homerus lib.5, Iliados.

Aſtyochia, Actoris filia: hæc quum adhuc virgo in cœnaculum paternæ domus aſcendiſſet, clam à Marte cõpreſſa eſt. Author Homerus lib.2 Iliados.

Aſtypalæa, inſula eſt vna è Cycladibus, quæ Plinio & Straboni libro decimo eſt celebris. Vadianus putat Aſticlam apud Pomponium corruptè legi, pro Aſtypalæa.

Aſychis, rex fuit AEgypti, teſte Herodoto lib.2.

A T

Atabulus, ventus in Apulia. Horatius,
Incipit ex illo montes Apulia notos
Oſtentare mihi, quos torret Atabulus. Interpres Horatii Porphi-

rio ſcribit Atabulum ventum eſſe in Apulia feruentiſſimum Græca appellatione dictum, quaſi ἀπὸ τῆς ἄτης βάλλειν, id eſt nocumẽtum peſtilentiámque inferentem.

Atabyria prius dicebatur quæ poſtea Rhodus inſula, authore Plinio lib.5.cap.31. Vide RHODVS.

Atabyris, mons altiſſimus in Rhodo inſula. Strabo lib.14.

Atacini, populi ſunt prouinciæ Narbonenſis, ſic ab Ataco amne eius prouinciæ dicti, à quibus Romæ Atacinorum nomen ortum eſſe tradit Hermolaus.

Atalanta, virgo venatrix in Arcadia, filia Iaſii. Hæc cũ proceribus venit ad occidendum aprum deuaſtantem AEtoliam, quem etiam ipſa prima vulnerauit. Quare à Meleagro filio regis AEtoliæ ardẽter eſt adamata, vt tradit Ouidius lib.4 Epiſtolarũ. Fuit & altera Atalanta filia Cenei regis, in Scyro inſula, curſu nobilis, & poetis cantatiſſima, cuius omnem fabulam Ouidius refert lib. Metamorphoſeos decimo.

Atarna, vrbs eſt Myſiæ in Aſia, non procul ab Aſſo vrbe. Author Stephanus.

Atarnes, Darii Perſarum regis frater, à quo locus quidam Myſiæ contra Leſbum Atarnes dictus eſt, teſte Herodoto lib.7.

Atax, clarus fluuius prouinciæ Narbonenſis. Lucanus lib.1, Mitis Atax gaudet Latias nõ ferre carinas. Plinius ſcribit eum fluuiũ oriri ex Pyrenæis montibus.

Atella, Campaniæ oppidum, à quo ludi Atellani dicuntur: fuitque in illo amphiteatrum egregium.

Aternus, fluuius Italiæ inter Ferentanos. Author Plinius.

Ateſis, fluuius eſt naſcens ex alpibus Tridentinis, vt author eſt Plinius. huius etim meminit Virgilius,

Siue Padi rapidis, Ateſim ſeu propter amœnum.

Ateſte, ciuitas regionis Venetæ, vt tradit Plinius.

Athamas, AEoli filius pater Phryxi & Helles, poetarum carminibus notiſſimus. Vide infra in dictione INO.

Athanaſius, præſul Alexandrinus, educatus ab Alexandro eius ciuitatis præſule, olim diaconus in cõcilio Niceno fuit. Arrianorum deinde maximas perpeſſus inſidias, ad Conſtãtem Galliarum principem aufugit. De quo plura apud Volaterranum.

Athenæ, Atticæ vrbs, & bonis artibus, & rebus bellicis celeberrima quondam, nũc autem periit. Nomen autem ſumpſit à Pallade, dea ſapientiæ, quæ Græce dicitur Athena.

Athenæus, è Seleucia Ciliciæ philoſophus Peripateticus doctiſſimus, Auguſti tempore, princeps aliquandiu patriæ ſuæ: deinde cõ-

tracta amicitia cum Murena, qui contra Augustum conspirauerat, cum illo aufugit, captúsque, ac dimissus cum insons reperiretur. reuertens autem Romam, multis eum salutantibus illud Euripidis respódit, ἥκω, νεκρῶν κευθμῶνα καὶ σκότου πύλας λιπών. De quo pluribus Strabo. Fuit item Athenæus Naucratita grámaticus M. Antonini principis tempore, librum Dipnosophistarum composuit, variú opus & eruditum, vt Plinius alter Græcus fere dici possit: quod ad nos sanè haudquaquá integrum peruenit, eius epitome ab Hermolao Byzantio tantum relicta. Author Suidas.

Athenion, pictor eximius, qui nisi iuuenis morté obiisset, omnes sui ordinis homines superasset, vt tradit Plinius.

Athenodorus, Atheniensis philosophus Stoicus præceptor Dionysii Areopagitæ. cópo suit opus varium, quod διάφορα inscripsit. emicuit Augusti temporibus. Author Suidas. Fuit item Athenodorus, sculptor eximius, authore Plinio lib. 36.

Athochari, populi sunt Scythici in Asia apud Herodotum.

Athos, mons est inter Macedoniam & Thraciam: & nonnunquá mons Thraciæ dicitur, vt Homero in hymno Apollinis. nonnunquá etiam Macedoniæ & AEmoniæ. de quo pluribus Plinio & Pomponio disseritur.

Atimetus, libertus Cæsaris, vt ipse testatur in marmore dicato cineribus vxoris Homonœæ, cú epitaphio pulcherrimo, quod se legisse Romæ Tortelius testatur.

Atina, fuit vetus vrbs Campaniæ iuxta Pontinas paludes.

Atlas, mons est Mauritaniæ ab Atlante rege sic cognominatus, qui astrologiæ inuentor dicitur, vt tradit Plinius. Sed duo montes eius nominis sunt in Mauritania, authore Herodoto, & aliis nónullis historicis: Vnus quidem proximus columnis Herculis: alter verò in interiore Libya remotior. Cuius summitas nunquam videri potest, quia nubes ab illo nec æstate, nec hyeme diuelluntur. Quem incolæ (vt idem Herodotus author est) cæli columná esse asserunt. Et vt poetæ tradunt, fuit in illum Atlas Mauritaniæ rex cóuersus. Cui etiam Virgilius formam viri tribuit,

Atlantis cinctum assiduè cui nubibus atris
Piniferum caput, & vento pulsatur & imbri:
Nix humeros infusa tegit, tum flumina mento
Præcipitat senis, & glacie riget horrida barba.

Est item Atlas, magnus quidam fluuius versus Septentrionem in Istrum fluuium sic ab Atláte Arcadiæ rege cognominatus, authore Herodoto. Tres enim fuerunt Atlantes. Vnus rex Italiæ, & pater Electræ. Alius Arcadiæ, & pater Maiæ, ex qua Mercurius natus est. Tertius Maurus,

qui maximus dictus est. Author Seruius Virgilii interpres. A postremo, Atlantes populi Euboeæ dicti sunt, & mare Atlanticum dictum, & Atlantides.

Atossa, filia fuit Cyri, teste Herodoto lib. 4.

Atramitæ, populi Arabiæ fœlicis Plinio.

Atrani, populi Hirpinorum in Italia, apud Platonem.

Atratinus, accusator Cælii, vt in oratione Ciceronis apparet, qui malè à quibusdam Atracinus scribitur, vt tradit Volaterranus.

Atrax, fluuius AEtoliæ: à quo Atraces quidam populi cognominati sunt, vt scribit Plinius lib. 4.

Atreus, filius Pelopis & Hippodamiæ, rex Mycenarum, qui filios fratris sui Thyestis sibi insidiantis occidit, & illi comedendos apposuit. de quibus multa narrantur à poetis, vt à Seneca in Thyeste, & Statio in diuersis locis suæ Thebaidos.

Atria, Ptolemæo vrbs Venetiæ, hodie Adria.

Atridæ, filii Atrei, Agamemnon scilicet & Menelaus.

Atropatus, dux Medorum, à quo etiā Atropatia dicta est Mediæ regionis pars, cuius meminit Strabo lib. vndecimo, his verbis, Altera pars est Media Atropatia ab Atropato duce nominata, qui ne ea Macedonibus subigeretur obstitit, cum maioris Mediæ pars esset. Is postea rex declaratus, regionem hanc per sese posuit, & ex illo successores ad hoc vsque tempus perdurant. Hactenus Strabo.

Atropos, vna è Parcis. Nam tres fuerunt deæ fatales, vt author est Homerus.

Atta, ciuitas Arabiæ fœlicis, authore Ptolemæo.

Attacum, oppidum Hispaniæ, Ptolemæo.

Attali, reges Pergami in Asia, de quibus copiosè scripsit Strabo, & Liuius diuersis in locis.

Attalia, ciuitas conuentus Pergami. Est item Attalia, vrbs Pamphiliæ in ora maritima. Author Strabo.

Atteius Philologus, Libertinus Athenis natus. hūc Capito Atteius iurisconsultus eius patronus, inter grammaticos rhetorem, & inter rhetores grammaticū fuisse ait. eū iuuisse scripta Salustii in cōponēdo, author est Pollio. Coluit familiarissimè Salustium, eóque mortuo, Pollionem. Author Tranquillus.

Attica, regio Græciæ inter Achaiam & Macedoniam sita, in qua fuit vrbs Atheniensis. Author Strabo.

Attrebates, populi Galliæ Belgicæ, de quibus multa apud Cæsarem & Plinium. Vulgo Artois.

Atuacutū, Galliæ Belgicæ vrbs Ptolemæo, hodie Antuerpia. vulgo Anuers, Andorff.

Atura,oppidum est Galliæ Aquitanicæ.

Aturius,Galliæ fluuius,teste Ptolemæo.vulgo le Dou.

Atys, Lydorum rex,ex prognatis Herculis & Omphales vnus, De quo pluribus Strabo scribit lib.5. Est & Siciliæ fluuius apud Plinium lib.3.cap.8.

A V

Auantici,populi sunt Galliæ,sic ab Auantico in Alpibus oppido dicti.de quibus Plinius lib.3.

Auaricum, oppidum est Galliæ Biturigum, vt scribit Cæsar in commentariis.vulgo Chasteau neuf,siue Viaron en Berri.

Auschisæ,populi Libyæ,vt scribit Herodotus lib.4.

Aucula, vrbs Tuscorum Ptolemæo,aliis Aquula. vulgo Aquapendens.

Auella, & Auellinum, ciuitas est Campaniæ, de qua in dictione ABELLA.

Auenio, vrbs Galliæ Narbonensis, in quam pontifices Romani ius habent.Eam enim Pontifici Clementi vendidit Ioanna Siciliæ regina.Author Volaterranus.Vulgo Auignon.

Auentinus (inquit Seruius)mons vrbis Romæ est,quem constat ab auibus esse nominatũ,quæ de Tyberi ascendentes illic sedebant, vt in octauo legimus,

Dirarum nidis domus opportuna volucrum. Quidam etiam rex Aboriginum Auentinus nomine,illic & occisus,& sepultus est,sicut etiam Albanorũ rex Auentinus, cui successit Procas.Varro tamen dicit in gente populi Romani Sabinos à Romulo susceptos,istum accepisse montem, quem ab Auente fluuio prouinciæ suæ,appellauerunt Auentinum.Constat ergo varias has opiniones postea secutas. Nam à principio Auentinus dictus est ab auibus, vel à rege Aboriginum. Vnde hunc Herculis filium constat nomen à monte accepisse,non ei præstitisse. Hactenus Seruius illud Virgilianum enarrans lib.AEneid.7,

-satus Hercule pulchro
Pulcher Auentinus,clypeóque insigne paternum,
Centum angues,cinctámque gerit serpentibus hydram,
Collis Auentini sylua,quem Rhea sacerdos
Furtiuum partu sub luminis edidit auras,
Mista deo mulier &c.

Auernus,lacus est in sinu Baiano Campaniæ,prope Puteolanam ciuitatem,vt notat Seruius Virgilii interpres,lib.Georg.2.

Aufidena,Ptolemæo authore, vrbs Italiæ,Caracenorum,qui sub Ferentanis sunt hodie durat oppidum.

Aufidus, Apuliæ fluuius,quem cruentum ex Cannensi Romanorum clade aliquandiu fuisse Florus scribit. in Hirpinis ortus iugis,Canusium vrbē præterfluit.Author Plinius.Vulgo nūc dicitur lo Fante.

Auga, Telephi soror,quam Euripides dicit ab Alæo patre (cum ab Hercule corrupta deprehenderetur) in vrna quadam cum Telepho filio impositam,& in mari demersam esse:Sed Palladis prouidentia vrnā ad Caici ostia transmissam euasisse. Verba sunt Strabonis lib.13.

Auge,siue Augea, mater Telephi,filii Herculis.Scribit Diodorus lib.5, hāc à patre Alæo cuidā nauclero vt mergeretur datam, quòd non crederet ab Hercule compressam: quæ cum duceretur ad mare,in itinere Telephum peperit,& inter virgulta abditum reliquit: quem postea pastores inuentum Coritho regi tradidere, qui illum Telephū,eo quòd à cerua nutritus fuerat, vocauit. Ipsa verò Auge in Cariam abducta à mercatoribus, quibus illā nauclerus, demergere nolens,dono dederat,& regi Teuthranti donata est.quam cum postea Telephus quæsisset, venissétque ad Teuthrantem in Mysiā, ab eo est honorificè exceptus.Vide Diodôrum lib.5.

Augea, vrbs Locrensium,cuius meminit Homerus, καὶ αὐγείας ἐρατεινάς. Est & altera eiusdem nominis in Laconia.Volaterranus. Quæ etiam Augiæ quibusdam dicuntur.

Augeas,Atheniēsis comicus fuit,vt est author Athenæus. Fuit & Augeas Eleorum rex,quem Hercules sustulit,vt author est Strabo.

Augias,Solis nomine,re autem ipsa Phorbantis filius ex Hirmine Nelei,seu,(vt alii),Nyctei,seu (vt rursum alii) Epochi filius, ex cuius oculis aiunt radios tanquam solares micuisse.Hic igitur cum Herculi stabulum illud pacta mercede collocasset, isque purgasset, de mercede tergiuersatus est.Quapropter Phyleus Augiæ filius arbiter assumptus,is secundum Herculem pronuntiat.quod pater ægre ferens illum eiecit,eiectúsque Dulychium venit.Ex commentariis in Homerum.

Augusta Cæsarea, vrbs est Hispaniæ citerioris. Est & Augusta Triuerorum vrbs Galliæ Belgicæ,vulgo Treues, Trier.Item Augusta Emerita ciuitas Hispaniæ in Lusitania.Præterea Augusta Gemella in Hispania.Authores Strabo & Plinius. Est præterea Augustæ Vindelicorum,vulgo Augsburg.

Augustæ,coniuges dicebantur imperatorum: diuæ autem,post mortem tantum. Augustarum nomina hæc sunt, Liuia Augusti, Agrippina Agrippæ,LepidaGalbæ,Pompeia Sabina Othonis, Petronia Vitellii,& reliquæ quas enumerat Volaterranus lib.14.

Auguſtodunum,Heduorũ vrbs in Gallia.Cæſar & Pomponius authores.Vulgo Auſtun.

Auguſtoritum,Pictonum vrbs,Ptolemæo.vulgo Poictiers.

Auia,vel potius Liuia,vrbs Hiſpaniæ,Ptolemæo.Vulgo Villalon.

Aulerci,populi Galliæ Lugdunenſis apud Cæſarem.Rouan.

Aulis (inquit Seruius) inſula eſt in qua coniurarũt Græci ſe nõ antè reuerſuros quàm Troia caperetur.cuius meminit Ptolemæus & Homerus lib.Iliad.ſecundo.

Aulon,vel Aulona,Corinthiorum colonia in Macedonia,vt tradit Plinius.

Auo,vel Auus, vt Ptolemæo placet, fluuius eſt Hiſpaniæ citerioris,qui Celerinorum populorum ſupra Bracaras & Gronios agrum alluit.

Aura,ab aere dicta, quòd lenis ſit,quaſi agitatus leniter aer. Bocatius lib.4,vbi diſſerit de nominibus ventorum.

Auras,fluuius eſt prægrandis in Europa in Iſtrum fluens,vt ſcribit Herodotus lib.4.

Aurelia,gens ex Sabinis oriũda,à Sole dicta putatur,quòd ei publicè à populo Romano datus ſit locus in quo ſacra faceret Soli: qui prius Auſelii,ſicut Valeſii dicebantur.Author Feſtus.

Aurigda,Ptolemæo vrbs Cyrenes.vulgo Zadra.

Aurora, filia fuit Titani, & Terræ: quam ſi mulierem volumus arbitrari, eo quòd eam Tithoni fratris Laomedontis dicat Ouidius fuiſſe coniugem, poſſumus eam exiſtimare aliquam ingentis potentiæ & admirandi decoris fuiſſe fœminam. Sed veriſimile eſt de ea intellexiſſe poetas,quam omnes dicunt Auroram: eum ſcilicet matutinum ſplendorem, quo cernimus antẽ Solem eleuatum cælum albeſcere:quam ideo Titani dicunt filiam,non quia ex Titano natam credant,ſed ex Sole,quem ſæpiſſime ex nomine aui Titanũ vocant. Nam ex Sole procedit illa claritas cæli quam auroram dicimus.Terræ autem ideo dicitur filia,quia videtur intuẽtibus, è terra prodire.Ex Bocatio.

Auſa,ciuitas eſt Hiſpaniæ,Ptolemæo.

Auſci,populi ſunt Aquitaniæ in Gallia,Plinio.vulgo Aux.

Auſer,vel Auſeris, fluuius Italiæ prope Lucam,cuius olim pars riuus ille qui iuxta Piſas nũc labitur,fuit.Strabo pro Auſeri,AEſarem ponit.

Auſonia, propriè ea pars eſt Italiæ vbi vrbs eſt Beneuentum, ſic dicta ab Auſone Vlyſſis & Calypſus filio,vt ait Feſtus.Vnde Auſones dicti,& Auſonii.

Auſonius ſophiſta, ſcripſit epiſtolas & alia quædam ad Nonnũ

vt ait Suidas. Fuit & Ausonius, patria Gallus, Burdegalensis poeta, cuius extant epigrammata.

Auster, ventus à meridie flans, alio nomine Notus appellatus. ponitur etiam pro vento figuratè Virgilio AEnei.1,

Talia flammato secum dea corde volutans,
Nimborum in patriam, loca fœta furentibus Austris,
AEoliam venit.

Authe, Alcyonei gigantis, qui Herculis telis confossus est, filia. Is enim filias habuit septem, quæ ob patris mortẽ in mare præcipitãtes se, ab Amphitrite in halcyones mutatæ sunt, vt quibusdã placet. Harũ nomina Egesander ponit hæc, Phosoniam, Authen, Methonen, Alcipen, Pallenen, Asterien, & Drimo. Hæc Ianus Parrhasius in Claudianum.

Autini, vel potius Auteri, si verus est Græcus codex Ptolemæi, Hyberniæ insulæ populi.

Autocanes, mons ponitur ab Homero in Hymnis.

Autolycus, Mercurii seu Deucalionis filius, & maternus Vlyssis auus, furtorum nomine insignis, vt Homerus, & Plato in lib. de re publica testantur. Alius fuit conditor Sinopis, & comes Iasonis apud Strabonem. Tertius athleta nobilis pancratiastes, cuius statuã in foro fuisse author est Pausanias. Meminit & Plinius huius artificis lib.34.cap.8.

Automalax præsidiũ Ptolemæo, vrbs Cyrenes, quæ alio nomine Pentapolis dicitur à quinque eius præclaris vrbibus, Berenice, Arsinoe, Ptolemaide, Apollonia, Cyrene. Automala Straboni dicta. vulgo Estam.

Automedon, Achillis auriga, vel armiger, vt scribit Virgilius, Armiger Automedon.

Autonoe Cadmi Thebarum regis filia ex Hermione coniuge, vt scribit Hesiodus in Theogonia, & Ouidius lib. Metamorph.3.

Autricum, vrbs Carnutum, Ptolemæo. vulgo Chartres.

Auximum, Picentum oppidũ in Italia, quod belli ciuilis tempore in potestatem Cæsaris venit.

A X

Axiaces, fluuius est qui alio nomine dicitur Hypanis. Vide in dictione HYPANIS.

Axylus, Phryx è ciuitate Arisbe, homo perquàm beatus omnib⁹ quæ ad victũ mortaliũ pertinent, & qui insigni erat humanitate & beneuolentia in hospites, vt scribit Homerus lib. Iliad.6.

Axiochus, nomen philosophi, cui Plato librum de morte scripsit & dicauit.

Axion,frater fuit Alphesibœæ,quæ Alcmeoni nupsit, à quo Alcmeon ipse interfectus esse creditur, vel vt sentire videtur Ouidius,à filiis Callirrhoes.

Axius,fluuius Mygdoniæ,quæ pars est Macedoniæ,dicitur Homero li.2.Iliad.ὃ κάλλιστον ὕδωρ, id est,cuius pulcherrima est aqua. Vide Herodotum lib.7.

A Z

Azan,mons Arcadiæ,vbi Cybele deorũ mater colebatur.Statius, Venit & Idæis vlulatibus æmulus Azan.

Azanes, Arcadiæ populi, qui inter Græcam nationem vetustate præstare creduntur,atque Parrhasii.Verba sunt Strabonis lib.8.

Azania, siue Azanium, vrbs est Asiæ minoris, quæ Herodoto AEzanum dicitur.

Aziris,ciuitas in Armenia minore iuxta Euphraten.Ptolemæus.

Azotus, vrbs inter Ascalonem & Ioppen,quam vt ait Stephanus,cõdidit quidam è Mari rubro profugus,ex nomine vxoris suæ Azes.Azotum,& capellam interpretantur: Producitur media.Hæc est vna è quinque Philisthinorum,quõdam clarissima.Est & Azotus,vrbs Achaiæ.Author Pomponius & Strabo.

B A

BABBA, Mauritaniæ oppidum,Augusti colonia,Iulia Campestris appellata.Author Plinius lib.5.cap.primo.

Babylas, Præsul Antiochenus, quem & vitæ meritis & doctrina præstantissimum Eusebius sæpe in historia commemorat.

Babylon,Mesopotamiæ vrbs est,Chaldaicarum gentium caput, quæ summam claritatem obtinuit in toto orbe, propter quam reliqua pars Mesopotamiæ,Assyriæque Babylonia appellata est. Muri ambitum habet trecentorum & octogintaquinque stadiorum: quorũ altitudo,pedes ducenti,latitudo quinquageni:in singulos pedes,ternis digitis mẽsura ampliore,quàm nostra. Via in mœnibus ipsis tã lata, vt quadrigæ sibiinuicem occurrentes,facile pertransire possent.Quapropter inter septem orbis miracula numeratur. Hãc vrbem Semiramis condidit.Author Plinius,& Strabo lib.25. Est & Babylon, AEgypti castellum, vt ait Strabo: natura munitum à Babyloniis, huc commigrantibus conditum.Vna hîc è tribus erat legionibus quæ AEgyptum custodiebant, vt idem Strabo author est.Ptolemæus hãc quoque Babyloniam vocat.hodie verò Cairum vel Alcairum appellant,quæ non castellũ est,sed vrbs maxima cõplures complexa populos, vt frequentes inde redeuntes Christiani indicant.Volaterranus.vide in dictione MEMPHIS.

Babyrſa,caſtellum munitiſſimũ Atropatiæ regionis in Aſia prope Artaxatam vrbem, vt author eſt Strabo lib.vndecimo.

Bacales,populi ſunt in Libya iuxta mare habitantes,vt ſcribit Herodotus lib.hiſtor.4.

Baccha,mulier Bacchi ſacerdos,quæ & Bacchis Bacchidos dicitur.

Bacchemon, Lactantio teſte,Perſei fuit filius & Andromedæ: & vt ipſe idem dicit,apud quoſdam populos Oriẽtales imperauit. Ex Bocatio.

Bacchiadæ,Corinthii fuerunt qui vrbem Corinthum ipſam annis ferme ducentis dominatione tenuerunt,& tyranni locupletiſſimi,& numero plurimi,& genere clari euadẽtes, emporium ipſum adempto metu fructuoſum poſſedere. Verba ſunt Strabonis lib.8. Horum etiam meminit Ouidius lib.5. Metamorph.dum Plutonis iter deſcribit Proſerpinam deferentis.

Bacchides, ducis proprium, qui Sinopem vrbem Lucullo prodidit,vt author eſt Strabo lib.12.

Bacchus,fuit Iouis filius,ex Semele Cadmi filia,vt poetæ omnes teſtantur.de quo Ouidius lib.3.Metamorph. copioſe ſcripſit. Vide infra in dictione DIONYSIVS. Eſt & martyris nomen qui vnà cum Sergio ſub Diocletiano ad Euphratem paſſus eſt.vterque ordinem in exercitu Cæſaris ducebat.Author Volaterranus.

Bactra,prouincia eſt Scythiæ vltra Aſſyriam,à flumine Bactrio cognominata:eſtque generis neutri & numeri pluralis. Virgilius lib.Georg.2. —nec Bactra,nec Indi
Laudibus Italiæ certent.

Bactri,ſiue Bactriani, populi ſunt,teſte Herodoto, Scythis proximi: de quibus propè omnia notiora ſunt, quàm vt referri debeant. multarum rerum enim copia diuites, & ſmaragdi cũ primis apud eos reperti nobilitate.Author Vadianus.

Bactrius,fluuius eſt Scytharum,à quo Bactriani dicti. Herodotus lib.7.

Bactros,fluuius eſt in finibus Scythiæ Aſiaticæ,à quo Bactra regio,& vrbs nomen ſumpſit.Lucanus lib.3,
Errantes Scythiæ populi,quos gurgite Bactros
Includit gelido,&c.

Badacum,ciuitas eſt Noricorum,ſiue Bauarorum,hodie Salezaburgẽſis dicta,à flumine quod Salezan vocãt.Author Volaterran⁹.

Badas,fluui⁹ eſt Syriæ:iuxtà ſepultus eſt Mẽnon, vt Simonides poeta ait,in Mẽnone dithyrambo Deliacorũ. Author Strabo li.15.

Bænacus,lacus eſt Galliæ Ciſalpinæ,in agro Veronẽſi,inter arctas mõtiũ fauces poſitus,adeò vt inter illos impetu coacti venti lacum

more maris exagitent,dicente Virgilio lib.Georgic. 2, Fluctibus & fremitu assurgens Benace secundo.

Bætica,tertia pars Hispaniæ sic à Bæti flumine dicta,ab incolis autem Turdetania.Author Strabo lib.3.

Bætiræ,vrbs Galliæ Narbonensis Ptolemæo.vulgo Besiers.

Bætis, fluuius Hispaniæ,ex iisdem locis nascẽs ex quibus Anas & Tagus,mediæ inter vtrunque magnitudinis existens,ab sui primordio,sicut Anas,in Occasum fluitãs, inde in Austrum deflectẽs, in idem littus excurrit.Regio ipsa à flumine, Bætica vocitatur.Verba sunt Strabonis lib.3.

Baganum authore Ptolemæo, Neruiorum ciuitas:alio nomine Tornacum,vulgo Tornay.

Bagoas,spado turpiter ab Alexandro Macedone adamatus.Proinde cum Persa quidam nobilissimus Alexandrum, eiúsque amicos muneribus cumularet,soli Bagoæ nihil honoris detulit. Rogatus causam: respondit se amicos regis,nõ scorta colere.Cælius cap. 30.lib.8.

Bagradas,vel Bagrada Numidiæ fluuius ex Libycis mõtibus longè ductus,prope Carthaginem fluit,vbi serpẽtem Regulus C X X, pedum adhibito exercitu interfecit.Authores sunt Liuius, Plinius, & Gellius.

Baiæ, Baiarũ,ciuitas Campaniæ,à Baio Vlyssis socio illic sepulto. in huius ciuitatis agro,aquæ calidæ sunt, & ad voluptatem, & ad morbos varios aptæ & commodæ.fuítque olim hæc vrbs,temperie aeris, & Romanorum frequentia,atque ornamentis ædificiorũ celeberrima,dicente Martiale ad Flaccum,

Vt mille laudem Flacce versibus Baias,
Laudabo dignè:non est satis: tamen Baias. Horatius in epistolis,
Nullus in orbe locus,Baiis prælucet amœnis.

Bairon,Historicus,scripsit breuiarium rerum ab Alexandro gestarum.Author Suidas.

Baius, Vlyssis socius in Campania sepultus,à quo Baiæ in Campania dictæ, authore Seruio.

Balbina, virgo Romana & martyr Quirini,liberata à strumæ vitio per Alexandrum põtificem, sepulta in via Appia iuxta patrem: qui ambo sub Traiano sunt passi.Author Volaterranus.

Balbus Cornelius,vide CORNELIVS.

Baldraca, puella generis obscuri, peregrinǽque conditionis,quãuis multarum rerum ob paupertatem esset indiga,noluit tamẽ corporis sui facere copiam Othoni imperatori,quãuis multa promittẽti,vt Volaterranus scribit.

Baleares, insulæ duæ in Hispanico mari funda bellicosæ, vt scribit Diodôrus Siculus in lib. περὶ νήσων: Græci Gymnesias dixerũt, Authore Plinio lib.3.ca.5.Nunc Maioricam & Minoricam nominãt à dispari quantitate.Dictas esse constat à βάλλω,quod mitto siue sagitto significat.Gymnesiæ verò dictæ,quòd incolæ nudi æstatis tẽpore iactu fundarum sese exercent. Nam vitam ibi aliquando nec vestibus,nec calceis assuetam egerunt, ternis bifidis armati fundis. Vbi matres liberos arte iaculandi solent instituere: neque enim fas est cuiquam maxilla panem terere,nisi prius ipsum lapidem fuerit indeptus iacẽtem super trabem in locum metæ. Ita quidem scripsit Lycophron,vt aliqui Latinorum scripserunt:quem Florus cap.8.li. 3,imitatus propè similia retulit. Silius li.5, Et torta Balearis sæuus habena.Meminit lib.6.Diodorus.Scribit ca.55,octaui libri Plinius tantũ apud Baleares aliquãdo cuniculorũ prouentum fuisse,vt auxilium militare à diuo Augusto aliquando in eosdẽ petierint. Ex cõmentariis Vadiani in Melam.

Baleares,insulæ, vulgò hodie Maiorca,& Menorca.

Balesium,maritimum Italiæ oppidum,non procul à Brundusio. Author Plinius lib.3.cap.11.

Baliardus,philosophus quidam Gallicus ac Peripateticus,Parisiis prodiit vir doctissimus, ab orthodoxis tamen in quibusdam aberrans, à quibus nec per synodum iussu regis Ludouici huius gratia coactam auelli potuit,quin in hoc loco deserto, cũ sociis nonnullis omne æuum abstinendo exegit.Author Volaterranus,lib.22.

Balinienses, populi in Latio ,qui aliàs Trebulani dicũtur Plinio lib.3.cap.5.

Balius,Achillis equus,apud Homerum libro Iliad.eius carmina Græca expressit Politianus in Ambra,

-balium,Xanthúmque iugales
Quos Zephyro peperit geminos Harpyia Podarge.

L.Ballienus auunculus Catilinæ,Lucretium Asellam,consulatũ, contra voluntatem Syllæ ad perturbandum ciuitatis statum petentem,occidit iussu Syllæ tũc Dictatoris,accusatus postea, ac damnatus.Author Pædianus.

Balsa,Lusitaniæ ciuitas,Ptolemæo authore,alio nomine Tauilla.

Baltia,insula in mari Germanico.

Bambyca, Mesopotamiæ vrbs est quam Edesam & Sacram vrbem vocant.in ea Artagatam Syriam deã colunt.Verba sunt Strabonis lib.16.

Bambyce,vrbs est Syriæ cœles, quæ alio nomine Hieropolis vocatur.Author Plinius lib.5.cap.23.

Bambotum, flumen Mauritaniæ crocodilis refertum, vt scribit Plinius lib.5.cap.1.

Banasa, Romanorum colonia in Africa, Valentia cognominata, vt scribit Plinius lib.5.cap.1.

Banurri, Getuli sunt, incolæ Tingitanæ prouinciæ, vt scribit Plinius cap.2.lib.5.

Baracum, Cyrenes oppidum, cuius meminit Plinius lib. 5. cap. quinto.

Baracura, Indiæ emporium extra Gangem, authore Ptolemæo, hodie Bangella ciuitas fœcundissima, & regnum latissimum.

Baragasa, AEthiopiæ oppidum, de quo Plinius lib.6. cap.29 sic scribit, Aliqui vnum AEthiopiæ oppidum vltra ponunt in litore Baragasa.

Baramalacum, Nabatæorum in Africa oppidum non spernendum, vt author est Plinius lib.6.cap.28.

Barbara, virgo Nicomediensis Dioscori nobilis viri filia, à quo in turrim est coniecta, quòd se Christianā profiteretur: ac pòst omnibus probris nudatam, conuerberatúmque corpus, ab eodem ad præsidem ducta, iugulatáque in eadem vrbe sub Maximiano est. Demum Venetiis (quò trāslata est,) condita. Author Volaterranus libro.14.

Barbarium, Hispaniæ promontorium ad Tagum fluuiū, vt tradit Strabo lib.3. Alii scribunt Barbaricum.

Barbesula, est oppidum Hispaniæ Bæticæ. Est item fluuius eiusdem nominis, qui Barbesulam oppidū præterfluit, vt author est Plinius lib.3.cap.primo.

Barce, vrbs Africæ in Cyrenaica regione, alio nomine dicta Ptolemais. Author Strabo. Fuit item Barce, nutrix Sichæi, dicēte Virgilio libro AEneid.4, Tum breuiter Barcem nutricem affata Sichæi. Fuit præterea eodem nomine regina Libyæ, à qua ciuitas quædam dicta, vt notat Tortelius grammaticus.

Barcæi, populi sunt propinqui Carthagini, vt notat Seruius in 4.AEneidos.

Barcenis, Germaniæ sylua est trans Rhenum, Sueuos à Cheruscis diuidens: nunc Sylua nigra, haud procul à Badensi agro. Author Volaterranus.

Barcha, cognomentum Amilcaris patris Annibalis, primam secundum filium gloriam inter duces Pœnos obtinuit. Primus nanque in Italia Romanorum impetum, qui multas inflixerant reip. clades, diutius quàm par erat, sustinuit, vt refert Volaterranus ex Liuio.

Barcino, Colonia Fauentia dicta, ciuitas est Hispaniæ Tarraconensis celebratissima, cuius meminit Plinius lib.3.cap. 3, in descriptione Hispaniæ citerioris. Barcelona vulgo.

Bardasanes, Mesopotamiæ præsul, Syrorum lingua doctissimus, & vehemens dialecticus, aduersus Marcionē patria lingua scripsit: sed & Græce ad Antonium, sub quo fuit, librum de Fato, aliáque complura, vt ait Eusebius lib.4.

Barderate, vrbs est Galliæ Comatæ ad Apœninū. Author Plinius lib.3.cap.5.

Bardi, erant vates, aut magi, aut philosophi in Gallia, de quibus Lucanus,

Vos quoque qui fortes animas, bellóque peremptas
Laudibus in longum vates demittitis æuum,
Plurima securi fudistis carmina Bardi.

Barduli, sunt Cantabrorum in Hispania populi, qui & Turduli, & Tapari dicuntur. Author Plinius lib.4.cap.22.

Barea, oppidum est Hispaniæ citerioris, Bæticæ tamen adscriptū, vt scribit Plinius lib.3.cap.3.

Bargeni, populi sunt Africæ, ex gentibus Troglodytis, vt scribit Plinius lib.6.cap.29, in descriptione sinus Maris rubri, Troglodytici, & AEthiopici.

Bargus, Thraciæ fluuius est in Hebrum cadens, dicente Plinio lib.4.cap.11, Flumina in Hebrum cadentia Bargus, Suemus, &c.

Bargyla, Asiæ minoris vrbs est in Caria, teste Plinio libro quinto, cap.29.

Bargylus, montis nomē in Asia, cuius meminit Plinius in descriptione Syriæ, cap.20.lib.5.

Baris, locus Pisidiæ in Pamphylia, Plinio authore lib.quinto, capite 32.

Barium, Apuliæ oppidum, quod Plinius dicit antea Iapygem vocatum à Dædali filio Iapyge. vulgo Barri.

Barnichius, fluuius est Peloponnesi in Alpheum ingrediens, antè Enipeus dictus. Cuius meminit Homerus in Odyssea apud Strabonem lib.8.

Barnus, Barnuntis, oppidum est Macedoniæ, prope Heracleam, vt Strabo author est lib.7.

Barra, oppidum Orobiorum in Italia Transpadana, regione vndecima. Author Plinius lib.3.cap.17.

Barutus, vel Barutum, vide infra in dictione BERYTOS.

Basabocates, populi sunt Galliæ Aquitanicæ, dicente Plinio cap. 19.lib.4, Basabocates, Vassei, Sennates, Cambolectri, Agesinates, Pi-

ctonibus iuncti.

Basilea, Rauricorum augusta Germaniæ nobilis vrbs ad Rhenũ flumen sita, non procul ab Argentorato, vel Argentina.

Basilei, dicũtur Sarmatæ, cognomẽto Iazyges & Vrgi, è quibus pars maxima nomadibus, id est pastoribus constat, pauci agrorum colendorum studio tenẽtur. Hos vtranque Istri ripam incolere sæpe traditur. Verba sunt Strabonis lib.7.

Basilia, insula est Ponti, dicente Xenophonte Lampsaceno, à litore Scytharum tridui nauigatione, insulam esse immensæ magnitudinis Baltiam, quam Pytheas Basiliam nominat. Verba sunt Plinii, cap.13. lib.4.

Basilicus sinus, est maris Ioniæ adiacentis, vt author est Plinius lib.5. cap.29.

Basilius Cæsariensis, Gregorii Nazianzeni, & Iohannis Chrysostomi temporibus floruit. Is Cæsareæ Cappadocum præsul factus, iussus est à Valente, qui Arrianis fauebat, deserere officium, atque in exilium abire. Cũmque ille minimè obtemperaret, atque vti cõtumax, tribunali præfecti adhiberetur, ac minis parêre principi diu frustrà tentaretur, nox ei spatii ad deliberandum datur. Basilius, Nequaquã ego, ait: tu potius in hoc spatio ab incœpto desistes. Itaque in ea nocte vxore Valentis maximis correpta doloribus, & filia insuper paruula extincta, Valens rogatum misit ad Basilium, vt precibus ad Deũ fusis ipse saltem seruaretur. Sic itaque accidit vt Basilius seruaretur. Hæc ex historia Ruffini. Basilius Ancyranus præsul arte medicus scripsit cõtra Marcellum de virginitate librũ & nõnulla alia. Hic etiã imperãte Constãtino, in parte Macedoniæ cum Eustathio & Sebastiano princeps fuit. Author Hieronymus. Alium quoque eius nominis Suidas commemorat, præsulem Ciliciæ sub Anastasio principe floruisse: haud absimilem primo & abstinentia, & vitæ institutis: scripsisséque contra Archelaum quẽdam presbyterum Coloniensem. Basilius item Asiæ fluuius. Strabo lib. 16, Inter Euphratem atque Tigrin fluit aliud flumen quod Basilius appellatur.

Basilus, vnus ex interfectorib9 Cæsaris ponitur ab Appiano. Item alter fuit pirata infamis. Lucanus,

Et Basilum videre ducem, noua furta per æquor.

Basistani, Straboni iidem Bastuli dicuntur. sic enim scribit, Hinc & eam Hispaniæ partem quam Basistanorum seu Bastulorum vocat. Strabo lib.3.

Basoropeda, regio Medorum Armeniæ cõtributa, vt tradit Strabo lib.11.

Baſſianus, patria Syracuſanus,Romam ſtudiorum cauſa miſſus, vbi Chriſtianus factus,Rauennã inſectante patre fugit.Inde Laudẽſis Præſul electus,ibidem deceſſit nonagenarius, 14.Calend.Febru. clarus prodigiis,ab vlceroſis maxime inuocatur:emicuit Ambroſii temporibus, quem ægrotantem adiit, mortíque interfuit. Author Volaterranus.

Baſſus, poeta Epicus,cuius eſt Quintiliano vehemens, ac poeticum ingenium:nec ipſum ſenectute maturum,præueniente fato, quemadmodum & Valerio Flacco contigit. Item Aufidius Baſſus hiſtoricus Quintiliani temporibus bellum Germanicum ſcripſit. Cæſius Baſſus inter Lyricos ab eodem ponitur. de quo ſic ſcribit Probus, Cæſium Baſſum poetam Lyricũ fama eſt in prædiis ſuis ardente Veſeuo,& late vagantibus ignibus cum villa ſua flagraſſe. Quintilianus quoque ſe eũ vidiſſe ait. Baſſus item & Sextius Niger Romani homines de medicina Græcè ſcripſerunt.Author Volaterranus. Præter hos fuit Baſſus martyr ſub Decio clauis ferreis confixus.

Baſtarnæ,populi Europæ in Sarmatia : de quibus Strabo, Intra terram ſunt Baſtarnæ Tyrrhegetis proximi & Germanis,& ipſi ſere ex Germanis originem ducentes,& ipſi plures in vicos nationéſque diuiſi. Nam Atmoni quidã dicuntur atque Sydones:qui verò Peucen Iſtri inſulã habitant,Peucini.Rhoxani verò magis ad Aquilonem ſpectantes,inter Tanaim & Boryſthenen campeſtria paſcuntur.Verba Strabonis lib.7.

Baſtuli,Bæticæ Hiſpaniæ populi prope Turdulos,quorum oppida ſunt,Sexi, Abdera, Ilurgis, Obulco, quod & ab Hſpanis Vbida. Sexi enim & Hexi Græcè dici poteſt, ſalſamentis nobile oppidum apud Strabonem.Apud Plinium etiam Sexitani piſces commemorantur lib.32.

Bata,Aſiæ vicus,& portus vbi Sinope vrbs Auſtrum verſus huic oræ plurimum videtur opponi.Verba ſunt Strabonis lib.11.

Batala, antiquiiſſimum Sidicinorũ in Italia oppidum, cum aliis eorum oppidis à Liuio commemoratum.

Bataui,Germaniæ populi ſunt dicente Plinio, Rhenum autẽ accolentes Germaniæ gentium in eadem prouincia, Nemetes,Tribochi,Vangiones,hinc Vbii, Colonia Agrippinẽſis, Guberni,Bataui, & quos in inſulis diximus Rheni. Horum etiam meminit Iuuenalis,Hic petit Euphratem iuuenis domitórque Bataui.Lucanus, Vangiones,Batauíque truces.&c. Horum patria hodie vulgo vocatur Holandia.

Batea,filia Teucri Scamandri fluuii filii, vxor Dardani. Diodo-

rus lib.5.

Batia, Ili tumulus in Troade, vt scribit Strabo lib.13.

Bato, Sinopēsis, de rebus Persicis scripsit, Strabone authore.

Battalus, fuit tibicen qui lasciua, & vinolēta carmine complexus est, fecitque adagio locum, Battali similis. Cælius ait hunc primum omnium calceis fœmineis in scena vsum fuisse, artémque tibiarū omnino mollitie deprauasse, à quo fluxos & parum viros Battalos vocant, vt idem Cælius author est.

Batton comicus fuit, cuius fabulas commemorat Suidas.

Battus Cyrenes conditor, quem Callimachus ait progenitorem suum fuisse. Verba sunt Strabonis lib.17.

Baucis, anus pauper, quæ cū viro suo Philemone, Iouem & Mercurium hospitio susceperunt. De quibus Ouidius lib.8. Metamorp.
Sed pia Baucis anus, parilique ætate Philemon,
Illa sunt annis iuncti iuuenilibus, illa
Consenuere casa, paupertatémque ferendo,
Effecere leuem, nec iniqua mente ferendam.
Nec refert dominos illic famulósne requiras:
Tota domus duo sunt, iidem paréntque iubéntque.

Bauius, & Meuius ineptissimi poetæ fuerunt, qui Virgilio suam gloriam inuiderunt. De quibus Virgilius ipse in Bucol. Qui Bauiū non odit, amet tua carmina Meui.

Bauli, oppidum est Campaniæ in Italia, non procul à Massico monte vitibus laudato: vt notat Volaterranus lib. sexto ex Plinio.

B E

Beatrix, virgo Romana & martyr sub Diocletiano, Faustinum & Simplicium item martyres fratres, quos prius tumulauit, post paulò eodem supplicio secuta, quòd prædium cuidam potenti vēdere noluerat. Hæc enim diues erat, ac vnà cum beata Lucina occisorum corpora in agro suo condebat. Author Volaterranus.

Bebius, delator fuit insignis cognomento Massa, qui temporibus Vespasiani principis vixit. Huius meminit Iuuenalis satyra prima, -quem Massa timet, quem munere palpat Carus.

Bebryacum, vicus situs inter Veronam, & Cremonam, duabus Romanis cladibus notus infaustúsque, vt scribit Cornelius Tacitus.

Bebryces, vt scribit Strabo, vel vt alii Bebrycii, Asiæ populi sunt, quos Arrianus originem à Bebryce trahere vna filiarum Danai scribit, quæ vnà cum Hypermnestra præter iussa patris viro pepercit. quare fugiens parentem, vnà cum viro in hæc loca ritu docuit AEgyptios: pro quibus meritis regionem ab eius nomine appellatam. Tenebant olim totum tractum vsque ad Ephesum & Magne-

fiam, vt fcribit enarrator Apollonii, Charontem adducens authorem,qui dicit Lampfacenorum regionem, olim Bebryciam appellatam.Ex Volaterrano.

Beda,natione Anglicus,ob vitæ modeftiam Venerabilis cognomentum adeptus, claruit fub Iohanne fexto Pontifice cum Saraceni ex Africa foluentes, Hifpaniam inuaferunt: ex quo Beda literis principes ad eam recuperandam folicitauit.Græcè Latinéque eruditus fuiffe traditur. Scripfit in Acta Apoftolorum, in Lucam, edidit librum de temporibus, & Homilias, quibus Gallici facerdotes frequenter vtuntur. Fratres habuit Strabonem,& Aymonem, doctos etiam viros,quorum alter homilias quafdam non in eruditas alter in Genefim fcripfit.Bedæ corpus Genuæ conditum eft.Author Volaterranus.

Beduini, ex Arabum,ac Saracenorum fecta,aliis addicti opinionibus funt,quapropter hæretici funt appellati. Ii nulla ratione,iner méfque vnà cum Saracenis in bellum ruunt, dicentes mortem vitari non poffe, fatóque omnia referunt. Hircinis amiciuntur pellibus.Solem orientem adorant.Volaterranus.

Bela, Pannoniæ rex,regno per fratris cædem potitus,bonus alioqui princeps habitus,populos à multis vectigalibus immunes fecit. primus Byzantios nũmos, argenteámque monetam percuffit. Deceffit tandem equo lapfus,fractúfque membra, poft annos regni tres,fepultus in cœnobio S.Seruatoris ab eo conftituto.Fuere quatuor huius nominis Pãnoniæ reges,vt author eft Volaterranus li.8.

Belbina,infula eft in finu Argolico, non procul à Coliados Veneris templo,vt fcribit Strabo lib.9.

Belgæ,populi funt Galliæ:à quibus Belgica tertia Galliæ pars dicta,quam incolunt ipfi.Pertingit autem Belgica ipfa à Sequana fluuio ad Rhenum vfque,vt tradunt plærique authores.

Belgium, Belgarum oppidum,apud Cæfarem.

Beli plures fuerunt,quorum primus Epapho natus eft AEgyptio rege Iouis & Ifidis filio. fiue vt placet Eufebio, Ifidis & Telegoni cuiufdam: cui poft Apidis mortem Ifis nupfit regnante Cecrope. Is Prifcus dicitur,ad differentiam Beli patris Didonis,& item alterius patris Nini regis,cui templum Babyloniæ ædificatum eft. Ex Belo Prifco,Danaus & AEgyptus, vnde regio nomen accepit,& Agenor geniti. Danaus cum effent ei quinquaginta filiæ,& AEgypto totidem mares, refponfum accepit fe à genero interfectum iri. quapropter vt nuptias recufaret fratris, feceffit Argos. tandem cũ ad hoc cogeretur,filiæ monitis patris coniuges noctu omnes interfecerunt, præterquã Hypermneftra,quæ Lynceo viro pepercit:

à quo Danaus poſtquã annos regnaſſet L, interfectus eſt. Coniuges verò quæ & Danaides & Belides vocantur, dare criminis pœnas apud inferos ponuntur, aquis implere fracta dolia coactæ. de quibus plura Volaterranus & Lucianus.

Beliſarius, Iuſtiniani principis dux, Græcus, Perſas in Oriente vicit: Vandalos verò in Africa, ducto in triumphum Giliſmere. Gothorum in Italia gentem capto Victige rege ſuperauit. Poſthæc Africam repetens, Vandalorum redintegratis viribus, bella renouãtes, reipublicæ ſubdidit, interfecto eorum rege Guntarit ſub pacis dolo. Victor inde Romã reuerſus, crucem auream, vbi res eius geſtæ cælatæ fuerant, Petri baſilicæ obtulit. Plura Volaterranus.

Bellerophon, vel Bellerophontes, Glauci regis filius, qui & ipſe regnum apud Ephyram tenuit, quo priuatus à Præto Argiuorum rege, ab eodémque ſeruus domi habitus, ac de ſtupro ab eius vxore Sthenobœa, quæ Anthea Homero dicitur, ſolicitat' eſt. Qui quod facinus quũ auerſaretur, ab eadem apud virum falſò accuſatus, cũ literis ad Ariobatum ſocerũ miſſus eſt: quibus ſcribebatur vti ille occideretur. Ariobatus itaque eũ contra Chimæram monſtrũ miſit, qui equo Pegaſo adſumpto, illam è veſtigio ſuperauit. Poſthæc ad Solymorum bellum, poſtremò ad Amazonas miſſus, victor pariter rediit. pro quibus meritis Ariobati filiam duxit Archimenen, ex qua filios ſuſcepit Iſandrum, Hippolochum, & Laodamiam. Authòr Homerus Iliad. 6.

ἡ δ' ἔτεκε τρία τέκνα δαΐφρονι βελλεροφόντῃ
ἴσανδρόν τε καὶ ἱππόλοχον, καὶ λαοδάμειαν.

Bellerus, Corinthiorum primas quidam, à quo interfecto, Bellerophontes dictus eſt, quum antè Hipponous diceretur. Ex cõmentariis in Bocatium.

Bello, vrbs eſt Hiſpaniæ citerioris ad Beſiponem portum, vt author eſt Plinius.

Bellona, dea belli, ſorórque Martis. Virgilius 9. AEneid.
Quam cum ſanguineo ſequitur Bellona flagello.

Bellouaci, populi Galliæ inter Belgas, olim bello gloria eximii: quos Cæſar, eorũ duce interfecto, in poteſtatem accepit. Apud Cæſarem in commentariis.

Belõ, vrbis & fluuii nomẽ in Hiſpania Bætica, apud Strabonẽ. li. 3

Belunum, Venetiarum oppidũ eſt in Italia, vt Platuum, Opitergium, Altinum, Concordia, Colonia. Volaterranus.

Bemarchius, Cæſarienſis Cappadociæ ſophiſta, ſcripſit res geſtas Conſtantini principis libris decem: præterea declamationes quaſdã & orationes. Author Suidas.

Benacus, lacus Galliæ. Vide BAENACVS. Rectius sine diphthongo.

Benedictus, patria Nursinus, primo Sublacũ secessit, vbi ordinẽ monachorũ instituit, in Italia primum, quem antea Basilius in Oriente constituerat. Deinde cum à frequentibus adiretur, vitãdæ gloriæ gratia, Casinum venit, vbi templũ Apollinis Iohanni Baptistæ dedicauit. Ad quẽ Totilas rex Gothorum experiundi vaticinii gratia dicitur incognitus venisse, seruo præmisso cultu regio, ab eóque patefactus fuisse. Decessit Casini Benedictus, vbi & sepult⁹ cũ Scholastica sorore, imperante Iustino seniore. Fuit & alter eiusdem nominis, eodem fere tempore quo superior Benedictus, qui à Gregorio tertio memoratur in dialogo. Viuebat monachus in Latio, XL ab vrbe lapide.

Beneuentum, oppidum est Samnitum in Italia, vt scribit Plinius lib. 3. cap. 11. Antea Maleuentum vocabatur. Hæc vrbs à Diomede condita fertur: apud quam XXX millia Samnitum cæsa fuerunt, Sulpitio & Petilio consulibus.

Berecyntia (inquit Seruius) mater deûm, dicta à monte Phrygiæ Berecynto, cuius vltima syllaba caret aspiratione, quam addimus quoties montem Deli Cynthum dicimus. Est autem tenuis ista discretio, quibus nominibus subtrahi debeat aspiratio. Nã ecce, Ripæi montes Arcadiæ, non scribuntur cum aspiratione: quam addimus cũ Riphæos montes Scythiæ significamus. Hæc Seruius apud Virgilium lib. AEneid. 9, Ipsa deûm fertur genitrix Berecyntia, &c.

Berecyntus, mons Phrygiæ est, & nomen oppidi, in quo mater deûm Cybele priscorum ritu colebatur: vnde Berecyntia, etiã dicta est. Plinius lib. 16.

Berenice, vxor Ptolemæi Lagi, mater Philadelphi, rara mulier forma, & viro dilectissima: de qua apud Theocritum. Berenice item altera, Philadelphi filia, quæ deinde Ptolemæo Euergeti fratri nupsit: cuius crines in cælum relati putantur persuasione Cononis mathematici. De quibus elegiam composuit Callimachus, conuersam deinde à Catullo. Alia præterea fuit Berenice Herodis Ascalonitæ filia, quæ nupsit etiam Agrippæ fratri. Strabo sic ait, Cæsar Augustus magno honore prosecutus est Herodis liberos, similiter sororem Salomen, eiúsque filiam Berenicem. Alia item ex eadem progenie Berenice fuit, quæ Salomes Herodis sororis filiá fuit, nupsit Aristobulo Herodis eiusdem filio, quem pater postea interfecit. Author Iosephus. Berenice quoque quam Græci Pherenicem appellant, fama celeberrima, & filia, & mater, & soror Olympionicarum fuit, vt ait Plinius lib. 7. cap. 40. Pausanias quoque hãc

Besippo, Hispaniæ portus est, non procul à Mellaria vrbe, patria Pomponii Melæ. Plinius, Portus, Besippo: oppida, Belon, Mellaria.

Bessa, ciuitas est Phocidis. Est & altera eiusdem nominis vrbs in Peloponneso. Author Strabo.

Bessara ciuitas est Assyriæ apud Ptolemæum.

Bessi, populi sunt Thraciæ ad Strymoné: authore Strabone. Horũ etiam meminit Ouidius de Ponto, Viuere quàm miserum est inter Bessósque Getásque.

Bestia Appia legitur apud Volaterranum lib. 14, ex Liuii libro secundo belli Punici, apud quem nunc legimus Vestia Oppia.

L. Bestia in coniuratione Catilinæ memoratur à Salustio.

Bethania, castellum Palæsthinæ, Marthæ ac Magdalenæ memoria conspicuum. Est & altera Bethania trans Iordanem vbi Iohannes quondam baptizabat. Author Volaterranus.

Betulo, Hispaniæ oppidum, & Betulo fluuius cuius irrigatione ager Barcinonensis lætissimus est. Author Pomponius lib. 2, in descriptione Hispaniæ. Oppidum hodie dicitur, Beson vulgo.

B I

Bianor cognométo Ocnus, Tyberis & Mantus filius, dicitur Mãtuam condidisse, vt est author Seruius. Fuit item vnus ex Troianis principibus qui cum Oileo auriga ab Agamemnone interemptus est, teste Homero lib. Iliad. vndecimo.

Biatia, Hispaniæ vrbs apud Ptolemæum: hodie Baeza.

Bias, Prieneus, vnus è septem sapientibus Græciæ, fertur in causis orandis acutissimus fuisse. Cum patriam captam fugeret, nihilque, vti cæteri, exportaret, roganti causam, illud vulgatum apud Ciceronem respondit, Omnia mea mecum porto.

Bibaculus, patria Cremonẽsis, vt scribit Eusebius, qui simul & Catullus inter poetas Iamborũ Latinorũ ponũtur Quintiliano. Est & Bibaculus alter, cuius meminit Cæsar in commentariis.

Bibaga, insula est Indiæ, ostreis & cõchyliis referta, vt scribit Plinius lib. 6. cap. 21.

Bibiana, virgo Romana & martyr sub Iuliano, quæ vnà cum parentibus martyrũ corpora sepeliebat, sepulta est apud palatium Licinianum. Author est Volaterranus lib. 3.

Biblia, vt Calepino scribitur, vxor Duillii Romani, qui primus Romæ nauali certamine triũphauit: quæ tantæ pudicitiæ fuit, vt illo seculo pro exẽplo fuerit, quo impudicitia mõstrũ erat, nõ vitiũ.

Biblis, filia Mileti nefando sui fratris amore exarsit. Quem propter hoc è patria profectum sequens, tandem contabuit, vt ait Ouidius, 19. Metamorph. vel etiam suspendit, vt ait idem De arte,

Biblida quid referam, vetito quæ fratris amore
Arsit? & est laqueo fortiter vlta nefas?

Bibracte, Heduorum oppidum in Gallia, vt est apud Cæsarem in commentariis. Vulgo Beaulne.

Bibulus, collega Cæsaris in consulatu in quem Tranquilli disti-chon cauillatur,

Non Bibulo quicquam nuper, sed Cæsare factum est:
Nam bibulo fieri consule nil memini. Idem Ciceroni proximam prouinciam in Asia tenebat. Author Plutarchus.

Bicurgium, vrbs Germaniæ Ptolemæo: hodie Erfordia, Erffort.

Bidini, populi sunt Citariis, & Cacirinis vicini, vt Author est Plinius libro 3. cap. 8.

Biendium, citerioris Hispaniæ portus est, authore Plinio lib. 4. in descriptione citerioris Hispaniæ.

Bigargitani, populi sunt Hispaniæ citerioris, authore Plinio lib. 3. cap. 3, Tarracone (inquit) disceptāt populi XLIIII, quorum celeberrimi ciuium Romanorum, Dertusani, Bigargitani.

Bigerones, populi sunt Galliæ in Aquitania, vt est apud Cæsarem in commentariis, proximi Tarbellis, Vocatiis, Tarusaciis, Sontiatibus, & Hispaniæ citeriori.

Bigerra, Hispaniæ ciuitas est Ptolemæo, cui vicina est Setabis vrbs, lino tenuissimo nobilitata: vnde sudaria Setaba à Catullo cōmemorata. Vulgo Beiar.

Bilbilis, ciuitas est Hispaniæ Tarraconensis, ferri gloria nobilitata, dicente Plinio, lib. 34. cap. 14, Hæc alibi atque alibi vtilior, nobilitauit loca gloria ferri, sicuti Bilbilin in Hispania, & Turiassonē, Comum in Italia, cum ferraria metalla in his locis non sint.

Billis, Asiæ fluuius est non longè ab Heraclea distans. Author Plinius cap. 1. lib. 6.

Bion, Borysthenites, Cratetis auditor, ad Cynicam prius sectam transiit, sumpto pallio & pera: deinde ad Theodorea instituta se cōuertit. Reliquit commētarios plures qui nō extant. Apophthegmata item plura. Author Suidas.

Bipedimui, Galliæ in Aquitania populi, de quibus vide Plinium capite 19. lib. 4.

Biracellum, vrbs Tuscorum Ptolemæo, hodie Vicarellum.

Bisaltæ, Macedoniæ gens libera, intra Strymonem & Edonicum sinum, vt scribit Plinius lib. 4. cap. 10. Stephanus Bisantē vocat, coloniámque eam Græcam à Samiis deductam. Volaterranus.

Biscargis, ciuitas est Hispaniæ apud Ptolemæum.

Bistones, gens est Thraciæ, & Bistonum stagnum, vt est apud Pli

nium cap.11.lib.4.

Bisurgis, fluuius est Germaniæ, vt scribit Strabo in exordio lib.7. sic enim ait, Bisurgis & Lupias amnis in vnum ad Amasiā deferuntur, stad. DC à Rheno semotus, &c.

Bithynia, regio est Asiæ. Hæc prius Beblicia Solino appellata est, deinde Mygdonia, postremò ex regis nomine Bithynia. Strabo Bithyniā prius Mysos habitasse dicit: quod sanè probare videtur & Dionysius poeta, qui dicit Bosphorum Thracium apud quem Bithynia est, Mysium quandoque appellatū. Adsentitur Herodotus, qui dicit Thraces in Asiam transuectos, Bithynios esse appellatos, templúmque & vaticinium Martis habuisse, & à Bosphoro vsque Rhebam flumen regionem tenuisse. De his pluribus Herodotus.

Bitias, nomen est viri: quem teste Seruio Liuius dixit esse præfectum classis Punicæ, apud Virgilium AEneid.1.

Biton, vide infra in dictione CLEOBIS.

Bituitus, Aruernorum rex in Gallia, specie colloquii comiter hospitio inuitatus, à Cn. Domitio & vinctus est, & Romā deportatus.

Biturgia, vrbs Tuscorum Ptolemæo teste, hodie Mallianum.

Bituriges, Galliæ Aquitanicæ populi liberi, vt scribit Plinius capite 19. lib.4. Hi vno die viginti vrbes incenderunt, vt Cæsarē commeatu & pabulatione prohiberent. Horum oppidum Auaricum, cuius Cæsar in cōmētariis meminit. Vulgo hodie Bourges en Berri.

Biumbres, ἀμφίσκιοι, populi sunt quicunque inter Tropicos habitant, ad Meridiem. quandoque enim incidentes habent vmbras, cū à Meridie sol ad gnomonem accedit rectum, ad subiacens planū: quandoque autem in aduersum, cum sol in aduersum consistit. Verba sunt Strabonis lib. secundo.

Bizia, vt placet Plinio, vt aliis Byzia, arx regum Thraciæ, hirundinibus inuisa, ob Terei nefandum crimen. non quòd illic facinus patratum sit, (in Daulide enim Phocidis oppido contigit) sed quòd ea Terei patria fuerit, testibus Thucydide & Pausania.

Bizon, vrbs Thraciæ, terræ hiatu rapta, authore Plinio lib.4. cap. 11. Hæc vrbs in medio Calatidis & Apolloniæ spatio sita est: Bizonia Straboni dicta.

B L

Blaena, Ponti regio satis ferax, per quam Amnias flumen illabitur. Hoc in loco Mithridates cognomento Eupator Nicomedis Bithyni copias funditus deleuit, haud quidem præsens, sed per imperatores: vnde ille cum paucis domū fugiens seruatus est, & inde in Italiam nauigauit. Verba sunt Strabonis lib. duodecimo.

Blanda, Italiæ vrbs est in litore Brutio, nō procul à Bato flumine

& Parthenio portu, teste Plinio lib.3.cap.5.

Blande, vrbs est Hispaniæ citerioris in agro Barcinonensi ad Larnum flumen sita. Author Plinius lib.3.cap.3.

Blascon, insula in Galliæ ora in ostio Rhodani, prius Metina dicta, testibus Plinio lib.3.cap.5, & Strabone lib.4.

Blemmyæ, mōstrosi populi apud AEthiopas. Author Plinius li. 5.cap.8.& Pomponius lib.primo in fine descriptionis Africæ.

Blerani, Italiæ populi Cortonensibus, & Capenatibus vicini. Author Plinius lib.3.cap.5.

Bliteræ, Narbonensis prouinciæ vrbs, olim septimanorum colonia, vt Arelate sextanorū, & Arausio secūdanorū. Plinius li.3.cap.4.

B O

Boagrius, Locrentium amnis, qui Thronion vrbem præterfluit, authore Strabone lib.9. Huius etiam meminit Homerus.

Bobium, oppidum ad Apœnini iuga situm, vbi nobile cœnobiū à Theodolinda regina Longobardorū extructum. quo in loco nuper huiuscemodi libri reperti sunt, Rutilius Numatianus, Heroicū Sulpitii carmen, L X X. epigrāmata, Terentianus Maurus de literis, syllabis, & metris omnis generis, Cæsius Bassus, Velius longus de orthographia, Adamantius Martyrius de B litera & muta, & V vocali, Probi catholica, Cornelii Frontonis elegātiæ Latinæ, Seruius grāmaticus de litera, liber persimilis Iulio Polluci de vocabulis rerum, Paraphrasis super sex Virgilii libris, Triū Eclogarū Virgilii enarrationes, & alia præterea multa quæ Volaterranus enumerat.

Bocalium, Arcadiæ oppidum Megalopoli vicinum & Parrhasiæ, vt scribit Plinius cap.6.lib.4.

Bocatius, genealogiā deorū scripsit, de fluminib⁹ & mōtibus: præterea fabulas, pluráque alia vernaculo sermone. author Volaterran⁹.

Bocchus, fuit Mauritaniæ & Getuliæ rex. Hic ligatum Iugurthā L. Syllæ tradidit, vt plenè ostendit Salustius in Iugurthino.

Boccori, qui & Cōcordienses, populi sunt Lusitaniæ, teste Plinio lib.4.cap.22.

Bocenses, Sardiniæ populi, vt scribit Plinius lib.3.cap.7.

Bochiana, oppidi nomen Troglodytarum, apud Pliniū lib.6.ca.29, in descriptione sinus Maris rubri, Troglodytici & AEthiopici.

Boderia, Ptolemæo æstuarium maris Britannici, Tacito Bodotria dictum.

Bodincus, id est Padus, Ligurū lingua amnis ipse sic vocat⁹, id est fundo carens. Verba sunt Plinii lib.3.cap.16.

Bodincomagum, oppidum iuxta Padum, alio nomine Industria. Plinius lib.3.cap.16.

Bœa, oppidum eſt Peloponeſi, in ſinu Argolico nō procul ab Epi dauro, vt ſcribit Plinius cap.5. libri 4. in deſcriptione Achaiæ.

Bœbe Bœbes, ciuitas eſt Theſſaliæ regionis: & Bœbes eius loci lacus, ad quem Bœbe ſita eſt. Teſtis eſt Strabo lib.9.

Bœotia, Græciæ regio, tria reſpicit maria, Peloponneſiacū, Siculum, & Adriaticum, totidémque in partibus colonos habet. Caſtor & Muſæus antiquiſſimi ſcriptores ſcribunt (vt tradit Euſtathius) à Cadmo conditore Cadmeæ, id eſt Thebarum, originem habuiſſe, qui ex oraculo bouem in ſedibus mutandis habuerit ducem. Sunt etiā qui ex ingenii pinguedine ſic vocatos putent Bœotos, vnde ſus Bœotica apud Pindarum, prouerbiū: & apud Pliniū Hyantis, ob eandē cauſam appellata. Vocabatur porrò & Aonia, & Meſapia, & Ogygia, ab Ogyge antiquiſſimo rege ei regioni primùm dominante: & Cadmeis, vt ſcribit Thucydides, & Hyantis ab Hyante rege. Authores Pindarus, & Plinius lib.4. cap.7. qui etiam Bœotos antiquitus Hyantas ſcribit eſſe dictos. Bœotorū res copioſè Pauſanias & Diodorus lib.5. tradiderunt.

Boetius, Zenone imperante ob affectatæ libertatis ſuſpicionem à Theodorico rege exilio damnatur: deinde cuſtodiæ traditus plura conſcripſit. Tādem ſimul cum Symmacho ſenatore ſocero ſuo, aliiſqúe præſtantibus viris interficitur, vt eſt author Euſebius.

Boemia, Myſiæ Europæ regio vltra Danubium ſita: ſic dicta à Bemis, quos Ptolemæus in ea parte gentem maximā eſſe dicit. Huius regionis latitudo, longitudini par, trium forte dierum iter, ſylua Ercynia vndique cincti, Albi fluuio media irrigatur, ab oriente Moranos, ab Arcto Saxones, ab occidente Noricum, à meridie Auſtriā & Bauariā habet. regionis metropolis Praga. Plura AEneas Syluiꝰ, qui Boemorum hiſtoriam ſcripſit.

Bogadium, vrbs Germaniæ Ptolemæo. vulgo Forſt leiſz.

Boges, vir Perſa, ab Athenienſibus obſeſſus, vbi nihil habuit cōmeatus in caſtris, liberos cum vxore primùm, demum ſeipſum in= interfecit. Author Herodotus lib.7.

Bogudiana, pars Tingitanæ prouinciæ in Africa. author Plinius lib.5. capi.2.

Bogus rex Mauriſiorum qui Antonii partes ſequebatur in Actiana pugna. Strabo lib.8.

Boianum, Samnitum vrbs Ptolemæo, hodie Bouianum.

Boii populi, iidem qui Norici vel Bauari, vt teſtis eſt Strabo, & Plinius lib.3. cap.17. Sūt itē Boii, Lugdunenſis Galliæ populi, vt idē Plinius author eſt lib.4. cap.18. Quidam Borbonenſes eſſe dicunt.

Boin, oppidum Cyrenes regionis, Plinio lib.5. cap.5.

Boion, Doridis oppidum in Græcia, teste Plinio lib.4.cap.7. Doris (inquit) in Sperchios, Erineon, Boion, Pindus, Cytmum.

Bolæ, oppidum agri Campani in Italia: cuius meminit T. Liuius. Vnde Bolani, Coriolanis & Fidenatibus vicini: apud Plinium lib.3. capite 5.

Bolbitinum, Nili fluminis ostium. Plinius lib.5.cap.19.

Bolbulæ, oppidi & insulæ nomen maris mediterranei, vt refert Plinius in descriptione insularum ante Asiam, cap.31.lib.5.

Bolētiū, Pānoniæ vrbs superioris Ptolemæo. vulgo Rachel spurg.

Bolingæ, populi sunt Asiæ, vt tradit Plinius lib.6.cap.19.

Bomarei, Asiæ populi sunt à Caspiis Orientem versus, vt author est Plinius lib.6.

Bombos, Ciliciæ regionis fluuius, dicente Plinio lib.5.cap.27, Prætereа intus flumina Liparis, Bombos, Peradisus.

Bomilcar, filius Amilcaris ducis, Pœnorū & ipse dux, veniens in suspicionem Carthaginensibus ne & ipse cum Agathocle cōspiraret, in medio foro patibulo suffixus est: vnde ille magno animo de cruce in Pœnos clamitando, eorum ingratitudinem, atque crudelitatem tam in patrem suum Amilcarem, quàm reliquos duces exprobrando, expirauit. Trogo Pompeio authore lib.33.

Bomitæ, oppidi nomen est in Amano mōte Syriæ Antiochenæ. Plinius lib.5.cap.22.

Bona dea, quā veteres Faunam siue Fatuā, siue Sentā dixere. Hāc Varro scripsit tantæ pudicitiæ fuisse, vt nullus illā dum vixit, præter virum mas viderit, nec nomen eius audierit; propter quod illi in operto sacrificabant mulieres, & Bonam deam appellabant.

Bonauentura, Franciscanus theologus, ex oppido Bahieo regio, ob virtutem & cōmētarios editos, in Cardinalium numerū ex Generali (quo nomine, vt peculiari, vtuntur Franciscani) à Gregorio decimo relatus est. Habitum quo nunc vtuntur Franciscani cardinales instituit, cum prius aliorum cardinalium modo incederent. Dum priuatus esset, ne gratis victitaret, sacros aliquot libros scriptitare solebat, ac custodi tradere mercedis loco venundandos. Postremò à Xisto I I I I, in catalogū relatus est. Huius postea libros in epitomen redegit Gulielmus Fulginas eiusdem ordinis. Author Volaterranus. Fuit itē Bonauentura alter eiusdē ordinis Patauinus cardinalis S. Cæciliæ factus, sub Iohanne X X I I. doctrinæ sanctitatē adiecit, vt qui pro martyre fere colatur, à Carranensi principe sagitta peremptus, dum ecclesiæ libertatem contra tyrannos tuetur. Vtriusque author Volaterranus lib.21.

Bonicius, præsul Auernensis, vir sanctitate clarus, cuius tunica

etiam hodie monstratur, qua à diua genitrice fuit donatus in excessu mentis, eadémque primum sacrificauit. Author Volaterranus.

Bonifacius, Romanus apud Tarsum Aglaes diuitis viduæ res procurabat: cum qua rem habebat, ebrietate, cæterisque moribus infamis. Factus repente alius, martyrium sub Diocletiano subiit, relatúsque deinde à seruis Romam, eique templum in Auentino dicatum, quod & Alexio postea commune fuit. Alius fuit Britannicus natione, præsul Maguntin9, apud Phrysios & ipse martyr, quòd iussu Stephani secundi Pontificis Pipinum Caroli patrem regem oleo sacro perunxerit. Alius eius nominis præsul Carthaginensis Zenone imperante. Alius item præsul Ferentinas, ambo cõfessores. Quintus præterea martyr Bosnensis, Othonis tertii cõsanguineus. Author Eusebius. His additur à Volaterrano Bonifaci9 Africæ comes, sub Honorio AEtii ducis æmul9, Augustino amicissim9.

Bonni, colles AEtoliæ: accolæ, Bonnenses Thucydidi dicuntur libro tertio.

Bononia, Hetruriæ princeps colonia, Felsina vocitata in octaua Italiæ regione, vt tradit Plinius lib.3.cap.15.

Bonus presbyter Romanus, simul cum Fausto & Mauro diaconis, Romæ sub Valeriano principe passus, sepulti omnes in via Latina. Author Volaterranus.

Booscæte, Βοὸς κοίτη, Hellesponti vrbs est quæ Germanicopolis postea dicta est. Author Plinius lib.5.cap.vltimo.

Boosura, βοὸς οὐρά, Latinè significat bouis cauda, vrbs est Cypri insulæ, cui vicina est Tereta & Palæpaphus, quæ antiquũ Veneris templum habet. Author Strabo.

Bootes Bootis, vel Bootæ, aut Bootus Booti, stella est iuxta Vrsam, & proinde dicta Arctophylax. Aratus, Tardus in occasum sequitur sua plaustra Bootes. Iuuenalis, Frigida circunagunt pigri Sarraca Bootæ. Ouid. Arctophylax formam terga sequentis habet. Habet quatuor stellas in dextera manu, quæ non occidunt.

Borama, Phœniciæ vrbs est non procul à Beryto, & Byblo, vt author est Strabo lib.16.

Borcani, populi Hirpinorum in Italia, non procul à Collatinis, vt author est Plinius lib.3.cap.11.

Borcobæ, Thraciæ oppidũ, Eumeniæ & Parthenopoli vicinum, vt author est Plinius lib.4.cap.11.

Boreas ventus qui & Aquilo dicitur, ἀπὸ τῆς βοῆς, quòd sonorus sit & procellosus.

Boreostoma, Danubii fluminis vnum ex ostiis. Ex eodem enim alueo & super Istropolin lacus gignitur L X I I I M passuũ ambi-

tu, Halmirin vocant. Secundum ostium, Naracustoma appellatur. Tertium, Calostoma iuxta insulam Sarmaticam. Quartum, Pseudostoma, & insula Conopon diabasis. Postea Boreostoma & Spireostoma. Singula ora & ostia tanta sunt vt prodatur in XL M passuum longitudinis vinci mare, dulcémque intelligi haustum. Verba sunt Plinii de Danubii ostiis lib. 4. cap. 12.

Borgodi, Asiæ populi, in insula Asgilia, teste Plinio lib. 6. cap. 28, in descriptione Arabiæ.

Borion, Africæ promontorium est quod maiorem Syrtim includit, dicēte Plinio libro 5. cap. 4, Promontorium quod maiorem includit, (Syrtim intelligit) Borion appellatur. Huius etiam meminit Strabo lib. 17, Vltra Berenicen est paruum quoddam promontorium nomine Borium, quod est Syrtis ostium.

Boron, est Troglodytarum oppidum, vt tradit Plinius libro 6. capite 29.

Borsippa, est Babyloniæ, quæ Mesopotamiæ coniuncta est inter Euphratis conuersiones, vrbs, Dianæ & Apollini sacra, in qua maximum lanificium est, & maxima vespertilionum multitudo. qui longè maiores sunt, quàm qui in cæteris locis capiūtur, & in esum condiuntur. Ex Strabonis libro 16. Huius vrbis artificiosi lanificii meminisse videtur Martialis, dum scribit carmen illud, Texta Semiramia quæ variantur acu.

Borysthenes, quartus Scythiæ fluuius, secundum Istrum omniū maximus: & nō modo Scythicorum fluuiorum lōgè vberrimus, sed etiam cæteris vberior præter AEgyptium Nilum, cum quo nō licet alium comparare. Cæterum vberrimus est Borysthenes pascua præbēs amœnissima & accommodatissima pecoribus, necnon optimorum ac singularium affatim piscium. Idem ad potandum suauissimus, liquidus inter turbidos fluens. In cuius quoque ostio ingens vis salis sua sponte concrescit: præbet idem ingentia cete spinis carentia. Verba sunt Herodoti in Melpomene. De Borysthene Plinius, Strabo, Solinus: sed omnium diligentissimè Herodotus libro 4, cuius verba adscripsimus. Vide etiam Pomponium in ipso exordio lib secundi.

Borysthenidæ, Populi ad Borysthenem amnem, authore Pomponio, Tum Borysthenes (inquit) gentem sui nominis abluit.

Bosgœdariza, locus est in continibus maioris Armeniæ situs. Author Strabo.

Bosphorus, à bubus meabili transitu dictus: alter Thracius latitudine D. passuum quà Darius pater Xerxis copias ponte transuexit. Alter Cimmerius Bosphorus in introitu Mæotidis per quem pa-

lus Mæotica in pontum defluit. Ouid. Bosphorus, & Tanais superat, Scythiæque paludes. Cimmeriũ quidam ex eo dictum putant, quòd Cimmerios populos habeat, qui eius frigidissimam partẽ incolant. Cimmerii porrò Bosphori latitudo est M M. D. passuum. At inter duos Bosphoros, Thracium scilicet & Cimmeriũ, directò cursu, vt author est Polybius, D M passus intersunt. Circuitu verò totius ponti vicies semel centenaquinquaginta M, vt author Varro, & fere veteres. Hæc ex Plinio libro 4 .cap. duodecimo, vbi copiosissime tractatur.

Bostra, Phœniciæ vrbs ad mare sita, Byblo vicina, vt tradit Strabo libro 16.

Botiæi, Thraciæ populi, quorum meminit Plinius lib.4.cap.11, in descriptione Thraciæ.

Botrys, oppidum est Syriæ Phœniciæ, cuius mentionem facit Plinius lib.5.cap.20, in descriptione montis Libani.

Bouianum, Samnitium colonia vetus, dicẽte Plinio lib.3.cap.12, Samnitium, quos Sabellos, & Græci Saunitas dixere, colonia Bouianum vetus, &c.

Bouillæ, oppidũ est Italiæ in agro Latino haud procul à Roma, via quæ Ariciam ducebat, vt ait Asconius. Plinius lib.3.cap.5.

B R

Bracarũ, conuẽtus vnus è septem Hispaniæ. Vniuersa enim prouincia Hispaniæ diuiditur in conuentus septem, Carthaginensem, Tarraconensem, Cæsaraugustanum, Cluniensem, Asturum, Lucensem, Bracarum. Verba sunt Plinii, cap.3.lib.3.

Braccata Gallia, Prouincia Narbonensis dicente Plinio, Narbonensis prouincia appellatur pars Galliarum, quæ interno mari alluitur, Braccata antè dicta, amne Varo ab Italia discreta, Alpiúmque saluberrimis Romano imperio iugis. Hæc Plinius cap. tertio libri 3. Constat autem Braccatam dictam esse à vestium habitu, cũ reliqua à nutriendi capilli studio Comata diceretur. quãquam sunt qui toti id nomen Galliæ falsò tribuant, illo Lucani versu moniti: Crinibus effusis toti prælate Comatæ. Constat enim ex libro vndecimo Cornelii Taciti, Comatam à Narbonensi aliam esse omnino. vide Plinium lib.4.cap.17.

Brachara apud Ptolemæũ, vulgo hodie Braga. Cuius præsul metropolitic⁹, simul & primas regni Lusitaniæ appellatur. Author Volaterranus. Bræcara Ptolemæo dicitur.

Brachmanes, Indiæ populi, & philosophi: quorum philosophãdi genus, vt indicat Strabo lib.15, non adeò à Pythagoricis præceptis



alienum est. Adnotauit Porphyrius Platonicus sapientes Indorum nominatos fuisse Gymnosophistas: qui quidē si generis successione in studio religionis, & sapiētiæ procederēt, Brachmanes dicti sint: qui vero idem electione tantū profiterentur, Samaneos dictos ait: quorum vitā scripsit Bardesanes Babylonius. Habent igitur suos Indi sapiētes, quorum potissimi Brachmanes, quos Apollonius in terra esse, & non in terra dixit, sicut Philostratus scribit lib.3. ob perpetuam scilicet rerum cælestium contemplationem. Hi mundum dixere creatū, corruptibilémque, & sphæricum, quē vniuersum conditor & administrator omnium Deus peruadat. Nostram autem vitam nihil esse aliud, quàm viuidum quēdam hominis conceptum: mortem vero, natiuitatem ad veram illam & fœlicem vitā his qui rectè philosophati sunt. Ex Strabone li.15. Horum etiam meminit Plinius lib.6.cap.17.

Brachodes, extrema vrbs Africæ minoris Ptolemæo. Vulgo Monexi.

Brachybios Dionysius vocat AEthiopas, quòd sint breuis æui, nec vltra annos XL viuant.

Bractia, insula est vna Illyrici. Insulas autem Illyrici amplius mille frequentatas Plinius est author.

Bræcara Augusta, Ptolemæo: aliàs Brachara Metropolis Portugaliæ. vulgo Braga.

Bragæ, insulæ quædam sunt desertæ, vt tradit Plinius lib.6.ca.28.

Brana, Turdulorum oppidum est in Hispania, & conuentus Cordubensis. Author Plinius cap.1.lib.3.

Brāchidæ, Apollinis Didymæi sacerdotes, apud Posideum oppidū, & promontorium Ioniæ, qui locus (inquit Plinius libro 5.cap.29,) prius Branchidarum oraculum dicebatur, nunc Didymæi Apollinis. quo in loco de Brancho, & Apollinis amore conficta fabula est. Autor Strabo lib.14.

Branchus, puer Thessalus ab Apolline adamatus.

Brancosi, populi sunt Asiæ, quorū meminit Plinius lib.6.cap.20.

Brasidas, dux Lacedæmonius, circa Amphipolim ab Atheniensium multitudine impar deprehensus, claudendum se præstitit, vt per longum coronæ ambitum extenuaret hostium frequentiam: quáque rarissimi obstabant, erupit. Authòr Frontinus.

Brattia, Mœsiæ prouinciæ, quæ Pannoniis iungitur, insula est, vt scribit Plinius cap.vltimo lib.4.

Brepium, promontorium est Achaiæ, teste Plinio lib.4.

Brauron, Atticæ oppidū, vbi Dianæ Brauroniæ sacellum est. Author Strabo lib.9, & Plinius lib.4.cap.7.

Braunm,vrbs Hispaniæ Ptolemæo, vulgò Burgos,olim Masburgi, aliis Auca.

Bregi,& Breges,& Phryges,iidem sunt.Strabo lib.12.

Bregmẽteni,Asiæ populi in Troade.Author Plinius lib.5.cap.30.

Brennus,Senonum Gallorum regulus,& dux: in cuius mẽtione occupatissimus est Liuius lib.5.

Bretena,vrbs Italiæ sub Venetia Ptolemæo,Brintum hodie,vulgo Brindes.

Bretolæum,Ptolemæo,Britium nunc dictum,Lusitaniæ oppidũ.

Breuci, Pannoniæ sunt populi, quos Saus amnis præterfluit, vt tradit Plinius cap.35.lib.4.

Breuni, Plinio inter Alpinas gentes numerantur. Sic enim scribit lib.3. cap.20, Gentes Alpinæ deuictæ,atque sub imperiũ Pop. Romani redactæ,Triumpilini,Canuni, Vennotes,Venonetes,Hisarci, Breuni,&c.

Bria,vide infra in dictione MENEBRIA.

Briareus, gigas fuit, alio nomine AEgæon dictus,quem perpulchrè his versibus depinxit Virgilius lib.10,

AEgæon qualis,centum cui brachia dicunt
Centenásque manus,quinquaginta oribus ignem
Pectoribus arsisse:Iouis cum fulmina contra
Tot paribus streperet clypeis,tot stringeret enses.

Brias, Briadis, vrbs est Pisidiæ regionis in Asia. Author Strabo, Artemidôrum antiquum scriptorem,testem citans.

Brigantes,Hiberniæ populi Ptolemæo, hodie Ganaforda ciuitas:

Brigantium,Hispaniæ ciuitas:vulgo hodie Compostella,oppidũ S.Iacobi vocatur.Ptolemæo Flauium Brigantium dicitur. Est & Brigantium,vrbs Cenomanorum Ptolemæo. vulgo Brianson.

Brigiani,populi inter Alpinas gentes Plinio numerantur cap.20. lib.13.

Brigida, mulier vitæ sanctitate insignis Romam venit è Suetia, Vrbano quinto pôtifice maximo.quatuor liberos mares, ac totidẽ fœminas omnes sanctos habuit, inter quos Catharinam,quæ eam viduam Romam comitata est,cuius etiam cura atque opera in patriam relata est.Author Volaterranus.

Brilessus,AEgialeus dictus,Atticæ mons est. Author Plinius lib. 4.cap.7.

Briletũ,mons est Atticæ regionis prope Tharnen.Vtriusque meminit Plinius lib.11.cap.37.

Brisabritæ, Asiæ populi, quorum mẽtionem facit Plinius lib.6. cap.20.in descriptione Indi fluminis.

Britannia, quæ Albion à veteribus etiam appellatur, Diodoro ac Straboni forma triangulari, lateribus inæqualibus ac tribus erecta promõtoriis est, Cantio, Heleno, & Orcha. Sita etiam è regione Galliæ circuitu X X I I millibus stadiis Straboni, duobus millibus passuum Cæsari. Lõgitudine verò D C C C, latitudine C C C millibus, Plinio lib.4.cap.16. Vulgo Anglia dicitur.

Britius, Archiepiscopus Turonẽsis Martino successit, qui aliquãdo aduersarius fuit diaconus. Author Volaterranus.

Britona, nympha Cretensis formosa, quæ cum perpetuo virginitatis voto, venationi vacaret, ad vim & stuprum Minois regis declinandum, se in aquas præcipitem dedit. Aliis Britomartis dicitur, vt Diodoro lib.6. Vide commentarios in Bocatium.

Britones, Galliæ populi inter Aquitanos.

Briuates, Galliæ Celticæ portus Ptolemæo. Vulgo Virane.

Brixellum, oppidum inter Mãtuam & Cremonã. Volaterranus.

Brixia, vrbs est Transpadanæ regionis, quam Cenomani ædificauerunt, qui post Insubres in Italiam venerunt: Liuio, Polybióque testibus. Est & Asiæ fluuius Plinio lib.6.cap.27.

Brixillum, oppidum apud Mutinam Plinio ponitur lib.3.cap.15. in descriptione octauæ regionis Italiæ.

Bromius, Bacchi epitheton à Græco verbo βρέμω, id est fremo.

Brontes, dicitur vnus Cyclopum, & minister Vulcani: interpretatúrque tonitrus. Alter Steropes, id est, fulgur: Tertius dicitur Pyracmon, quasi ignita incus. Virgilius lib.8. AEneid.

Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro,
Brontésque, Steropésque, & nudus membra Pyracmon. Hic ab Ouidio vocatur Acmonides lib.4. Fastorum.

Broteas, & Ammon, cæstibus claruerunt. Ouidius li.5. Metamor.
Hinc gemini fratres, Broteásque, & cæstib9 Ammon Inuicti &c.

Brotheus, Vulcani filius, propter oris deformitatem illusus, sese in ignem iniecit, vitámque incendio finiuit. Ouidius in Ibin,
Quódque ferunt Brotheum fecisse cupidine mortis,
Des tua succensæ membra cremanda pyræ.

Brullitæ populi, Epheso tribuuntur à Plinio lib.5.cap.29, Ephesum (inquit) alterum lumen Asiæ, remotiores conueniunt Cæsarienses, Metropolitæ, Cylbiani, inferiores & superiores Mysomacedones, Mastaurenses, Brullitæ, Hypæpeni, Dios hieritæ.

Brundulum, portus, quem Atesis amnis ex Tridentinis Alpibus fluens facit. Author Plinius lib.3.cap.16.

Brundusium, vrbs & portus Calabriæ, quam Græci Mesapiam vocant, & ante Peucetiam à Peucetio OEnotri fratre, authore Pli-

nio lib.3.cap.11.Brundusium à forma ceruini capitis, quod Messapii vernacula lingua ita nominant. Clarissima est hæc vrbs, nobili portu, quo tuta iam olim Romanis in Græciam via fuit, tum & fuga Pompeii à Cæsare obsessi, & fama Appiæ viæ hucusque stratæ nobilis. Hæc Vadianus ex optimis quibusque scriptoribus. Vulgo Brunditio.

Brusa, vrbs est Bithyniæ, ab Annibale condita sub Olympo mõte, teste Plinio lib.5.

Bruti, plures fuere apud Romanos, quos à Iunio Bruto cognomen accepisse existimamus. De quo sic Cornelius Nepos, Iunius Bruti sorore Tarquinii Superbi genitus, quum eandem fortunam timeret in quam frater inciderat, qui ob diuitias & prudentiam fuerat ab auunculo occisus, stultitiam finxit, vnde Brutus dictus. Plura de hoc & aliis Decio, Lucio, Marco Brutis lege apud Liuium, Plinium, Plutarchum, & reliquos.

Brutii, Italiæ populi tractum quem nunc Calabriam vocant, occupant, post Laum fluuium incipientes, & in fretum Siculum modo peninsulæ excurrẽtes, Lucanorum hi pastores, & transfugæ fuere. lingua enim Lucanorum, Brutii rebelles fugitiuósque significant. Author Strabo lib. 6.

Bryax vel Brias sculptor fuit marmorarius qui Mausoleum vnà cum aliis fecit.

Bryazon, amnis Asiæ in Bithynia. Author Plinius libro quinto, capite.32.

Brygion, Inter vrbes Macedoniæ Plinio ponitur lib.4.cap.10.

Brysani, Cyconum vicini inter Scythicas gentes Plinio referũtur lib.6.cap.17.

Brysæ Thraciæ populi, apud Plinium lib.4.cap.11, in descriptione Thraciæ.

Brysea, ciuitas Laconiæ, vt scribit Porphirius apud Homerum lib. Iliados 2.

B V

Bubastis, AEgypti vrbs, in qua Dianæ, quam Bubastin nominant, clarissimum fuit templum, & inter cætera maximè spectabile, vt in Euterpe scribit Herodotus. Hæc Straboni, Ptolemæóque vocata est Heroum ciuitas: quibus etiam Bubastus scribitur.

Bubeium, natio est vel oppidum Cyrenes, dicente Plinio libro 5. cap.5, Bubeium natio vel oppidum.

Bubetani, Campaniæ populi, Coriolanis vicini. Author Plinius li

bro 3.cap.5.

Bubinda, fluuius Hiberniæ Ptolemæo. hodie vulgò Slayne.

Bubo, vel Bubon (vt eſt apud Plinium) Lydorum vrbs eſt, in mediterraneis, quorum vrbes ſunt tres, Bubō, Balbura, & OEnoādros. Author Strabo lib.13.

Bubula, cum aliis Cyrenes vrbibus Plinio commemoratur cap. 5. libri 5.

Buca, oppidum eſt Frētanorum in quarta Italiæ regione. Author Plinius lib.3.cap.12.

Bucephalus, equus Alexandri Magni, ſic à latitudine frontis dictus, quo ſemper Alexāder in certaminibus vtebatur. Erat enim bellator optimus. A quo Bucephalia, vrbs Indiæ dicta, quam Alexāder cōdidit, dixítque ex nomine ſui equi Bucephali, eo ipſo in loco ſepulti. Author Strabo lib.15.& Plinius lib.6.cap.20. Eſt item Bucephalus, Achaiæ portus, vt idem Plinius ſcribit cap.5.lib.4.

Buchia, Ioniæ locus. Author Stephanus de vrbibus, Buchia, Glaucia, Sillon, parua Ioniæ loca.

Bucinna, inter paruas inſulas maris Siculi Plinio ponitur lib. 3. capite 8.

Bucolion, filius Laomedontis, teſte Homero in Iliade.

Bucia, extrema Siciliæ vrbs, authore Ptolemæo. hodie Butera.

Buda, Vngariæ metropolis, quæ thermas habet ſubtus vrbis mœnia, inter occaſum & ſeptentrionem, haud ita longè à Danubii ripa, ex humili colle fonte duplici ſcaturiente: quorum alter frigidiſſimus odore ſulphureo: alter ita calidus, vt digitum immerſum tenere nequeas, vtriuſque vberrimo effluxu. Calidus autem, piſces fere palmares alit, non paucos in feruentibus vndis oberrantes: quorum tamen dum coquuntur, ſapor nullus extet. Hæc Vadianus Pomponii interpres. Buda vulgò hodie Offen, Curta Ptolemæo dicitur.

Budêa, media producta, ciuitas Magneſiæ, à Budeo conditore: vnde & Budea Minerua in honore apud Theſſalos. Homerus autem Budeion protulit. Eſt & Budea ciuitas Phrygiæ, & Budei Medorū, & Budini Scythiæ populi. Horum meminit Plinius lib.4.cap.12.

Budoræ, inſulæ duæ prope Cretam inſulam, vt tradit Plinius lib. 4.cap.12.

Budorgis, vrbs Germaniæ Ptolemæo: hodie Vratiſlauia, vulgò Breſzlauu.

Budoris, vrbs Germaniæ, Ptolemæo authore: vulgò Heildelberg. ſub ditione comitis Palatini.

Buges, amnis eſt Scythiæ Europeæ, qui flexum Mæotidis ſe-

cat, vt author est Pomponius Mela. Supra Bugen verò, amnes sunt Agarus, quem Sagarim Ouidius nominat: & Lycus, clarissimi Ptolemæo.

Bulgari, Europæ populi in parte Mœsiæ ad Danubium, gens ferox, vt quæ multas in Europa clades vicinis intulit. Nonnullis placet non indigenas, sed aduenas esse è Scythia egressos. Author Volaterranus.

Bulla regia, liberum oppidum Numidiæ in Africa, authore Plinio lib.5.cap.3.

Bullæum, vrbs insulæ Britanniæ Ptolemæo. vulgo Vuitlan.

Bullenses, oppidum, & populi Locrorū, apud Plinium lib.4.ca.3.

Bullidensis, Macedoniæ colonia est. Author Plinius lib.4. cap.10.

Bulliones, Barbari incolæ Macedoniæ, dicente Plinio lib.4.cap.23. Apollonia, quondam Corinthiorum colonia, V I I M. pass. à mari recedens. Cuius in finibus celebre Nymphæum accolunt Barbari, Amantes, & Bulliones. Hæc Plinius.

Bulua, Ptolemæo Butua, Plinio Liburniæ vrbs, hodie Budea.

Bunitium, vrbs Germaniæ apud Ptolemæum. Vulgo Sund.

Buprasium, ciuitas & fluuius, & regio Elidis, à Buprasio conditore, cuius meminit Homerus. Buprasium iam ciuitas non est. Proinde à Plinio cap.5.lib.4. inter Achaiæ loca ponitur.

Bura, vrbs in sinu Corinthio, hausta à mari: dicente Plinio lib.2. cap.92, Pyrrham & Antissam, circa Mæotin pōtus abstulit, Elicem & Buram in sinu Corinthio: quarum in alto vestigia apparent. Hactenus Plinius.

Burchana, Ponti insula nobilissima, Plinio authore. Sic enim scribit ille cap.13.lib.4. Inde insulæ Romanorum armis cognitæ. Earū nobilissima Burchana. Fabaria à nostris dicta, à frugis similitudine sponte prouenientis. Item Glessaria, &c.

Burdegala, vel Burdigala, vt scribit Suidas. Strabo autem Burdigalliam dicit: ciuitas est Galliæ, Aquitanorum nobilissimum emporium, cuidam marino incumbens lacui, quē eruptiones faciūt. vulgo Bordeaux. Author Strabo. Hæc etiam ciuitas Ausonio poeta nobilis, quem protulit.

Burgundiones, Plinius lib.4.cap.14, inter genera Germanorum ponit. sic enim scribit, Genera Germanorum quinque, Vindelici, quorum pars Burgundiones, Varrini, Carini, Guttones.

Burnistæ, Plinio ponitur inter ciuitates Illyrici Liburnorum, lib. 4.cap.21.

Bursaonenses, Hispaniæ citerioris populi, Calaguritanis & Cōplutēsibus vicini, vt testis est Plinius lib.3.cap.3. in descriptione citerio-

ris Hiſpaniæ.

Burtina, vrbs Hiſpaniæ Ptolemæo. vulgo Barbaſtro.

Buſiris, AEgypti ciuitas in Buſiritica præfectura. Buſiris autē nullus nec rex fuit, nec tyrannus. Verba ſunt Strabonis lib.17.

Buſiris, Neptuni filius ex Libya Epaphi filia ſuſceptus, vt in libro temporum ſcribit Euſebius. Hic autem, vt ait Auguſtinus in libro de ciuitate Dei, regnante Danao Argiuis, rex, vel potius tyrannus, ſuis diis hoſpites immolabat, & ab Hercule interemptus eſt, quum etiam eum voluiſſet occidere. Huius laudes ſcripſit Iſocrates: proinde illaudatus dictus eſt Virgilio: non qui laudatus non ſit, ſed qui laudari non meruerit. Virgilius Georg. lib.3,

-quis aut Euryſthea durum,
Aut illaudati neſcit Buſiridis aras? Ex Seruio in iſtum locum.

Butes, Amyci regis Bebritiorum filius, & pater Erycis. Commētarius Apollonii, alterius quoque Butæ meminit, filii Cecropis cuiuſdam. Eſt & Butes, Scytharū fluuius, cui propinqui ſunt Agathyrſi & Sarmatæ. Tortelius.

Buthos, oppidum eſt AEgypti Ptolemæo, & Plinio libro quinto, cap. decimo.

Buthrotum, Epiri colonia eſt non longe ab Ambracio ſinu. Author Plinius cap. primo, lib.4.

Butra, inſula eſt maris mediterranei prope Cretam inſulam. Author Plinius cap.12. lib.4.

Butua, Plinio inter oppida Liburniæ recenſetur, cap.22. lib.4.

Butuntinenſes, populi ſunt Calabriæ in Italia, quorum meminit Plinius lib.3. cap.11.

Buxentum, oppidum Lucaniæ in Italia ad Laum fluuium. Plinius cap.5. lib.3.

Buzæ, Plinio inter Indicas gentes ponuntur, lib.6. cap.20.

Buzeri, gens Themiſcyræ regionis in Aſia. Plinius lib.6. cap.4.

Buzygeus, mons eſt Theſſaliæ Plinio, lib.4. cap.8.

B Y

Byblis, parua maris mediterranei inſula eſt cum oppido, alio nomine Melos dicta. Ariſtoteles Zephyriam, Callimachus Myrmallida, Heraclides Siphnum & Acyton vocant. Hæc inſularum rotūdiſſima eſt. Verba ſunt Plinii lib.4. cap.12.

Byblus, eſt Syriæ Phœniciæ vrbs, Beryto vicina, in qua Adonidis templa ſunt. Eam tyranno oppreſſam Pompeius liberauit, illo ſecuri percuſſo. Sita autem eſt in excelſo quodam loco, non procul à mari. Hæc ex Strabonis lib.16. Hodie Gaeta.

Bycus, fluuius Sarmatiæ in Europa, Ptolemæo authore. Hodie

Buges vocatur.

Byzacium,Africæ regio,Plinio li.4.ca.4,in deſcriptione Africæ.

Byzantium,Thraciæ ciuitas,à Pauſania Spartano condita,vt Iuſtinus lib.quarto author eſt.Euſtathius à Byze Megarenſium claſſis præfecto, liberæ olim conditionis, & Ligos antè dicta. Author Plinius lib.4.cap.11. Hodie à Conſtantino Magno Conſtantinopolis,& antea quoque noua Roma, mox tẽporibus Seueri, & filii ſui Antonii, Antonia vocitata. Expugnata à Mahumete Turca anno ſalutis noſtræ M.CCCCLIII,magna Chriſtianæ pietatis iactura:proximis verò annis ingenti terræmotu multis in locis concuſſa,multis in locis corruit.Meminit ſitus,originis,& potentiæ veteris Cornelius Tacitus lib.12.

Byzares, (inquit Strabo) vocabantur olim & Chalybes, qui nunc Chaldæi,in quorum terra, ſunt metalla nunc ferri, prius etiã argenti.Hæc Strabo lib.12,in deſcriptione minoris Aſiæ.

C A

CABALACA,Albaniæ in Aſia oppidum. Author Plinius li. 6.cap.10,Præualent(inquit)oppida Albaniæ,Cabalaca, Iberiæ Harmaſtis iuxta flumen Neoris.

Cabalia, Aſiæ minoris regio,in qua ſunt vrbes OEnoanda, (quã Strabo OEnoandron vocat) Balbirra,Bubon. Populi porro huius regionis incolæ,Cabalii dicuntur,teſte Herodoto lib.3.

Caballinus fons, in monte Helicone Bœotiæ. Vulgatum eſt enim fontem erupiſſe,dum ſubiectam ibi rupem Pegaſus feriret vngula.Author Strabo.Vide infra in dictione HELICON.

Cabellio,Narbonenſis prouinciæ oppidum,cui vicina ſunt Carcaſſo,& Carpentoracte oppida.Author Plinius lib.3.cap.4.Straboni ſcribitur Caballio.Vulgo Cauaillon.

Cabera,Prothei filia,ex Vulcano Caberos tres genuit,totidémque Caberidas: quibus omnibus templa eſſe dicata, author eſt Strabo libro decimo.

Caberon,Aſiæ fluuius eſt,vt tradit Plinius lib.6,cap.23,in deſcriptione Carmaniæ.

Cabullinum,vrbs Galliæ Ptolemæo, Catalaunum alio nomine dicitur,Vulgo Chaalon ſus la Sone.

Cacidiri,inter celeberrimas Scytharum gentes,Plinio ponuntur lib.6.cap.17.

Cacirini,Siciliæ populi,Latinæ conditionis,vt ſcribit Plinius lib. tertio,cap.8.

Cacus, secundum fabulas, Vulcani filius fuit, ore ignem ac fumũ vomens, qui vicina omnia populabatur. Veritas tamen secundum philologos & historicos hoc habet, Hũc fuisse Euandri nequissimũ seruum, ac furem. Nouimus autem malum à Græcis κακὸν dici: quem ita illo tempore Arcades appellabant. postea translato accẽtu Cácus dictus est, vt Heléne, Helena. Ignem autẽ dictus est vomere, quòd agros igne populabatur. Hunc soror sua eiusdẽ nominis prodidit. Vnde etiam sacrum meruit, in quo ei per virgines Vestæ sacrificabatur. Hæc Seruius enarrans eum Virgilii locum lib. AEneidos VIII,

Hîc spelunca fuit vasto submota recessu,
Semihominis Caci: facies quam dira tegebat,
Solis inaccessam radiis, sempérque recenti
Cæde tepebat humus: foribúsque affixa superbis
Ora virûm tristi pendebant pallida tabo.
Huic monstro Vulcanus erat pater, illius atros
Ore vomens ignes, magna se mole ferebat.

Caddusii, Asiæ populi sunt mediæ regionis prope Albanos & Caspios. Author Strabo lib. 11.

Cadena regia, fuit in vrbis modum instructa in montibus Lycaoniæ, vt author est Strabo lib. 12.

Cadi Cadorum, Phrygiæ vrbs est: quanuis nonnulli ad Mysiam dicunt pertinere. Hæc Strabo lib. 12.

Cadiscus, inter mõtes Cretæ Plinio lib. 4. cap. 12. numeratur. Mõtes Cretæ (inquit) Cadiscus, Idæus, Dictæus, Corycus.

Cadmus, Milesius paulo post Orpheum primus scripsit historiã de Mileto, ac totius Ioniæ regione, libris quatuor. Author Suidas.

Cadmus, alter Agenoris filius, missus à patre ad inquirendã Europam à Ioue raptam: iussúsque sine illa non redire, ex responso secutus bouem, Bœtiam vbi constitit, regionem vocauit: Thebásque ex nomine AEgyptiarũ Thebarum, vnde originem habuit, ciuitatem cõdidit. Socios insuper cum vidisset à dracone absumptos, eius interfecti dentes seuit, ex quibus orti qui se mutuis vulneribus confoderunt. Ipse tandem ab Amphione & Zeto pulsus in Illyricum secessit. De Cadmo Milesio sic scribit Plinius lib. 5. cap. 29, Miletus Ioniæ caput, Lelegeis ante & Pityusa & Anactoria nominata, super LXXX vrbium per cũcta maria genitrix: nec fraudanda ciue Cadmo, qui primus prosam orationem condere instituit. Hactenus ille. Est item Cadmus, montis nomen in Asia ad Laodicæam celeberrimam ciuitatem. ex quo monte Lycus amnis fluit. Authores Strabo lib. duodecimo, & Plinius lib. 5. cap. 29.

Cadmea, pro Thebis ipsis antiqui vsurpare soliti, vt author est Strabo libro.9,cum interim Cadmea arx Thebana esset, vt scribit Plutarchus in vita Pelopidæ.

Cadueni, Sardianæ iurisdictionis in Caria populi, vt author est Plinius lib.5.cap.29.

Cadurci, Narbonensis prouinciæ populi in Aquitania. Author Plinius lib.4.cap.19.Vulgo Caors.

C AE

Cæa.vide C E A.

Cæcias,ventus est quem,teste Gellio,Aristoteles ita flare dicit,vt nubes non procul propellat,sed ad se trahat.

Cæcilius Epirota, libertus Attici equitis Romani, ludum grammaticæ,Romæ aperuit. Primus dicitur Virgilium, & alios poetas nouos prælegere cœpisse:quod etiam Domitii Marsi versiculus indicat, Epirota tenellorum nutricula vatum. Ex Tranquillo. Huius etiam meminit Macrobius. Cæcilius Gallus,in disciplina iuris,atque legibus populi Romani noscendis,interpretandisque sciẽtia, vsu authoritatéque illustris fuit tempore Gellii, cuius etiã ipse meminit, dicitque librũ scripsisse de verborum significatione, quæ ad ius ciuile pertinerent. Cæcilius item Claudius Isidorus,C. Asinio Gallo,& Martio Cyrino Coss.ad V I.Calend.Febr.testamento suo edixit:Quanuis multa ciuili bello perdidisset,tamen relinquere seruorum quatuor milia C X V I, Iuga boum tria milia D C. reliqui pecoris C C L V I I milia:in numerato pondo D C.milia.Author Plinius. Fuit & Cæcilius Callantianus,(Callantis autẽ,ciuitas Siciliæ est) Iudæorum religionis sectator,Romæ docuit sub Augusto vsque ad Adrianum.Scripsit librum contra Phrygas,Dictionarium ex ordine literarum,Comparationem Demosthenis ac Ciceronis, & alia. Author Suidas. Præter hos Cæcilius Argiuus, versificator,scripsit de piscibus.Author Suidas. Cæcilius Statius poeta Comicus, quem Cicero ad Atticum, malum Latinitatis authorem vocat. Volcatius tamen Comicorum palmam ei concedit: fuit natione Gallus, & Ennii contubernalis: quidam Mediolanensem faciunt.decessit anno post Ennium:sepultus in Ianiculo. Author Eusebius.

C.Cæcilia, vxor Tarquinii Prisci,mulier morũ integritate laudatissima,vt scribit Volaterranus.

Cæcinos,montis nomen in Sicilia,authore Plinio lib.3. cap.10.

Cæcubum, oppidum est Campaniæ in Italia, quod licet paludibus adiaceat,vineta tamen vini feracissima præcipuis enutrit arboribus.Hæc Strabo,lib.5.

Cæculus (inquit Seruius) filius Vulcani,sic dictus quòd minoribus oculis fuerit: quam rem frequenter efficit fumus. Hic collecta multitudine postquam diu latrocinatus esset, Prænestinam ciuitatem in montibus condidit:& cum ad ludos,vicinos populos inuitasset,cœpit eos hortari vt secum habitarent:& pro gloria iactare se filium Vulcani.Quod cum illi non crederent,inuocato Vulcano vt eum filium comprobaret, omnis illius multitudinis chorus est flamma circundatus.Quo facto commoti omnes simul habitauerunt, & Vulcani filium esse crediderunt. Hactenus ille apud Virgilium lib.AEneidos 7.

Nec Prænestinæ fundator defuit vrbis
Vulcano genitum,pecora inter agrestia,regem,
Inuentúmque focis:omnis quem credidit ætas Cæculus &c.

Cæix, rex Thraciniæ,Luciferi filius, cuius fabulam vide apud Ouidium lib.Metamorph.2.

Cælestini, Vmbriæ populi in sexta regione Italiæ. Author Plinius lib.3.cap.14.

Cælius,orator,acri,turbulentóque ingenio discipulus Ciceronis. decessit admodum iuuenis.Proinde Quintilianus eum dignũ longiore vita & meliore mente dicit.Cicero in oratore,Cælius quandiu paruit authoritati meæ,talis Trib.pleb.fuit,vt nemo contra ciuium perditorum popularem turbulentámque dementiam à senatu, & à bonorum causa steterit constantius. Tandem ab Atratino quodam accusatus, quòd cum Catilina conspirasset in perniciem reipublicæ, quódque aurũ à Clodia Clodii sorore extorsisset, eique venenum propinasset,defensus à Cicerone est elegantissima illa pro Cælio oratione,quæ hodie quoque habetur in manibus. Cælius Pontius,prætor vrbanus,cum ei ius dicenti picus supra caput insedisset,& aruspices respondissent,dimissa aue,hostium victoriam fore:sed necata,reipublicæ moriturum tamen qui oppresserit, ipsam statim auem exanimauit.ex quo accidit vt ipse cum X L aliis Cæliis interficeretur.Valerius. T. Cælius, Tarracinæ splendido loco natus,cum in cubiculo quiescens in lectulo peremptus esset,quũ nulli essent alii ad quos suspicio eius peruenire posset,fratres causam dixere : postquam verò constitit eos dormiuisse aperto ostio, absoluti sunt,quoniam in tanto facinore verisimile non fuisset,eos quietem capere potuisse.Author Valerius lib.octauo. Præter hos Cælius quidam historicus Plinio scribitur lib.tertio,cap.19. Est & Cælius mons, vnus è septem muro à Romulo inclusis. Seruius apud Virgilium AEneidos sexto.

Cælos, Thraciæ portus apud Pliniũ lib.quarto,cap.vndecimo.

Cæne, parua quędā insula in mari Siculo, in Africam versa, cui vicina est Gaulos & Melite, Plinio scribitur lib.3, cap.8.

Cænica, Thraciæ regio, Plinio authore cap.11.lib.4.

Cænina, inter clara Latii oppida Plinio numeratur lib. tertio, cap. quinto.

Cænites, Achaiæ portus est, sinus Saronicus, olim querno nemore redimitus, vt author est Plinius lib.4.cap.5.

Cænys, Italiæ promontorium est, quod aduersum habet & oppositum Pelorum in Sicilia, XII stadiorum interuallo. Author Plinius lib.3.cap.6.

Cæpori sunt citerioris Hispaniæ populi. Author Plinius lib. 4. cap.20.

Cære, Cæris, neut. generis, oppidum Hetruriæ, quondam nominata Agylla: eáque à Pelasgis è Thessalia profectis condita fertur. Verùm tam splendida, támque gloriosa quondam ciuitas, vixdum hac ætate vrbis vestigia seruat. Vicina sanè magis fulgent balnea, quæ vulgo Cæretana vocantur, propter eos qui ad ea curandæ valetudinis gratia proficiscūtur. Hæc ex Strabonis libro quinto. Dicitur & Cærete Cæretis, pro eodē. Virgil.10.AEneid. Qui Cærete domo, qui sunt Minionis in aruis. Est & Cæretanus amnis ad Cæren vrbem, authore Plinio lib.3.cap.5.

Cæsar. Cæsarum familia Iuliis adscita est, qui ex Iulo Ascanio descenderūt, authore Virgilio lib. AEneidos sexto. Cæsar autem à cæso matris vtero, quos auspicatius dicit Plinius nasci, eáque de causa Africanum maiorem Cæsarem cognominatum esse comperimus. Spartianus verò & item Seruius grammaticus dicunt vocatum primum hoc nomine Cæsaris auum, qui in Africa elephātum interfecit, cæsarem appellatum lingua Punica. Cæsares item duo fratres: Dictatoris pater, & patruus, eodem fere tempore extincti: alter pater Pisis dum calciaretur, repentino moritur: alter Romæ. Plinius. Cæsares alii duo, C. & L. Ex iis Caius poeta tragicus fuit & orator, vt testatur Pædianus. Frater vterinus Catulli oratoris, vterque in libro secundo de oratore à Cicerone introducitur. Cicero etiā in Bruto C. Cæsaris meminit his verbis, C. Cæsar L. F. & superioribus, & æqualibus suis omnibus præstitit, oratórque fuit minimè ille quidem vehemens, sed nemo vnquam vrbanitate, nemo lepore, nemo suauitate conditior. Sunt eius aliquot orationes, ex quib' sicut ex eiusdē tragœdiis leuitas eius sine neruis perspici potest. Hactenus Cicero. Lucius verò & consul, & prætor fuit: ambo Syllam sequuti, iussu Marii interfecti sunt: quo tēpore M. item Antonius orator, Crassi æqualis, vt ait Pædianus. Lucius

Cæſar alter, Marci Antonii triumuiri auunculus, Pompeianarum partium, miſſúſque ab vtraque parte quandoque orator de pace. Poſtremo inter proſcriptos ab Octauio interfectus fuit, in cuius locum obtinuit Marcus Antonius, vt Cicero Octauii amicus proſcriberetur. Author Plutarchus. Fuit præter hos Cæſar Vopiſcus, qui (vt ait Varro) quum cauſam ageret apud Cenſores, dixit campos Roſeæ in Rotiano ſumen eſſe Italiæ.

Cæſarauguſta, Tarraconenſis Hiſpaniæ clariſſima ciuitas eſt, antè Numantia dicta, authore Pomponio. Auguſta Cæſarea Ptolemæo dicitur & Straboni lib.3. Hodie vulgo vocatur Saragoſſa.

Cæſarea, Mauritaniæ ciuitas eſt, antè Iol vocata, quam quũ Iuba Ptolemæi pater muniret, mutato nomine, Cæſaream vocauit. Ea portum habet & inſulam ante portum. Hæc ſunt ex Strabonis lib. 17. Eſt & Cæſarea Cappadociæ, ſic à Tyberio nominata pulſo Archelao, cũ ante Maſaca diceretur. Author Euſebius. Eſt præterea Cæſarea Apamiæ: & Cæſarea Palæſthinæ, antè Stratonis turris dicta, non procul à monte Carmelo: author Strabo lib. 16.

Cæſarienſes, Ioniæ populi, Epheſum conuenientes. Plinius lib. 5. cap. 29. Epheſum verò alterũ Aſiæ lumen, remotiores conueniunt Cæſarienſes, Metropolitæ, Cylbiani, &c.

Cæſariũ, AEgypti emporium eſt, & ſeceſſus quidã. Strabo li. 17.

Cæſarobricenſes, Luſitaniæ Hiſpaniæ populi, vt eſt apud Pliniũ lib. 4. cap. 22.

Cætobrix, Luſitaniæ vrbs Ptolemæo, alio nomine dicta Cezimbra.

Caicus, Phrygiæ fluuius eſt ex Myſia veniens. Author Plinius lib. 5. cap. 30. & Liuius lib. 6. belli Macedonici.

Caieta, vrbs & portus Campaniæ, ſic à Caieta nutrice AEneæ dictus, vt Lauinium ab vxore Lauinia. Author Solinus. quod etiam teſtatur Virgilius,

Tu quoque littoribus noſtris AEneia nutrix
AEternam moriens famam Caieta dediſti, &c. Seruius tamen explicans carmen illud, AEneid. 10, Quid repetam exuſtas Erycino in littore claſſes. Secundum (inquit) opinionem ſuam dixit. Nam alii apud Caietam dicunt exuſta nauigia: vnde & Caieta dicta eſt.

Caius, cognomen fuit apud Romanos. Multi autem Caii fuerũt vt C. Licinius Caluus, tribunus pleb. apud Liuium lib. 6, & C. Lacinius huius filius Curionis æqualis, qui ſi vixiſſet, magnã fuiſſet eloquentiæ gloriã cõſequutus. Cicero in oratore. De quibus poſtea ſuis locis dicitur.

Cainas, Aſiæ in Scythia fluuius eſt, qui in Gangem influit, naui-

gabilis, vt scribit Plinius lib.6.cap.18.

Calabria, peninsula est in secunda Italiæ regione apud Pliniū lib. 3.cap.11. Est enim in peninsulæ forma, à Brundusio vsque Tarētum Isthmo inclusa stadiis X supra C C C. Ea porro & Messapia, & Iapygia, & Calabria, & Salentina communi appellatione à multis dicitur. Hæc Strabo lib.6.

Calaguritani, Hispaniæ populi, quorū alii Subulacenses cognominantur, alii Nasaci. Author Plinius lib.3.cap.3.

Calais, Boreæ filius & frater Zeti. De quo in dictione Z E T V S.

Calamis, Calamidis, zelator egregius, cuius meminit Plinius lib. 34.cap.7. Dicitur Calais Ouidio, Vēdicat vt Calais laudem quos fecit equorum.

Calamisus, Locrorum oppidum, Plinio lib.4.cap.3.

Calamos, Asiæ oppidum in ora subiecta Libano monti. Plinius lib.5.cap.20, At in ora (inquit) Libano subiecta, fluuius Magoras, Berytus colonia, quæ fœlix Iulia appellatur. Leontos oppidum, flumen Lycos, Palæbyblos, flumen Adônis. Oppida, Byblos, Botrys, Gigarta, Trieris, Calamos, &c. Hæc ille.

Calanus, Gymnosophista Indicus cum Alexandro Magno collocutus, eúmque sequutus, sese viuum cōstructa pyra comburi iussit. Huius disputationem apud Alexandrum, & interitū multis persequutus est. Strabo lib.15.

Calapis, Pannoniæ memorandus amnis in Saum influens iuxta Sisciam, gemino alueo insulam ibi efficiēs, quæ Segestica appellatur. Hæc Plinius lib.4.cap.25, in descriptione Pannoniæ.

Calaris, Sardiniæ oppidum apud Pinium lib.2.cap.108. cuius etiā meminit Claudianus in bello Gildonico,

Vrbs Libyam contra, Tyrio fundata potenti,
Tenditur in longum Calaris, tenuémque per vndas
Obuia dimittit fracturum flamina collem.

Calathusa, insula est inter Chersonesum, & Samothracen deserta, dicente Plinio lib.4.cap.11, Desertis quoque reddantur in hoc sinu, quarum modo inueniri potuerunt nomina, Desticos, Laruos, Cyssiros, Carbrusa, Calathusa &c.

Calatiæ, Italiæ ciuitas prope Cassinum & Bouillas. Plinius lib. 3.cap.5.

Calatis, Thraciæ ciuitas est apud Plinium lib.4.cap.11, quæ antea Aceruetis vocabatur.

Calatus, filius Iouis & Antiopes, vt author est Homerus in Odyssea.

Calauria insula maris mediterranei in sinu Argolico cōtra Trœ-

zenium.Plinius lib.4.cap.12.De qua insula prouerbio datus locus, Pro Delo Calauria: in mutui beneficii memoria. Fertur enim in fabulis, Neptunũ cum Latona permutationẽ fecisse,& data Delo, Calauriam habitasse. Hæc insula Calauria, inter ignobiles (inquit Pomponius) aliàs leto Demosthenis nobilis.Demosthenes orator, cum Antipatro Alexandri successori infensus esset, atque ob id in exilium trusus, ab Archia Antipatri satellite,in Calauria deprehẽsus est: ibi sumpto calamo, scripturum se ad Antipatrum simulauit, & in tempore quod dabatur venenũ, hausit, statimque cecidit moribundus. Author in Demosthene Plutarchus. At plerique omnes codices Plutarchi, & aliàs viri minimè indocti, Calabriam falsò pro Calauria referunt.

Calbis,Cariæ amnis,vt scribit Pomponius Mela lib.1.

Calce,apud Strabonem Campaniæ ciuitas. Sic enim scribit lib. quinto,Vltra iã dictas sunt hæ quoque Campaniæ ciuitates,quarũ mentionem superius fecimus,Calce & Teanum,Sidicinum.

Calchas,fuit Testoris Troiani filius augur maxim',qui cũ initia belli à Troianis ad Apollinem Delphicum cũ muneribus mitteretur,& responsum habuerit,vt dimissis Troianis,Græcorum sequeretur fœlicitatẽ, ab illis gratissimè exceptus est. Author Dictis Cretensis.

Calciope,Absyrti soror,AEtæ regis Colchorũ filia.Ouid.in Epist.
Non erat AEetes,ad quem despecta rediret,
Non Hypsea parens,Calciopéque soror.

Cale,Cales,ciuitas est Campaniæ.Nam est in via Flaminia, quæ Cale dicitur. Est & in Gallia hoc nomine, quã Salustius captam à Perpenna commemorat.Hæc Seruius in VII AEneidos.

Calegia,Germaniæ vrbs Ptolemæo.Vulgo Vittemberg.

Calena,Ptolemæo, Britãniæ vrbs, hodie Oxonia, Vulgo Oxforde, Oxenford.

Caleni agri,in Campania,ad Massicos,dicente Plinio lib.3,Hinc fœlix illa Campania est.Ab hoc sinu incipiunt vitiferi colles,& temulentia nobilis,succo per omnes terras inclyto, atque(vt veteres dixere) summũ Liberi patris cum Cerere certamen. Hinc Setini & Cecubi obtenduntur agri. His iunguntur Falerni,Caleni. Dein, consurgunt Massici,&c. Porrò in agro Caleno,aqua est,quæ vini modo temulentos facit, vt in Paphlagonia. Idem Plinius author lib.2.cap.103.

Calenũ,oppidũ prope Calatias,& Bouillas,Plinio authore li.3.c.5.

Calestra,vrbs litoralis Thessaliæ iuxta quã Axius fluuius in mare AEgæum descendit,vt scribit Herodotus lib.7.

Calete,ignobilis insula inter Samothracen & Chersonesum,Plinio lib.4.cap.12.

Caleti,Straboni inter Galliæ Belgicæ vrbes ponuntur.Sic enim scribit lib.4, Cæterū Menapiis, ad mare proximi sunt,Morini & Bellouaci, & Ambiani, & Suessiones,& Caleti,vsque ad Sequanæ amnis exitum.Hactenus Strabo. Caleti porrò linea vela texunt, authore Plinio lib.19.cap.1,Cadurci (inquit) Caleti, Ruteni,Bituriges, vltimique hominū existimati Morini, imò verò Galliæ vniuersæ, vela texunt.

Caletranus ager, non longè à Volaterranis in Italia.Plinius, In eadem parte oppidorum veterum nomina retinent agri Crustumius,Caletranus.

Calicadnus,Ciliciæ flumen est.Author Plinius lib.5.cap.27:

Calicula,vrbs Hispaniæ Ptolemæo,Calucula Plinio dicta.

Calingæ,gentes Indicæ ad mare.Plinius lib.6. cap.17. & 19. De quibus rursum lib.7. cap.2. sic scribit, In Calingis eiusdem Indiæ gente quinquennes concipere fœminas,octauum vitæ annum non excedere.

Calingii,Asiæ populi, quibus vicina est Ampelone Milesiorum colonia.Author Plinius lib.6.cap.28.

Calingon,Indiæ promontorium, vt tradit Plinius lib.6.cap. 20

Calinipaxa,Scytharum oppidum,authore Plinio lib.6.cap.17.

Calinus,statuarius,cuius meminit Quintilianus.

Calipolis, seu Callipolis, Europæ vrbs est ad Hellespontum, vrbibus Asiæ opposita. Plinius, Hellespōtus septem stadiis Europam ab Asia diuidens,quatuor illic inter se contrarias vrbes habet,in Europa Callipolin & Seston: In Asia Lampsacum, & Abydon. Hæc porrò Calipolis non adeo celebris est atque illa Macedonica, cuius Liuius meminit Decad.4. Est & Calipolis vna ex insulis quas AEolidas vocamus,alio nomine dicta Strongyle,Dionysias. Plinius.

Calisto,Lycaonis regis Arcadiæ filia, sese Dianæ comitem addixit.Compressa deinde ab Ioue,vtero in balneis apparēte, dū simul lauaret, ab ea repulsa,Arcadem in syluis peperit, de qua antè diximus in dictione ARCTOS.

Callet, Hispaniæ oppidum, stipendiarium non liberum, dicente Plinio lib.3 cap.primo,Stipendiaria,Callet,Calucula,Castra gemina, Illipula minor,&c.

Callias,Atheniensis Comicus,filius Lysimachi,qui cognominatus est Schœnion,quòd funes ob paupertatē torqueret. Callias item Lacoplutus cognominatus,dux Atheniensium nobilis,contra Artaxerxem missus.Author vtriusque Suidas. Callias Methy-

mnæus grammaticus, quẽ Strabo dicit Alpheum Sapphóque poetas enarrasse.

Callicrates, artifex ex ebore, formicas, & alia tã parua fecit animalia, vt partes earum cerni non possent. Author Plinius.

Callimachus, poeta Cyrenæus, filius Batti, discipulus Hermocratis Iasei grammatici, vixit apud Ptolemæum Philadelphum vsque ad Euergeten bibliothecæ regiæ præfectus. Omne poematis genus attigit. In aduersarium poema acerbissimum, quem ficto nomine Ibin appellat: vnde Ouidius poeta nomen & argumentum mutuatus est. Edidit Elegias quoque & epigrammata, & hymnos, aliáque complura. Ex Suida. Horum omnium nihil extat præter elegiam vnam in lauacrum Palladis, & quosdam hymnos in deos.

Callimachus alter sculptor se κακιζότεχνον nominari studuit, quasi artis interpollatorẽ, & qui eam in tenuiorẽ exquisitiorémque disciplinam reduxit: τήκειν enim liquefacere conflaréque est. Nam ipse prius lapidẽ perforauit, minutatímque tractauit. Author Pausanias.

Callinicus, sophista Syrius, vel Arabs, profitebatur Athenis. scripsit de Cacozelia, de Rhetorica ad Cleopatrã, de rebus gestis Alexandri, & alia quædam. Author Suidas.

Calliope, pen. corr. vna musarũ, & quidẽ præstantissima, vt dixit Hesiodus, quæ etiã Calliopea dicitur. Ouid. 5. Fastorum, Prima sui cœpit Calliopea chori.

Callipidæ, Scythiæ Europeæ populi ad Hypanim fluuium: Solinus Callipodas vocat: Pomponius Mela Callipidas. eosdem Herodotus Græcoscythas nominat, quòd ex Græcis Scythæ facti sint.

Callipus, Atheniẽsis Platonis auditor interfectus à Syracusanis, quòd tyrannidẽ post Dionysium aggrederetur, Dionémque patriæ liberatorẽ per proditionẽ interfecisset. Author Plutarch9 in Dione.

Calliroe, filia Lyci hominis sanguinarii, & hospites immolantis, à Diomede relicta (quẽ Troia redeuntem benigne susceperat, & paternis liberauerat insidiis) laqueo se suspendit. Author apud Plutarchum Iubas, lib. 3. rerũ Africanarum. Calliroe, fons Atticæ. Plinius lib. 4. cap. 7, In Attica fontes, Cephisia, Larine, Calliroe, Enneacrunos. Hactenus Plinius. Est igitur Calliroe ἐννεάκρουνος dictus, id est cuius aquæ ductus, vel scaturigines sint nouem. Statius 12 Thebaid. id eleganter expressit.

Et quos Calliroe nouies errantibus vndis
Implicat. Calliroe item nomen est vrbis.

Calliste, vide infra in dictione THERA.

Callisthenes, Olynthius discipulus, & propinquus Aristotelis, vnus è comitibus Alexandri, vir ingenio doctrináque præstans,

ſcripſit hiſtoriam philoſophorum, ſecundus à Xenophonte, in qua res Alexandri geſtæ continentur. Tandem quaſi author coniurationis Hermolai,ab Alexandro indignis modis interficitur. Suſpectus quoque quòd non vti cæteri,adorandum eum putauerit. Trogus lib. XXIIII.

Calliſtus, vnus inter comites Iuliani principis expeditionis, heroico verſu eius hiſtoriam conſcripſit. Author Volaterranus.

καλὸς λιμὴν,id eſt bonus portus,ita Græci nominarunt à re ſcilicet,vt ſolêt frequētiſſimè:Scythiæ Europeæ portus eſt in Euxino ſuper Tauricos. Author Pomponius Mela lib.2.

Caloſtoma,Plinio commemoratur inter Danubii fluuii oſtia, vt antè viſum eſt in dictione BOREOSTOMA.

Calpas,Bithyniæ portus eſt prope Rhœſum fluuium, & Sangariū.Author Plinius lib.6.cap.1.Straboni tamen amnis eſt:ſic enim ſcribit libro 12, Inter Cacedonem & Heracliam multi amnes fluūt, è quibus eſt Pſillis,& Calpas,& Sangarius.

Calpe,Europæ mons eſt,vt Abyla Africæ,inter ſe oppoſiti,vt author eſt Plinius,de quibus iā antè ſcripſimus in dictione ABYLA.

Calcioli,Ptolemæo : Carſeoli Plinio,vrbs Sabinis proxima. Vulgo Taliacozo.

Calucula,oppidum Bæticæ,ex ſtipendiariis. Author Plinius cap. primo,lib.3.

Calyba, Thraciæ vrbs, teſte Strabone lib.7, Supra Byzantium (inquit) gens Aſtorum, id eſt ciuium iacet: in qua Calyba ciuitas eſt.eam Philippus Amyntæ filius collectis de exercitu ignauiſſimis habitandam conſtituit.

Calycadnus, Ciliciæ fluuius,ad quem Seleucia ciuitas ſita eſt,iuxta Sarpedonem promontorium,Straboni lib.14.

Calydium, Italiæ oppidum in Appia via,Brunduſium ducens. Strabo lib.quinto.

Calydna,Cariæ oppidum,authore Plinio lib.quinto,cap.27. Eſt item Calydna inſula vna è Sporadibus,eodem Plinio authore libro quarto, cap.12.

Calydon, AEtoliæ oppidum eſt ſeptem milium quingentorum paſſuū à mari iuxta Euenum amnem.Plinii verba cap. 2. libro 4, Ipſa Calydon OEnei patris Meleagri regia fuit,quæ ſyluæ agróque & apro cognomen impoſuit, de quibus multa mētio eſt apud Ouidium lib. Transform.8.Non tacēdum & in Britannia Calydoniam ſyluam eſſe:verùm vocabula ſyllabis dignoſci. Nam Calydon pro AEtoliæ oppido,penultimā corripit. Lucanus lib.6, Euenus Calydona ſecat.Pro Britāniæ ſylua producit,o litera correpta.Martialis,

Nuda Calydonio sic viscera præbuit vrso. Item,
Quinte Calydonios Ouidi visure Britannos. Et Silius lib.3,
Inque Calydonios primus trahet agmina lucos.

Calypso, est nympha Oceani & Thetyos filia : vel, vt aliquibus placet, Atlantis. Regnauit in Ogygia insula, & Vlyssem naufragum hospitaliter suscepit. Ouidius, Ah quoties illum doluit properare Calypso. De ea Homerus in Odyssea. Hæc de sui nomine insulã in Ionico mari cognominatam tenuit, propinquam promõtorio Lacinio, vt sentire videtur Plinius lib.3.nat.historiæ, cap.10. vel, vt aliis placet, in mari Africo.

Camacæ, populi inter Scythicas gentes Plinio commemorãtur, lib.6.cap.17.

Camæ populi, inter Scythicas gentes Plinio commemorãtur lib. 3.cap.17.

Camalodunum, Britanniæ oppidum, Plinio lib.2.cap.75.

Camara, vrbs Cretæ insulæ Ptolemæo. vulgo Camera.

Camarica, Ptolemæo vrbs Hispaniæ, alio nomine Victoria.

Camarina, Siciliæ ciuitas Straboni lib.6.

Camarinum, vrbs Vmbrorum Ptolemæo, hodie Camerinum.

Cambala, Cambalorum, Asiæ locus est in Cyspiretide regione, vbi auri metalla effodiuntur. Author Strabo lib.11.

Cambalidus mõs, Caucasi ramus in Susianis. Plinius li.6.ca.27.

Cambodunũ, Vindeliciæ vrbs Ptolemæo. hodie Monacum, vulgo Munchen.

Camboletri populi, inter Galliæ Narbonensis gentes Plinio cõmemorantur lib.3.cap.4.& lib.4.cap.19.

Cambusis, AEthiopiæ vrbs est. Author Plinius lib.6.cap.29.

Cambyses, Persarũ rex, Cyri filius patriis rebus AEgyptũ adiecit, sed offensus illorum superstitionibus, Apis cæterorúmque deorum ædes dirui iussit. Ad Ammonis quoque templũ expugnandũ exercitũ misit, qui tẽpestatibus & arenarũ motibus oppressus interiit, vt scribit Trogus Pompeius. Huius meminit etiã Seneca lib.7, Cambyses (inquit) fertur in AEthiopas iugum detrectantes: quúmque inexploratò per arentia exercitũ duceret, deficientibus cæteris alimẽtis, decimum quenque inter se in cibum sortiti sunt: durauítque adeò talis seueritas, donec & ipse, ne reuocaretur ad sortem, pertimuit, receptuíque signum dedit. Lucanus lib.10,
-vesanus adortus
Cambyses, longi populos peruenit ad æui:
Defectúsque epulis, ac pastus cæde suorum
Ignoto te Nile redit. Est & Cambyses, fluuius in Caucasiis mon-

tibus ortus,supra Armeniam maiorem,Septentrionem versus per Iberos & Albanos defluens.Author Plinius lib.6.cap.13.

Camelani,Italiæ populi in sexta regione,Narniensibus & Nucerinis vicini. Author Plinius lib.3.cap.14.

Camelidæ, insulæ duæ sunt in ora Ioniæ regionis apud Plinium lib.5.cap.31.

Camerium,Italiæ oppidū iuxta Collatiā apud Pliniū lib.3.cap.5.

Cameropis, ciuitas est Indiæ Straboni.

Camertes, Italiæ populi, in regione sexta, Amerinis vicini. Author Strabo lib.5.& Plinius lib.3.cap.14.

Cameses,consors Iani.De quo sic Perottus,de Iano loquens, Hūc regionem istam,quæ nunc vocatur Italia,regno obtinuisse, & cum Camese,qui simili modo indigena erat,ita participata potentia possedisse,vt regio,Camesene : oppidum,Ianiculum vocaretur.

Camilla,Volsca,venit auxilio Turno contra Latinos & AEneā, in quo bello etiā interfecta est.Eam Virgilius describit lib.septimo his versibus,

Hos super aduenit Volsca de gente Camilla,
Agmen agens equitum,& florentes ære cateruas
Bellatrix,non illa colo,calathisve Mineruæ
Fœmineas assueta manus,sed prælia virgo
Dura pati,cursúque pedum præuertere ventos.

Camillus Romanus, Veios decennali obsidione domuit, déque his triumphauit. Postea crimini datū quòd albis equis triumphasset, & prædam iniquè diuisisset:die dicta ab Apuleio Saturnino Tribuno plebis damnatus,Ardeam concessit.Mox cum Galli Senones vrbem diripuissent,absens Dictator factus,collectis reliquiis Gallos adortus incautos oppressit.Populum Romā migrare Veios volentē eleganti apud Liuium concione retinuit,in qua omnes vrbis dotes, laudésque licet agnoscere.Adiicit quoque Liui', quòd tertiū Dictator dictus,contra Latinos ad Satricum cōtendit,vt sociā vrbē pop. Rom.à Latinis oppugnatā tueretur.Quartum Dictator ad sedandā populi seditionē factus,valetudinē excusauit,ex quo alter ei subrogatus est. Quintum,Dictator Gallos iterum Romam petētes,& ad flumen Anienem castrametatos,superauit.Postremo Romæ octogenarius pestilentia interiit.Authores Liuius & Plutarchus.

Camirus, i producta, vna est ex vrbibus Rhodi insulæ. Strabo, Quas vrbes Homerus commemorat,Lindon,Ialyson,Camiron.

Campania, Italiæ regio,de qua sic Plinius lib.3.cap.5, Qualiter Cāpaniæ ora per se, fœlixque illa ac beata amœnitas narrari debet? vt palàm sit,vno in loco gaudentis opus esse naturæ. Iam verò to-

ta ea vitalis,ac perennis salubritatis cæli temperies est, tam fertiles campi,tam aprici colles,tam innoxii saltus, tã opaca nemora, &c. Florus item lib.primo sic de Campania scribit, Omniũ non modo Italia, sed toto orbe terrarum, pulcherrima Cãpaniæ plaga est. Nihil mollius cælo. Denique bis florib⁹ vernat,nihil huberius solo,ideo Liberi,Cererisque certamẽ dicitur.Nihil hospitalius mari. Hîc illi nobiles portus Caieta, Misenus,& tepentes fontibus Baiæ, Lucrinus,& Auernus, quædam maris otia.Hîc amicti vitibus mõtes, Gaurus, Falernus, Massicus, & pulcherrimus omniũ Vesuuus AEtnei ignis imitator . Vrbes ad mare, Formiæ, Cumæ, Puteoli, Neapolis,&c.Hæc Florus. Describitur & Straboni Cãpania lib.5.

Camponi populi,inter Aquitanicas gentes Plinio commemorãtur lib.4.cap.19.

Campsiani,Germaniæ populi indigentia laborantes,cõmemorãtur Straboni his verbis,Sunt alii Germaniæ populi,indigentia magis laborantes,Sugambri, Chaubi,Bucteri,Cimbri,Cauci, Caulci, Campsiani,cæterique complures.Hactenus ille lib.7.

Canace,Macarei soror,AEoli filia: de qua Ouidius scribit in epistolis.

Canaius,amnis AEolidis.Plinius lib.5.cap.30.

Canaria,inter fortunatas insulas Plinio numeratur li.6.cap.32.

Canarii,Africæ populi,de quibus Plinius,Qui proximos(inquit) inhabitent saltus,refertos elephantorum,ferarúmque,& serpẽtum omni genere,Canarios appellari.Hæc ille lib.5.cap.1.

Canas,oppidum Lyciæ regionis Asiaticæ.Lycia quõdam(inquit Plinius lib.5.cap.27,) L X oppida habuit,nũc X X X V I habet.Ex his celeberrima præter supradicta,Canas,&c.

Canastræum,Macedoniæ promontoriũ, in Thermaico sinu:dicẽte Plinio lib.4.cap.10,In Thermaico sinu oppida Dicæa,Pydna, Derra,Scione,promontorium Canastræum.

Canatha,oppidum est in Decapolitana regione,quæ Syriæ iungitur.Plinius lib.5.cap.18.

Canchlei,Arabiæ populi,apud Plinium lib.5.cap.10.

Candace,AEthiopũ regina,de qua sic Strabo, Candace per nostra tempora AEthiopibus imperauit,virilis sanè mulier,sed altero oculo capta.Hæc ille lib.17, & Plinius lib.6.cap.29.

Candaria,promõtorium est in Coo insula.Author Strabo li.14.

Candauiæ, montes sunt in Macedonia, de quibus Plinius lib.4. cap.23.Straboni tamen lib.7,Candauia mons est Illyrici, qui Macedoniam Illyricúmque disterminat.

Candebœa,palus est in radicib⁹Carmeli mõtis:de qua sic Plinius

scribit li.36.cap.26, Pars est Syriæ,quæ Phœnice vocatur,finitima Iudææ,intra montis Carmeli radices paludem habens, quæ vocatur Candebœa.Ex ea creditur nasci Belus amnis,&c.

Candei, Arabici sinus populi, quos Ophiophagos ob id vocant, quòd serpentibus vesci sint soliti.Author Plinius lib.6.cap.29,& Pōponius Mela lib.3,in descriptione sinus Arabici.

Candidum,Zeugitanæ regionis,quæ propriè Africa dicitur,promontoriū.Plinius lib.5.cap.4,Sunt enim Africæ minoris tria promontoria,Candidum,mox Apollinis aduersum Sardiniæ,Mercurii aduersum Siciliæ,quæ procurrētia in altum duos grandes sinus efficiunt.De hoc & Pomponius Mela lib.primo,vbi licet anim ad uertere errorem Solini ex Vadiano.

Candyba,Lyciæ regionis ciuitas est,vbi laudatur OEmū nemus. Hæc Plinius lib.5.cap.27.

Cane,oppidum est AEolidis regionis.Plinius lib.5.cap.30.

Caninius, eodem die quo adeptus est consulatum obiit, ex quo Ciceronis scomma, Vigilantissimum habuimus consulem Caninium,qui toto consulatu suo somnū non vidit. C.Caninius alter eques Romanus,quum in Sicilia otiandi causa venisset,hortósque à Pythio argentario viro doloso emisset,instructos piscibus,& piscatoribus deindustria positis,postera die quū ad eosdem ipse amicos inuitasset,nullos ibi neque pisces,neque piscatores reperit.Vide Ciceronem lib.3.Offic.

Canius poeta fuit temporibus Martialis,eíque familiaris,qui natura erat ita hilaris vt semper rideret, de quo Martialis lib.1.Epig. ad Maximum.

Cannenses,Italiæ populi,Corinensibus & Collatinis vicini, Romana clade insignes.Plinius lib.3.cap.vndecimo.

Canobus,nauis Menelai gubernator, quo tēpore Menelaus ipse in AEgyptum perrexit:de quo infra in dictione CANOPVS.

Canopicum,Zeugitanæ regionis,quæ propriè Africa & minor Africa Plinio dicitur,oppidum est,eodem authore lib.5.cap.4.Est & Canopicum Nili fluminis ostium: quod cum cæteris commemoratur Straboni lib.vltimo,Plinio lib.5.cap.10,Ammiano lib.22, Pomponio lib.primo.

Canopus, parua insula est mediterranei maris, Nili ostio, quod Canopicum vocant,obuia.Menelai gubernator Canobus ibi forte moriens nomen insulæ, illa ostio dedit. Hæc Pomponius Mela. Proinde cum à Canobo dicta sit, ideò b litera scriptum aliquando vocabulum,teste Quintiliano lib.primo. Canopi porrò his verbis meminit Tacitus lib.2.historiarum,Condidere(inquit)id Spar-

tani ob sepultum illic rectorem nauis Canopum, quã tempestate Menelaus Græciam petens, diuersum ad mare terrámque Libyam delatus. Noti sunt Menelai post Helenam raptam, ad Syrium litus errores, ex Homero. Est item Canopus, syderis nomen, cuius meminit Plinius lib.6.cap.22, in descriptione Taprobanæ insulæ.

Canopitanum, oppidum liberum Zeugitanæ regionis, siue Africæ minoris Plinio lib.5.cap.4.

Cantabri, Hispaniæ populi, Lusitanis vicini, bellicosissimi, & ægrè vel ab Augusto victi. ideo & Horatius 2. Carminum ait,
Cantabrum indoctum iuga ferre nostra. Silius lib.3,
Cantaber ante omnes hyemísque, æstúsque, famísque
Inuictus; palmámque ex omni ferre labore. Item lib.5,
Tum quo non alius venientem in prælia dextram
Ocyor attulerit, conductáque bella probarit
Cantaber, & galeæ cõtempto tegmine vasto, &c. De Cantabris & eorum moribus scribit Strabo lib.3.

Cantarus, poeta Comicus Atheniensis, cuius ferũtur fabulæ nõnullæ positæ à Suida.

Canthus, Abantis filius inter Argonautas ab Apollonio ponitur, itémque ab Orpheo. Apollonius dicit eũ in Libya periisse: Flaccus autem noster in AEa.

Cantiũ, Britanniæ promontorium Ptolemæo, Cantia, regio, Vulgo Kent: vbi ciuitas Cantuaria, vulgo Canterburi.

Cantiœbis, vrbs Germaniæ Ptolemæo, hodie Amberga, vulgo Amberg.

C. Canuleius Trib. ple. rogationes duas tulit, Vt cõnubia plebis cũ patribus essent communia, Et alter consul de plebe crearetur. Orationem eius aduersus C O S S. vide apud Liuium lib.4.

Canusium, Apuliæ oppidum, quod præterfluit Aufidus amnis. Authores Plinius lib.3.cap.11.& Strabo lib.6.

Capaneus, maritus Euadnes, vnus è septem ducibus qui Thebas obsederunt, vt est author Statius lib.3. Thebaidos, superbus atque deorum contemptor: qui non cõtentus vicisse homines, mediis Capaneus auditur in astris. Is à Ioue, fulmine percussus in bello Thebano fabulis dicitur, quoniã quum scalis admotis Thebanos muros vellet conscendere, iactu lapidum ab inimicis oppressus est. Vegetius li.4. de re militari, Qui scalis (inquit) in obsidione vrbiũ vtuntur, frequenter periculum sustinẽt exemplo Capanei, à quo primũ scalarum oppugnatio perhibetur inuenta: qui tanta mole lapidum fuit obrutus à Thebanis, vt fulminib⁹ dicatur extinctus. vnde Ouidius lib.4. Tristium, Cũ cecidit Capaneus subito temerarius ictu.

Capara, Ptolemæo, alio nomine Capera, Hispaniæ Lusitaniæ vrbs.

Vulgo Caparea.

Capastite enumeratur inter Asiæ præfecturas, quas alio nomine vocant nomos Plinio lib.5.cap.9.

Capêna,pen.prod. oppidum vicinum Romæ iuxta fontẽ AEgeriæ. Hinc Capenates,Italiæ populi, Clusinis vicini, authore Plinio lib.3.cap.5. Est & Capena,porta Romæ,à Capena vrbe,quã Italus rex ædificauit. Hæc etiã porta Appia dicta est,per quã, Capuã itur. Iuuenalis,Substitit ad veteres arcus,madidámque Capenã. Liuius, Censores viã sternendã à porta Capena ad Martis ædem locauerũt.

Caper,fluuius,Laodicæam clarissimã Cariæ vrbem cũ Lyco & Asopo amnibus alluit.Author Strabo lib.12.Plinio Caprus.

Caphareum,Eubœæ promõtorium.Sunt autem Eubœæ promõtoria tria,dicente Plinio lib.4.cap.12,Eubœa ad meridiem promontoriis duobus,Geresto ad Atticam vergente, & ad Hellespontũ Caphareo insignis,à Septentrione Ceneo &c.

Capheris,inter desertas insulas quæ inter Chersonesum & Samothracen sunt,Plinio numeratur lib.4.cap.12.

Capillati,populi inter Alpinas gentes.Plinius lib.3.cap.20,Capillatorum plura genera ad confinium Ligustici maris.

Capissenæ,Asiæ populi,Capissam vrbem habent, quã diruit Cyrus.Hæc Plinius lib.6.cap.23.

Capitalia,mons Indicorũ altissimus.Author Plinius lib.6.ca.20.

Capito Lycius composuit historiam Isauricam libris octo. Epitomas Liuii & Eutropii in Græcũ vertit sermonem. Scripsit & res Lyciæ & Pamphyliæ.Author Volaterranus lib.14.

Capitoliũ,prægrandis arx Romæ,in monte Saturnio, ex præda Apiolarum,Latinorum vrbe,à Tarquinio Superbo extructa. Author Plinius lib.3.cap.5. Sic autem dictum fuit à capite hominis ibi reperto dum fundamenta foderent. Capitolinus fuit cognomen eius qui caput inuenit quum Capitolium extrueretur. Quo nomine dictus fuit author quidam qui de Cæsaribus scripsit.

Capitulum,Italiæ oppidum propter Bouillas & Calatias.

Capote, Asiæ mons ex quo Euphraten oriri Licinius Mutianus antiquissimus rerum scriptor,credidit.Author Plinius lib.5.cap.24.

Cappadocia,Asiæ regio,quam Ptolemæus tabula Asiæ prima describit,& Plinius lib.6.cap.2.& 3.

Cappagum,Hispaniæ Bæticæ oppidum Gaditani conuentus. Author Plinius lib.3.cap.1.

Capraria, adiacens Italiæ insula à Græcis AEgilos dicta, de qua Solinus cap.9.& Plinius cap.6.libri tertii.

Caprasia,Padi fluminis ostium,apud Plinium lib.3.cap.16.

Capreæ,insulæ proximæ Neapoli,Tiberii principis arce nobiles. Plinius lib.3.cap.6.Huius arcis meminit in Tiberio Suetonius.

Capria,lacus est apud Strabonem in descriptione Pāphyliæ li.14.

Caprullon,portus est prope montē Atho,Pomponio Melæ lib.2.

Capsitani,populi Zeugitanæ regionis quæ Africa minor dicitur. Plinius lib.5.cap.4.

Capua,clarissima Campaniæ vrbs,quæ Annibalem victoriis fatigatum luxu atque otio perdidit.Eam Seruius grāmaticus à Tuscis,qui omnem penè Italiam subiugarint, conditam scribit, apud Virgilium lib.AEneidos 8,quum hunc versum exponit,
Et Capys:hinc nomen Campanæ ducitur vrbi. Suetonius in Dictatore,Capys conditoris sepulchrum Capuæ fuisse indicat,in quo à colonis deductis tabula reperta fuit,quæ Cæsari mortem denuntiarit.Ad id & Lucanus accedit lib.2,Mœnia Dardanii tenuit Cāpana coloni. Plinius cap.5.lib.3, Capua(inquit) ab vndecimo campo dicta. Quod quomodo intelligendum sit, inibi Hermolaus adnotauit.M. Cicero luxus infamia Capuam notans,luxuriæ & superbiæ domicilium esse ait,in oratione de lege Agraria cōtra Rullum, & item in oratione post reditum in senatu. De laudibus vrbis Capuæ multa apud eūdem Ciceronem in dicta oratione cōtra Rullū.

Capys,Capyos,filius Assaraci,& pater Anchisæ:à quo dicit Virgilius conditam Capuam.Vide CAPVA.

Carabi,Scythiæ flumen est apud Plinium lib.6.cap.17.

Caracra,vrbs Hispaniæ,Vulgo Guadalaira.

Caralitani,Sardiniæ insulæ populi,vt scribit Plinius in descriptione Sardiniæ insulæ lib.3.cap.7.

Caralitanum, vnū è Sardiniæ promontoriis.Author Plinius lib. 3.cap.7,in descriptione insulæ Sardiniæ.

Carambis,Paphlagoniæ promontorium est in mediis ipsius regionis litoribus:cuius meminit Plinius lib.4.cap.12,& lib.6.cap.2. Valerius item Flaccus lib.4, Quid tibi nubifera surgentem nube Carambim?

Carambucis, Scythiæ fluuius,ad montes Riphæos.Author Plinius lib.6.cap.13.

Carana,Ponti oppidum,à quo Caranensis regio dicitur,vt scribit Strabo lib.Geographiæ duodecimo.

Caranitis,præfectura est Armeniæ maioris,apud Plinium lib.5. capite 24.

Caranus,Macedoniæ rex,cuius historiā pluribus persequitur Iustinus lib.7. eius etiā meminit Solinus cap.12. Est item Caranus Aradiorum portus in Phœnicia prope Paltum vrbē.vide Strabo.

nem lib.16.

Carafeni,populi Tauricæ regionis,de quibus Plinius lib.4.ca.12.

Caraftafci,Plinio lib.6.cap.7,populi funt circa Mæotin.

Caraxus, frater fuit Sapphus & amafius meretricis quam Sappho Doricam appellat,alii Rhodopen.Perottus.

Carbania,Pomponio Melæ li.2,cõmemoratur inter paruas infulas Italiæ adiacentes.

Carbas,vẽtus Africus dicitur à Vitruuio:nautæ Carbinũ nominant,quem Libycum hodie vel rura vocant.

Carbilefi,Thraciæ populi, apud Plinium lib. 4. cap.11,in defcriptione Thraciæ.

Carbileti,Thraciæ populi,de quibus Plinius lib.4.cap.11.

Carbilius,primus Romanorum,v xorem repudiauit ob fterilitatẽ. Sp.Carbilius eius libertus primus ludum grãmaticæ Romæ aperuit mercede docẽs.Author vtriufque Plutarch⁹ in problematis.

Carbo,orator Romæ,cuius meminit Ciceroni Bruto his verbis. Vtinam in Tyberio Graccho Caióque Carbone, talis mens ad rẽpublicam bene gerendam fuiffet, quale ingenium ad bene dicendũ fuit:profecto nemo his viris gloria præftitiffet. Sed eorũ alter propter turbulentiffimum tribunatũ,ad quem ex inuidia fœderis Numantini bonis iratus accefferat, ab ipfa repub.eft interfectus.Alter propter perpetuam in populari ratione leuitatem, morte voluntaria fe à feueritate iudicũ vindicauit. Sed fuit vterque fummus orator,atque hoc memoria patrũ tefte dicimus. Fuit item Carbo illius eloquentiffimi viri filius,orator non fatis acutus,fed tamẽ orator numeratus.erat in verbis grauitas,& facile dicebat,& authoritatem quandam naturalem habebat oratio. Hæc Cicero. Hunc poftremò ab exercitu fuo interfectum fuiffe,quem bellis ciuilibus lapfum adftringere,& ad difciplinam reducere cupiebat.author eft Valerius. Cn.Carbo præterea,huius frater fumma fuit authoritate in rep. partes Marianas fecutus . In tertio confulatu fuo in Sicilia, iuffu Pompeii dum ventrem apud latrinam exoneraret, trucidatus eft.Author Valerius.

Carbulo,oppidum eft Hifpaniæ Bæticæ prope Cordubã. Plinius lib.3.cap.3.

Carcafum,Narbonenfis Galliæ vrbs. Author Plinius lib.3.cap.4, in defcriptione Narbonenfis prouinciæ.Hodie vulgò Carcafona.

Carcathiocerta,Armeniæ maioris vrbs Tigri proxima,vt author eft Plinius lib.6.cap.11.

Carchedon,pen.producta,dicitur Carthago. Inde Carchedonius, Carthaginẽfis,Vnde à Plauto dictum eft,Carchedonia vocatur hæc

comœdia, Latinè Pœnulus. Dicta Carchedon à Carchedone conditore. Vide CARTHAGO.

Carcinites, sinus est Scythiæ Europeæ apud Pliniū lib.4.cap.12. & Pomponium lib. secundo. In eodem sinu vrbs est, nomine Carcine, eodem Pomponio authore. Est & Carcinites fluuius oppidum præterfluens Ptolemæo.

Cardamila, fuit vrbs in Argo, propinqua Pylo, & sub dominio Agamemnonis, vt testatur Homerus lib.9. Iliad.

Cardia, Thraciæ oppidum apud Plinium lib.4.cap. vndecimo, cuius sæpe Demosthenes meminit in oratione cōtra Aristocratem.

Carenses, Hispaniæ populi, Complutensibus proximi, vt tradit Plinius lib.3.cap.3.

Carētani, Italiæ populi, Frentanis vicini in quarta Italiæ regione. Plinius lib.3.cap.12.

Cares, Asiæ populi circa Tanain, proximi Clazomeniis & Mæonibus. Plinius lib.6.cap.7. Cares itē statuarius Lisippi discipulus

Caresius, fluuius Troiæ, vt scribit Homerus lib.12. Iliados.

Caretha, insula est in mari Lycio, quæ postea Dionysia dicta est. Author Plinius lib.5.cap.30.

Caria, eius Asiæ quæ minor dicitur, prima regio est. Minorem autē Asiam Plinius lib.3.cap.27. ab ortu Lycaonia, & Phrygia illa quæ Galatiā, & Pisidas attingit, ab occasu toto AEgæi maris excursu, à meridie AEgyptio pelago, à septentrione Paphagonia terminat.

Carini, Germaniæ populi apud Plinium lib.4.cap.14.

Cariosuelites, Galliæ Lugdunēsis populi apud Pliniū lib.4.cap.18.

Carisa cognomine Aurelia, ciuitas est Hispaniæ Bæticæ, conuentus Gaditani. Author Plinius lib.3.cap.primo.

Carius, Iouis filius & Danaes, qui diuinos honores in Lydia assecutus est.

Carmace, Asiæ populi circa Mæotim. Author Plinius li.6.cap.4.

Carmani, Asiæ populi, vt docet Plinius lib.7.cap.34. Ii Ichthyophagi cognominati sunt, quòd solis piscibus vescantur: de quibus Pomponius lib. tertio scribit. Carmani (inquit) sine veste ac fruge, sine pecore, ac sedibus: piscium cute se velant, carne vescūtur, præter capita toto corpore hirsuti. Hæc Pomponius.

Carmania, vt Stephanus & Strabo tradunt, regio Indiæ. Carmania autem duplex est, culta vna, deserta altera. Author Ptolemæus.

Carmelum, vel Carmelus, promontorium est Phœnices, & oppidum in monte situm. Author Plinius lib.5. cap.19. Vide dictionarium Biblicorum nominum.

Carmenta, & Carmētis, Euandri mater: à carminibus quibus da-

bat responsa, quum proprie Nicostrata vocaretur. Erat hæc rerum futurarum admonitrix: quæ Phœbo dedicata, carminibus oracula significabat. Hinc Carmētalis porta. Virgil. Et Carmētalem Romāno nomine portam. Postea vero Scelerata dicta est, quòd per eā sex & trecenti Fabii cum clientum quinque milibus egressi, aduersus Hetruscos ad amnem Cremerā omnes interfecti sunt. Ouidius,

Carmentis portæ dextro est via proxima Iano,
Ire per hanc noli quisquis es, omen habet.
Illam fama refert Fabios exisse trecentos:
Porta vacat culpa, sed tamen omen habet.

De hac Strabo lib.5, multis verbis, & Solinus in descriptione Romæ.

Carmon, locus in Messenia, & templum Apollinis in Laconia, & in Achaia flumen, & mons in Peloponneso. Ex Calepino.

Carna, siue Cardinea, dea quæ vitalibus humanis præesse existimabatur: ab eadémque petebatur vt iecinora & corda & cætera quæ sunt intrinsecus viscera, salua conseruaret. Huic pulte Fabria & lari do sacrificabatur. vnde Ouidius lib.6. Fast. Prima dies tibi Carna datur, dea cardinis hæc est. Hæc striges nocturnas puerorū, vt dicebāt, cunas infestantes, à limine summouebat.

Carnapæ, populi sunt circa Mæotin apud Plinium lib.6. cap.7.

Carne, phœniciæ oppidum ad montem Libanum. Author Plinius lib.5. cap.20.

Carneades, Cyreneus, nouæ Academiæ princeps, Chrisippi maxime studiosus, de quo Gellius, itémque Plinius ait, quòd scripturus aduersus Zenonis Stoici libros, superiora capitis helleboro candido purgauit, ne quid ex corruptis in stomacho humoribus, ad domicilium vsque animi redundaret, & constantiā vigorémque mentis labefactaret: tanta cura, tantóque apparatu, vir ingenio præstans ad confutanda ea quæ scripsisset Zeno aggressus est. Hūc præterea memoriæ arte vsum fuisse Cicero de oratore scribit. Gellius vero lib.16, & Quintilianus de eo referunt, quòd missus Romā legatus ab Atheniensibus, vnà cū Diogene Stoico, & Critolao Peripatetico suspectam fecit Romanis legationem, dicente M. Catone in senatu, ab hoc viro cauendum esse, qui ob eloquentiam & disserendi facultatem facile quæcunque velit impetrare posset. Carneades alter philosophus Atheniensis, Anaxagoræ discipulus à Suida ponitur.

Carni, populi Plinio ponūtur in decima regione Italiæ, noti nomine adhuc durāte. Hodie tractū à se cognominatū inhabitant Carnithiam & in Meredie supra Tergestū regionē, quæ vulgò Carniola dicitur. Ptolemæus quoque supra Forum Iulii & Concordiā, Carnithiā locat. Hæc ditio hodie paret principibus Austriæ. Vadianus.

Carnutes,populi inter Celtas,Andegauensibus Turonibúsque finitimi,ac Oceano proximi,Vulgo Chartres.Horum meminit Cæsar in suis commentariis.

Carnuti,Germaniæ populi sunt,inter Danubium & Hercyniam saltum.Author Plinius lib.4.cap.12.

Caroniũ,Hispaniæ Tarraconẽsis vrbs Ptolemæo, Vulgò Cheroga.

Carpasium,oppidũ estCypri insulæ,vt scribit Plinius li.5.cap.31.

Carpatos, insula est in mari Rhodio, à qua mare ipsum Carpathium cognominatum est.Author Plinius lib.4.cap.12.

Carpatus,mons Sarmatiæ in Europa Ptolemæo.vulgo Crapalz.

Carpentoractæ,Galliæ Narbonensis ciuitas,apud Plinium cap.4, lib.3.Vulgo Carpentras.

Carpetani,Hispaniæ populi sunt iuxta Vacceos,ad Tagum fluuium.Author Plinius lib.3.cap.3.

Carpi,populi sunt Zeugitanæ regionis,quæ propriè Africa dicitur.Author Plinius lib.5.

Carpis,fluuius est Scytharum,vt scribit Herodotus lib.4.

Carraca,Italiæ vrbs sub Venetia Ptolemæo. Vulgo Carauas dicitur.

Carræ,Carrarũ,Mesopotamiæ vrbs,Crassi clade nobilis.Author Plinius lib.5.ca.24,& Caracallæ imperatoris etiã nece.Hic enim vt Rufus cõsularis scribit, intra Euphratem apud ciuitatem Edessam periisse,cũ leuãdæ vesicæ gratia ex equo descendisset.Lucanus,Assyrias Latio maculauit sanguine Carras,In sacris literis Haram & Charam dicitur.

Carodunum Ptolemæo,Germaniæ vrbs,hodie Cracouia.Vulgò Cracauu Poloniæ regia.

Carseolani,populi sunt in quarta regione Italiæ,vt tradit Plinius lib.3.cap.12.

Carteia,ciuitas Hispaniæ ad Calpem.Author Plinius lib.3.cap.1. Carteia à Græcis Tartessos appellata,eodem authore.

Cartenna,Augusti colonia in Tingitana prouincia, Plinio, cap.2 libri quinti.

Carthago,Africæ vrbs,de qua rectè Salustius ait,satius esse silere quàm pauca dicere.tanta enim eius potẽtia fuit,vt authorePolybio, & Strabone,tota Africa cultiore potiretur:in Hispania vero ab Herculis colũnis adusque Pyrenæos mõtes maximis ciuitatibus imperauerit.Variante tandẽ fortuna, adeò defecit,vt ea diruta,circuniacens regio prouincia facta fuerit, & Masinissæ,qui ob virtutem & amicitiã plurimum Romanis curæ fuit,commissa à pop.Romano. Græci eam Carchedonem nominarũt:Adrianus autem imperator

Adrianopolim,& ridiculæ perditiſſimus imperator Cōmodus,quē-admodū ſcribit Lampridius,Alexandriam Cōmodianā Togatam. Meminit huius vrbis multis alicubi Iuſtinus, & in Floridis Apuleius. Eſt & Carthago noua,quam dux Pœnorum Haſdrubal cōdidit in Hiſpania Bætica. Author Pōponius Mela libro 2.Hæc à Scipione expugnata eſt Hannone,non ſine ſuorū clade ſe dedente. Liuius lib.6.Decad.3,Ad Carthaginem(inquit) nouam expugnandā, totis viribus,& bono animo trāſeamus.Hæc ille. Fuit & alia Carthago, vetus cognominata, eodem in litore.Cicero de lege Agraria in Senatū,Poſt autem agros (inquit) in Hiſpania apud Carthaginē nouā, duorū Scipionū eximia virtute poſſeſſos, tum ipſam veterē Carthaginē vēdūt.Sita fuit haud procul Tarracone,& à Teucris cōdita.de qua Sili⁹ li.3, Dat Carthago viros,Teucrofundata vetuſto.

Cartheia, oppidum eſt inſulæ Ceæ, quam Ceon alii nominant. Plinius lib.4.cap.12.

Cartii,populi Perſiæ,vt ſcribit Strabo li. geographiæ vndecimo.

Cartris,Cymbrorū peninſula,dicente Plinio lib.4.cap.13,Promōtorium Cymbrorum excurrens in maria longè peninſulam efficit, quæ Cartris appellatur.

Carya,Vide CARIA.

Caryanda, lacus eſt & inſula eodem nomine Cariæ regionis,ex Strabonis geographiæ lib 14.

Caryſtos,Eubœæ inſulæ ciuitas eſt,in qua(inquit Strabo lib.decimo) Caryſtiarum columnarum λατόμιον, id eſt lapidum inciſio eſt:ibi Apollinis Marmarini templum eſt.Hæc ille. Caryſtii marmoris meminit & Plinius lib.4.cap.12,& lib.36. cap.6. Caryſti meminit Lucanus lib.5.de inſula Eubœa loquens, Qua maris anguſtat fauces ſaxoſa Caryſtos. In hac teſte Solino,Titani regnauerūt.Briareo enim (inquit)Caryſtii rem diuinā faciūt,ſicut Aegæoni Chalcidenſes. Nam omnis ferè Eubœa Titanum fuit regnum. Quibuſdam placet Caryſtum & inſulam eſſe vnā ex Cycladibus.

Caſandra, inſula contra Perſidem,authore Plinio lib. 6. cap.25, Contra Perſidem(inquit)inſulæ,Philos,Caſandra &c.

Caſcādrus(inquit Plinius lib.6.cap.25.)inſula eſt deſerta in Oceano Indiam verſus.

Caſcātēſes,Hiſpaniæ populi.Plin.li.3,in deſcriptione Hiſpaniæ.

Caſilinum, Italiæ oppidū in Campania,authore Plinio lib.3.ca 5. In Campano agro(inquit) Stabiæ oppidum fuēre: intercidit ibi & Taurania: ſunt & morientis Caſilini reliquiæ. Hæc ille, de euerſis & intercidentibus vrbibus intelligens.

Caſinum, Campaniæ oppidum in Italia Plinius lib.5,cap.5.

Caſius,Arabiæ mons eſt,iuxta quē delubrū eſt Caſii Iouis,quod

Romanorũ ambitio illuſtre fecit, & Pompeii tumulus multis pòſt annis ab Hadriano inſtauratus, vt Capitolinus tradit. Noſtri, Sinai montẽ eſſe aſſerunt, ob illic à Deo datas per Moyſen populo Iſraeli ticoſdecalogi tabulas nobilem, & etiamnum diuæ Catharinæ ſepulchro clarũ. Plinius lib.5.cap.11, Arabiã hanc ſterilem, & præter Caſium mõtem nihil inſigne habentẽ indicat. At notandũ obiter, aliũ ſupra Seleuciam Caſium eſſe Plinio, lib.5.cap.22, cuius altitudo in directum quatuor milliũ paſſuum eſt. Cuius (inquit) excelſa altitudo quarta vigilia orientẽ per tenebras ſolẽ aſpicit: breui circumactu corporis, diem noctémque pariter oſtendens. Hæc ille. Huius etiam meminit Ammianus de Iulio Cæſare lib.22.

Caſmonates, Liguriæ populi ſunt apud Plinium lib.3.cap.5.

Caſos, inſula vna ex Cycladibus, quæ & Aſtrabe dicitur, Plinio lib.4.cap.12.

Caſpii, populi Scythiæ ad Caſpiũ ſinũ, vt author eſt Pomponius Mela lib.tertio, apud quos ſæuiſſimi ſunt canes, vt ſcribit Valerius Flaccus li.6. Sunt & portæ Caſpiæ, quæ alibi Armeniæ, (inquit Plinius) alibi Caſpiæ, alibi Siliciæ vocantur. Eſt præterea Caſpium mare, de quo inter ſcriptores parum cõuenit, vt diligentiſſimè adnotauit doctiſſimus Vadianus apud Pomponium Melam.

Caſſandane, filia fuit Pharnaſpis, & mater Cambyſæ generi Aſtyagis, teſte Herodoto hiſtoriarum lib.1.

Caſſandra, filia fuit Priami regis, quam ab Agamemnone in Græciã abductam Clytemneſtra interemit. Author Homerus in Odyſſea. Eſt & Caſſandra oppidũ, & Caſſandria colonia, de quibus in dictione POTIDAEA.

Caſſera, Macedoniæ oppidum, apud Plinium lib.4. cap.10, in deſcriptione Macedoniæ.

Caſſiope, Cephei regis AEthiopum vxor & Andromedes mater. Eſt & Caſſiope oppidum Epiri, à qua Caſſiopei, eiuſdem regionis populi dicti Plinio lib.4.

Caſſianus, martyr apud forũ Cornelii, vbi & iacet, & quò venerat peregrinationis gratia è Brixina vrbe Germaniæ, cuius erat ciuis & præſul: quúmque apud forũ Cornelii doceret, iuſſu Iuliani imperatoris, qui prohibuerat Chriſtianos docere, ſtylis diſcipulorũ cõfoſſus eſt. Alius eiuſdẽ nominis Alexãdrinus ſub Iouiniano in Italiam veniens, apud Ortanũ templũ conſtruxit, cuius & præſul electus inde peregrinãdo Auguſtodunũ venit, eiúſque vrbis epiſcopo Simplicio viro ſancto ſucceſſit. Alius monachus Honorii tempore à Ieroſolymitana eccleſia ab hæreticis eiectus, Maſſiliam venit, vbi duo condidit cœnobia. ſcripſit & de monachorũ inſtitutis, vbi dicit cibi abſtinentiã omniũ virtutum eſſe fundamentum. Volaterranus.

Cassiodorus, Rauēnas præceptor Theodorici Gotthorū regis, primū senator, deinde monachus factus, nōnullos scripsit psalmorū locos. Aperti⁹ extāt & eius ad Theodoricū epistolæ. Volaterran' li.13.

Cassiope, siue Cassiopea, Cephei regis AEthiopū vxor, & Andromedes mater, quæ cū Nereidib⁹ de pulchritudine certauit, pro quo facto, inter sydera cōstituta fertur. Est autē sydus ita figuratū, vt in sella sedeat. Cōstat stellis tredecim, occidēs cū Scorpione, capite cū sedili resupina ferri prospicitur, exoriri autē cū Sagittario. Perottus.

Cassiterides, insulæ maris Atlantici, de quibus Plinius lib.4.cap. penultimo sic scribit, Ex aduerso (inquit) Celtiberiæ cōplures sunt insulæ Cassiterides dictæ Græcis, à fertilitate plumbi.

Sp. Cassius, regni affectati crimine dānatus, cui plus suspicio cōceptæ dominationis nocuit, quàm tres magnifici consulatus, ac duo speciosissimi triūphi profuerūt. Senatus enim populúsque Ro. non cōtentus capitali eū supplicio afficere, interempto domū superiecit. In solo autem ædem Telluris fecit. Author Valerius lib.6.cap.3.

Cassius COS. à Tugurinis Gallis pago Heluetiorū qui à ciuitate secesserāt, in finibus Allobrogum cū exercitu cæsus est: milites qui ex ea clade supererāt, obsidibus datis, & dimidia rerū omniū parte, vt incolumes dimitterētur, cū hostib⁹ pacti sunt, tēpore quo Iugurtha pulsus est à Mario. Liuius lib.25. L. item Cassius Trib. pleb. C. Mario, L. Flacco COSS. plures leges ad diminuendā nobilitatis potentiā tulit: in quibus, vt quē populus Romanus dānasset, cuive imperiū abrogasset, in senatu nō esset. Fuit & inter cōpetitores Ciceronis in cōsulatu. Author Pædianus. L. Cassius, dux Pōpeianus, cū decē nauibus ardēte bello ciuili, trāsiit ad Cæsarē. Cassius item Lōginus iuriscōsultus, quòd C. Cassii percussoris Cæsaris nomen ac stemmata haberet, iussus est à Nerone mori: pronepos fuit Seruii Sulpitii, ac eques Romanus, vt scribunt Tranquillus & Pōponius. Fuit & Cassius Seuerus, de quo Quintilianus sic scribit, Cassius Seuerus, si cæteris virtutibus colorē, & grauitatē orationis adiecisset, ponēdus inter principes foret. Nā & ingenii plurimū in eo, & acerbitas inerat, & vrbanitas eius summa: sed plus stomacho, quàm cōsilio dedit. Hæc ille. Huius Cassii scripta ex senatusconsulto abolita sunt, vt author est Trāquillus. M. Auidius Cassius, præfectus exercitus Antonini principis in Oriente, dum imperator ipse res in Germania gerit cōtra Marcomānos, defecit. Itaque relicto bello imperator eum cum exercitu petit ac superat. Caput ei ablatum videre noluit, recordatus antiquæ amicitiæ. Cassius præsul Narniensis tempore Totilæ regis Gotthorum, cui occurrens animū placauit, ne ciuitati noceret. Meminit huius Gregorius 3. Dialogorum.

Castalius fons in radicibus montis Parnassi, musis sacer, quem

Virg.li.3.Georg. Castaliã vocat. -iuuat ire iugis, qua nulla priorũ Castaliam molli diuertitur orbita cliuo.

Casthenes, Thraciæ sinus iuxta Byzantium. Author Plinius libro 4,in descriptione Thraciæ.

Castologi Plinio enumerantur inter populos Galliæ Belgicæ, libro 4,in descriptione Galliæ.

Castor,medicus antiquissimus,docuit piperitim herbam , quam alio nomine siliquastrum nominant,bibi contra morbos comitiales. Author Plinius lib.20.cap.17. Castor item,Pollucis frater Tyndari & Ledæ filius.de quo infra in dictione POLLVX.

Castra Cornelia,locus Zeugitanæ Africæ,Plinius lib.5.cap.4.

Castritius,cum tempore Syllanæ dissensionis Placentiæ gereret magistratum,& Cn.Carbo COS. Marianarum partiũ peteret obsides Placentinos,ne Placentia ad Syllam deficeret, neganti Castritio dixit multos se habere gladios.At ego annos,inquit Castritius. Author Valerius. T.Castritius alter,Rhetoricæ doctor Romæ,de quo Gellius lib.13.cap.20.sic scribit,T.Castritius (inquit)rhetoricæ disciplinæ doctor,qui habuit Romæ locum principem declamandi & docẽdi,summa vir authoritate,grauitatéque,& à D.Hadriano ob mores,atque literas spectatus,&c.Hæc ille.

Castrimonienses,Italiæ populi,apud Plinium lib.3.cap.5.

Castrum nouum,Italiæ oppidum est,non procul ab ostiis Tyberis,apud Pomponium lib.2,& Plinium lib.3.cap.5.

Castulonenses,populi sunt Hispaniæ Bæticæ apud Plinium lib.3. cap.3.Ex colonia(inquit) Salariense oppidani Latii veteris Castulonenses,qui Cæsari venales appellantur.Hæc ille in descriptione Hispaniæ.Castulon,Vulgo Caslona.

Casuentum,fluuius est in sinu Tarẽtino,apud Pliniũ lib.3.cap.11.

Casuẽtillani, Italiæ populi in sexta regiõe apud Pliniũ li.3.ca.14.

Casurgis Ptolemæo dicitur Praga regio Boemiæ.

Catabanes, populi sunt Arabiæ desertæ apud Plinium lib.5.cap. 11.Hos Strabo lib.16,Catabanenses vocat.

Catabathmus,oppidum & vallis repente conuexa ad finem Cyrenaicæ regionis.Salustius in Iugurthino, AEgyptũ à Iugurthino secerni scribit. Plinius quinto capite libri quinti, oppidũ illic eius nominis & vallem repẽte conuexã nominat,vnde vocabulo est origo,Græcis καταβασις descensus est, quem alio nomine καταβαθμὸν nominãt. Catabathmon autẽ,non Catabathinon legendũ esse,Hermolaus elegãter,vt solet,docet in Plinianis annotationibus. Nãque est in AEgyptũ id latus deuexũ. Quare verè Herodotus editissimã Africæ maritimæ regionẽ Cyrenaicã esse in fine libri quarti scripsit.

Cataceti,Asiæ populi circa Mæotim,vt docet Plinius li. 6.cap.7.

Catadupi, Plinio lib.5.cap.9, locus est AEthiopũ, & gens Arabiæ eodem authore lib.6.cap.29.

Catana, Siciliæ oppidũ est, apud Plinium lib.3.cap.5. Est & Catina in Sicilia. ab hac Catinenses: ab illa Catanæi & Catanẽses dicti. Hermolaus apud Plinium vnam intelligit, quæ Græcis quidem frequẽtius Catana, Latinis fere Catina dicitur. Catinæ, simulachrũ fuit Cereris, vt Cicero in actione cõtra Verrẽ septima scribit, quod à viro non modo tãgi, sed nec aspici quidem fas fuit. Vide infra in dictione CATINA. Vulgo Catinia dicitur.

Cataractes, Pamphiliæ fluuius, sic ab impetu dictus, quia se præcipitat. Author Pomponius Mela lib.1. in descriptione Pamphiliæ.

Catari, Pannoniæ populi sunt apud Plinium lib.4.cap.25.

Catamia, Asiæ regio est, cuius meminit Plinius lib. 6.cap.2.& 3, in descriptione Cappadociæ.

Cathon, insula à Pomponio inter Cycladas numerata, à Plinio tamen prætermissa: nisi quis Cathõ, quam Plinius in Laconico sinu esse ait, intelligere velit. Ex Vadiano.

Catilina, ciuis Romanus nobilis & seditiosus, ingenio malo prauóque, cui eloquẽtiæ satis, sapientiæ parum fuit. Ex Salustio notissimus est.

Catina, Siciliæ ciuitas est, eadem quæ Catana: authore Hermolao apud Plinium. Est & Catina, Arcadiæ oppidum. Author Plinius lib.4.cap.6, in descriptione Arcadiæ.

Catizi, Pygmæorũ gens à Barbaris dicuntur, quos credunt à gruibus fugatos. Plinius lib.4.cap.11.

Catones, ex oppido Tusculo originem habuere, vnde primum profectus M. Porcius Cato senex, persuasione atque amicitia Valerii Flacci solicitatus. Hic Trib.mil. in Sicilia fuit. Prætor Sardiniã subegit, vbi ab Ennio fuit Græcis literis institutus ætate iam grandis. Consul deinde cum eodem Flacco creatus citeriorem Hispaniã sortitus est, vbi rebus fœliciter gestis, omnium vrbiũ muros, quæ intra Bætim sunt, vno die solo æquari iussit. Author Polybius. Plinius tribus eum laudibus cumulat, perfectum & imperatorem, & senatorem, & oratorem nominando Cuius ingenii etiam meminit Cicero in oratore his verbis, Orationes eius vt illis temporibus, valde laudo. significant enim formam quandam ingenii, sed admodũ impolitam & planè rudem, &c. Scripsit origines, & paruũ de agri cultura librum, de quo plura apud Ciceronem, Gellium, Plinium, Plutarchum. Catones item duo fuerunt superioris filii, quorum alter in bello cõtra Perseum sub AEmylio Paulo magna cũ laude militauit. Alter Saloninus ex matre cognominatus, patre superstite

ac prætore designato extinctus est,& egregios in iuris disciplina libros composuit.Author Gellius,cap.14.lib.2. Præterea,M. Cato senioris nepos,cognomine Vticensis, seueritate ac doctrina Stoica auum referebat:nudis interdum pedibus breuique toga,in publicũ prodibat,sese adsuefaciens,nihilo nisi obscœnis rebus ac detestabilibus erubescere. Consulatum frustrà petiit: Martiam coniugem roganti Hortensio amico concessit,eandémque postea Hortensii hæredem recepit.Id quod ei Cæsar auaritiæ causa factum obiicit.Dimisit,(inquit) vt locupletem reciperet.Toto ciuilis belli tẽpore intonsus fuit.Post pugnam Pharsalicam,Vticam cũ Scipione se recepit:vbi cum mori statuisset,nocte de Stoica philosophia disseruit, ac Phædone Platonis de animi immortalitate perlecto libro,gladio incubuit.Ex Plutarcho. Fuit & Valerius Cato grammaticus Romæ, qui multos & nobiles docuit tempore Syllæ:cuius famam hi versus indicant,

Cato grammaticus Latina Siren,
Qui solus legit,& facit poetas. Huius meminit Tranquillus.

Catoni,Plinio populi sũt Scythiæ circa Mæotin agẽtes,li.6.ca.7.

Catularia,porta Romæ dicta est,quia nõ longe ab ea ad placandũ Caniculæ sydus frugibus inimicum, ruffæ canes immolabãtur,vt fruges flauescentes,ad maturitatem perducerentur.

Catuli.Q.Luctatius Catulus primo bello Punico,c c c nauibus aduersus Pœnos profectus, sexcentas eorum naues commeatibus impeditas duce Amilcare apud AEgades insulas, inter Siciliam & Africã depressit,finémque bello imposuit:pacẽ petentibus hac conditione concessit,vt Sicilia,Sardinia, cæterísque insulis inter Italiã, Africámque decederẽt,& Hispania citra Iberũ abstinerent. Liuius.

Catulus item orator consul cum C. Mario quarto eius cõsulatu Cimbros fudit:ab eodem postea vrbe occupata per dissensionẽ mori iussus est, frustrà precantibus pro eo ciuibus.Itaque in cubiculo inclusus,cadentiũ carbonũ vapore suffocatus est,teste Valerio.Cuius manes vltus est postea Sylla interfecto Mario Iuniore.Lucan⁹,
-quid sanguine manes
Placatos referam Catuli? De hoc Catulo Cicero in oratore sic scribit,Fuit in Q.Catulo sermo Latinus,vt ex libro quem ex cõsulatu & rebus gestis suis scripsit,apparet. Quæ laus dicẽdi nõ mediocris,ab oratoribus plerisque neglecta est,nec tamẽ habitus princeps in numero patronorũ. Hactenus ille. Catulus,alius sororius Catilinæ,vir equesRomanus,partium nullarum,tantúmque quieti studens,à Catilina iussu Syllæ interfectus est. Author Pædianus.

Catull⁹,poeta Veronẽsis nat⁹ anno ante Salustiũ,Syllæ,Mariíque

temporibus, in poëmatis cũ lasciuus, tum mordax, quippe qui Cæsari maximo tunc viro minime pepercit, Iambis eum criminatus: reconciliatus nihilominus, ac eodem die ab eo cœnæ adhibitus est, teste Tranquillo.

Caturactonium, Britanniæ insulæ oppidum, Ptolemæo. Vulgo, Caerleil, Caerdulia.

Caturiges, Italiæ transpadanæ populi, in regione vndecima apud Plinium lib.3.cap.16.

Cauares, Narbonensis Galliæ populi, in quorum agro Auenio ciuitas sita est. Author Pomponius Mela lib.2. Cauares autẽ Strabo Cataros nominat, Ptolemæus Cauaros, iuxta Druentium, & Isaram amnes sitos.

Cauca, Ptolemæo vrbs Hispaniæ, alio nomine Conca, Vulgò Quenca.

Caucasus, Asiæ mons suprà Iberiam ac Albaniam in septentriones, Ptolemæo. Estque pars Tauri montis: & totus Taurus. Caucasi nomine intelligi potest, vt persæpe partis vocabulum toti figurate tribuimus. Philostratus lib.2, Caucasus (inquit) Mediã atque Indiam terminans, in Mare rubrũm altero cubito descendit, &c. Vbi multa de Prometheo ad Caucasum ligato. Caucasi montes, etiam multitudinis numero dicuntur, authore Pomponio lib. primo, Iidẽ aliubi (inquit) Taurici, Moschi, Amazonici, Caspii, Coraxinci, Caucasi, vt aliis aliisve appositis gẽtibus, ita aliis aliisque dicti nominibus. Hactenus Pomponius.

Cauchæ, campi sunt quos Tigris fluuius Septẽtrionem versus flexus secat. Plinius lib.6.cap.27.

Caudium, Samnitum oppidum in Italia prope Beneuentum, vnde Furcæ Caudinæ, & Fauces Caudinæ Romanorum ignominia & clade quam T. Caluino, & Sp. Veturio C O S S. acceperunt. Apud Liuium.

Caulum, oppidum quod à Plinio lib.3. cap.10, collocatur in prima regione Italiæ. Virgi.3. AEneid. Caulonísque arces & nauifragum Scylacæum. Hanc Strabo lib.6. vocat Cauloniã, dicens, Post Sagram Caulonia extat, prius Aulonia, quasi Vallonia, à vicina conualle nominata, ab Achiuis ædificata, nunc autem vacua est.

Caumas, vnus è Centauris, Ixionis filiis, vt notat Bocatius lib. 9.

Caunus, Cariæ oppidum ad Calbin fluuium. Meminit Calbis Strabo lib.14, Et adiuncti oppidi Cauni æstate & autumno, vt ipse ait, ad inhabitandum grauis, ob calorem & pomorum copiam. Ob id Caunii pestilenti cælo esse dicuntur. Hos cum intuitus esset Stratonicus citharœdus, homo salibus plenus, illum ex 6. Iliados

versiculum in eos protulit,

οἵηπερ φύλλων γενεὴ, τοίηδε καὶ ἀνδρῶν. id est,

Tale quidem genus est hominum, quale est foliorum. Liuorem videlicet, quo omnes pallebant, sugillans. Caunii verò quum hominem incessissent acrius, quòd vrbem vt morbidã carperet, Ego (inquit) eam morbidam dicere ausim, vbi mortui ambulant? Vrbanius multo acriúsque quàm prius, illudẽs. Hæc ex Strabone li.14.

Caurium, Lusitaniæ oppidum Ptolemæo: alio nomine Caura, vulgo Corra.

Cauros, insula cum oppido, quæ prius Andrus, deinde etiam Antandros dicta est. Author Plinius libro 4. cap.12. Est & Caurus, ventus ab Occasu flans, qui & Corus dicitur.

Caystri campi, qui continui sunt, & camporum omnium optimi, subiacent Sardi vrbi. Strabo lib.13.

Caystros, Ioniæ amnis celebratissimus iuxta vrbem Euphesum. Author Pomponius Mela lib.1.

C E

Cea, siue Ceos (vtrunque enim scribitur Plinio lib.4.cap.12.) insula est iuxta Eubœam, de qua Ouidius, Transit & antiquæ Cartheia mœnia Ceæ. A qua Ceæ vestes. nam ex hac quoque profectã delectationi fœminis vestem, author est Varro, vt Plinius tradit. Propertius, Et tenues Cea veste mouere sinus. Quo in loco parũ doctè aliquos Coa pro Cea legere Hermolaus tradit. Ab hac Ceus Heresistratus, clarus medicus dictus. Fuit eadem & Simonidis & Bachylidæ clarissimorum poetarum alumna. Ciam Ptolemæus nominat, vt hodie quoque vulgus nautarum. Author Hermolaus apud Plinium. Vide infra in dictione COS & CHIOS.

Ceadus, fuit vir Thrax, ex his qui Troianis auxilia miserũt, teste Homero lib.2.

Cebes, Thebanus fuit philosophus. scripsit dialogos tres, qui inscribuntur Pinax (id est tabula) septima, Phinicus. Author Diogenes Laertius.

Cebrenia, locus est Troadis regionis, cuius meminit Plinius lib.5.cap.30. Strabo lib.13, Cebriniam scribit pro regione & vrbe. Et Cebrinii populi, regionis & vrbis incolæ. Sunt Cebrenii in Thracia, dicente eodem Strabone, Est fluuius quidam Arisbris in Thracia, prope quem Cebrenii Thraces habitant. Multa enim apud Troes & Thraces eisdem nominibus appellantur: vt Scæi Thraces quidam, & Scæus amnis, & Scæus murus, & Scææ Troianæ portæ. Item Xanthi Thraces, & Xanthus Troiæ fluuius. Item Rhesus apud Troiã fluit. Rhesus etiã Thracum rex fuit. Hæc ille lib.13.

Cebriones, Troianus Priami regis filius nothus, apud Homerũ Iliad. π, κεβριόνlω νόθον υἱὸν ἀγακλῆος, πριάμοιο. id eſt, Cebrionem haud propria Priamo de coniuge natum.

Cecina, fluuius eſt ad Volaterras, Authore Pomponio lib. 2, & Plinio lib. 3. cap. 5.

A. Cecinna, Volaterranus equeſtris ordinis, Quadrigariorũ magiſter, Pompeianarum partiũ tempore belli ciuilis, hirundines par uas è nidis Romæ comprehenſas nutriebat, quas poſtea nuntias belli mittebat amicis, vti Plinius refert. Scripſit librum contra Cæſarem. Fuit Ciceroni familiaris & cliens, defenſus ab eo in quadam hæreditatis cauſa. Extant & inter eos epiſtolæ conſcriptæ. Scripſit & librum de procurandis fulguribus, quem Seneca ſe fatetur imitari, dicitque eũ virũ facundũ, niſi à Ciceronis rebus primò receſſiſſet. Cecinna alius, Octauiani Cæſaris ſcriba legitur in epiſtolis ad Atticum. Cecinna alius vir conſularis, ob coniurationis ſuſpicionem à Tito ad cœnam vocatus, ac per proditionem interfectus. Apud Tranquillum in Tito. Cecinna, dux Vitellianus cum exercitu è Gallia profectus, ad Bebriacum cum Othonianis cõgreſſus fœliciter dimicauit. Tacitus lib. 8.

Cecropia, oppidũ à Cecrope conditore: nunc eſt arx Athenis. Plinius lib. 7. cap. 56, Oppidum (inquit) Cecrops à ſe appellauit Cecropiam, quæ nunc eſt arx Athenis.

Cecrops, primus rex Athenarum: à quo Athenienſes dicti Cecropidæ.

Cecyphalea, promontorium ſiue inſula Peloponneſi, vbi Athenienſes ab AEginetis ſuperati fuerunt. Ex Stephano de vrbibus.

Cedras, oppidum Cariæ, à quo Cedriatæ & Cedrei.

Cedropolis, oppidum in Caria, à quo Cedropolita.

Cedros, inſula in Germaniæ litoribus, cedri genere ſyluoſa: inde electrum in petras defluere dicitur. Perottus.

Celæno, vna ex Harpyis. Virgil. 3. AEneid. -quas dira Celæno Harpyiæque colunt aliæ.

Celadon, amnis eſt ignobilis, in Alpheũ influens: apud Strabonẽ lib. Geographiæ octauo.

Celaduſa, parua maris Adriatici inſula. Authoribus Pomponio Mela lib. 2, & Plinio lib. 4. cap. 26.

Celegeri, Mœſiæ, quæ Pannoniæ iungitur, populi. Author Plinius lib. 4. cap. 26, in deſcriptione Mœſiæ.

Celeia, Noricorum oppidũ: author Plinius lib. 4. cap. 24, in Noricorum deſcriptione. Vulgo Cilia.

Celendris, Samiorum colonia, in Cilicia, authore Põponio Mela

lib.primo,in descriptione Ciliciæ. Celendræ etiam multitudinis numero dicimus,vt est apud Lucanum lib.8, Ad profugũ collecta ducem,paruisque Celendris.

. Celêna,Celénæ,pen.prod.locus Campaniæ Iunoni sacer. Virgil. lib.7,Atque arua Celenæ. Celenæ (inquit Liuius lib.8,belli Macedonici) vrbs,caput quondam Phrygiæ fuit.Lucanus,Lugent damnatæ Phœbo victore Celenæ.

Celerini,populi sunt in citeriori Hispania supra Braccaras,& Gronios,Plinio lib.3.Quorũ agrum Auo fluuius abluit,vt indicat Ptolemæus.

Celsenses,populi sunt citerioris Hispaniæ apud Pliniũ lib.3.ca.3.

Celsus,plagiarius,carmine Horatii notissimus,

Quid mihi Celsus agit monitus,multúmque monendus
Priuatas vt quærat opes,& tangere vitet
Scripta Palatinus quæcunque recepit Apollo?
Ne si forte suas repetitum venerit olim
Grex auium plumas,moueat cornicula risum
Furtiuis nudata coloribus. Alter fuit Cornelius Celsus, cuius medicinam habemus.Huius meminit Quintiliauns.

Celtæ, populi sunt Galliæ inter Sequanã & Garumnam amnes, sic à Celto Polyphemi filio dicti,vt scribit Appianus. Celtarũ autem clarissimi sunt Hedui,vt Aquitanorum Ausci, & Belgarũ Treueri.Pomponius lib.2.

Celtiaca, oppidum est Hispaniæ conuentus Hispalensis, vt scribit Plinius lib.3.cap.primo.

Celtiberi, Hispaniæ populi, ad Iberum fluuium, quorum meminit Strabo lib.3,& Plinius lib.3.cap.3.

Celtiberia,ea est Hispaniæ regio quam incolũt Celtiberi.Plinius author lib.4.cap.22.

Celtica,tertia Galliæ pars.Plinius lib.4.cap.17,Gallia (inquit)comata vno nomine appellata, in tria populorum genera diuiditur, amnibus maximè distincta. A Scalde,ad Sequanam,Belgica:ab eo ad Garumnam Celtica, eadémque Lugdunensis. Inde ad Pyrenæi montis excursum Aquitania,Aremorica antè dicta.

Celtici,Hispaniæ populi,à Celtis oriũdi,si Silio poetæ credimus.

Celticum,Hispaniæ promontoriũ,quod finem terræ,hodie vulgus peregrinum cognominat,vt notat Vadianus,Pomponii interpres.

Cemelleo,oppidũLiguriæ in Alpibus situm.Ptolemæus.Dicitur & Cemellio.

Cemeneleum,vrbs in Alpibus litoreis,authore Ptolemæo. Vul-

go Cemellio.

Cenchreæ, Peloponnesi oppidum est prope Corinthum in Isthmo ipso, iuxta fanum Neptuni, quem Strabo ob id Isthmium appellat. Author Pomponius lib. 2, & Plinius lib. 4. cap. 4. & 5.

Cenchrius, Ioniæ amnis est, ad Ephesum Caystro proximus, per lucum Ortygiam fluens, in quo Latonam fabulantur ab Ortygia nutrice lotam ex partu: accolæ aditum olim quo peperit, ipsámque oliuam, sub qua partu liberata quieuit, mōstrare soliti fuerunt. Tacitus lib. 3. vbi de horum legationibus ad senatum missis, Primum (inquit) omnium Ephesii adiere memorantes, non vt vulgus crederet, Dianā atque Apollinem Delo genitos, esse apud se Cenchriū amnem, lucum Ortygiam, vbi Latonam partu grauidam, & oleæ, quæ tum etiā maneat, adnisam, edidisse numina, deorúmque monitu sacratum nemus. Hæc Tacitus lib. 3.

Ceneus, Thessalus, Lapitha; quum multis interfuisset præliis, nūquam tamen lædi potuit. Hinc natum prouerbiū, Inuulnerabilis vt Ceneus. Nestor apud Ouidium lib. duodecimo,

-vestro fuit vnicus æuo
Contemptor ferri, nullóque forabilis ictu
Cycnus: at ipse olim patientem vulnera mille
Corpore non læso Perrhæbum Cenea vidi,
Cenea Perrhæbum qui factis inclytus Othryn
Incoluit. Inde Ceneia Atalanta, Cenei filia dicta apud Ouidium,
Talia dicentem molli Ceneia vultu
Aspicit.

Cenina, vrbs vicina Romæ, à Cenite conditore. Author Festus Pompeius lib. 3.

Cenomanni, Galliæ Celticæ siue Lugdunensis populi, vulgo notissimi. Horū meminit Plinius lib. quarto, cap. 18. Fuerunt & Cenomanni, Italiæ populi, in quorum agro Cremona fuit & Brixia, eodem Plinio authore lib. tertio, cap. 19. Cenomanni Galliæ, vulgo le Maine.

Centauri, qui & Hippocentauri Thessaliæ populi, habitātes secūdum Pelium montem. Author Plinius lib. 7. cap. 56. Seruius verò grammaticus hāc fabulam de Centauris narrat, Cum quidā Thessalus rex bobus œstro exagitatis, satellites suos ad eos reuocandos ire iussisset, illos, cū cursu pedestri non sufficerent, equos ascendisse, eorúmque velocitate armentū assecutos, stimulis agitando ad stabula reduxisse. Hinc ἀπὸ τοῦ κεντεῖν, quod pungere est & stimulare, Cētauros dictos. Et quoniam vel currendo velociter, vel dum equi eorum in transitu Penei fluminis potantes, capita inclinata tenerēt,

vnum esse animal videbatur,datum huic opinioni locum vt semiequi & semihomines essent.Sic Seruius. Veritas historiæ hoc habet, Centauri,populi sunt Thessaliæ,secundum Pelium montē habitantes,dura sanè & agrestis natio. Hi primi ex equis pugnare inuenerūt:cum antè equis vehi Bellerophon, frænis & ephippiis vti Peletronius inuenissent.Hinc igitur datus fabulæ locus,& à stimulādo calcaribus equo,Centaurus appellatus est:propter quod & Hippocentaurus,hoc est,equi stimulator est dictus. Centaurorū nomina qui magis insignes fuerūt,hæc sunt,Chiron,Eurytus,Amycus, Gryneus, Rhetus, Arneus, Lycidas, Medon, Pisenor, Caumas,Mermeros,Pholus,qui suscepisse Herculem hospitio dicitur. Lucanus, Hospes & Alcidæ magni Phole.

Centinum,vrbs Vmbrorum in Italia,Ptolemæo:hodie Sentinū.

Centuripini,Siciliæ populi,Latinæ conditionis,apud Pliniū lib.3. cap.8.Et Centuripinum,eorum oppidum apud Pomponium lib.2.

Cephalenia,insula est Ionii maris apud Pomponiū lib.2.Plinius tradit eam quondam dictam fuisse Melænam lib. 4.cap.12. Dicta Cephalenia, à Cephalo Amphitryonis socio: vel à Cephalo Deionei filio dicta.De hac Strabo lib. 10. Nō dubitauere plerique Cephalleniam eādem & Dulychium appellare & Taphium. Alii Taphios & Cephalenios eosdē dixere Teleboas,& aduersus illos Amphitryonem exercitum ductasse,assumpto socio Deionei filio Cephalo ex Athenis profugo. Insula deinde Amphitryonem potitū, eam Cephalo tradidisse,ab eóque nomen habuisse insulā.Hinc populi Cephalenes,vt apud Homerum in Catalogo. Silius libro 15. Saxa Cephalenum,& scopulosis Neriton aruis.

Cephalœdis,Siciliæ fluuius,cuius meminit Plinius lib.3. cap.8, in descriptione Siciliæ.Hodie Cephalodum.

Cephalatomi, Colchicæ regionis populi.Author Plinius lib. 6. cap.5,in descriptione regionis Colchicæ.

Cephalus,AEoli filius,Auroræ dilectus.Ouidius de Arte,
Latmius Endymion non est tibi Luna pudori,
Nec Cephalus roseæ præda pudenda deæ. Alter fuit Cephalus, Atheniensis orator qui primus procemia & epilogos induxit. Author Suidas. Huius Cephali AEschines & Demosthenes in orationibus aduersariis meminerunt.

Cepheus,teste Euripide,rex AEthiopum Phœnicis filius,& Andromedæ pater,socérque Persei.Vide Ouidium li.4. Metamorph.

Cephis,statuarius nobilis, cuius meminit Plinius lib.34.cap. 8.

Cephisia,Atticæ regionis fons,dicente Plinio lib.6.cap.7, In Attica fontes,Cephisia,Larine,Calliroe,Enneacrunos.

Cephisis,lacus est iuxta Atlanticum mare,quem Mauri Electrũ vocăt,quòd sole calefactum,electrum è limo dare videatur.Plinius lib.37.cap.2.

Cephisodorus Atheniensis Tragicus,antiquæ tragœdiæ scriptor, cuius fabulas enumerat Suidas. Cephisodorus itẽ statuarius,Praxitelis filius. Alius præterea inter præcipuos pictores, Plinio numeratur lib.35.cap.9.

Cephisodotus statuarius apud Plinium lib.34. Fuit item Cephisodotus Atheniensium dux, qui rei malè gestæ damnatus,in obsidione Alopecõnesi,quinque talentis mulctatus est. Author Suidas.

Cephisus,fluuius Bœotiæ,ortum habet in radicibus Parnassi mõtis.In eius ripa fuit olim templum Themidis, ad quod accesserunt Deucalion & Pyrrha deam consulturi super humani generis reparatione: vnde ab oraculo vocatur fluuius ille fatidicus . Lucanus libro tertio,

Bœoti coiere duces,quos impiger ambit
Fatidica Cephisus aqua. Huius etiã meminit Plinius lib.4.cap.3.

Cepio,Consul Romanus Hispaniam,duce Viriato, rebellantem pacauit.Procõsul capta Tolosa in terra Gallia,è templo aurũ sustulit. Vnde & ipse, & quicunque ex ea direptione aurum attigissent, misero cruciabilique exitu perierunt.Nam postea consul cum Cn. Manlio contra Cimbros in Italiam ruentes missus,apud Rhodanũ victus,profligatúsque est.Iussu igitur pop.Romani, Cepionis,cuius temeritate id acciderat, bona publicata, eíque primo post Tarquinium abrogatum,ipse in publicis vinclis extinctus,inde tractus discerptúsque est ad scalas Gemonias.Ex Liuio,lib.67.

Cepœ,oppidum est Bosphori Cimmerici,dicente Plinio lib.6.ca. 6,Oppida in aditu Bosphori primò Hermonassa, dein Cepœ Milesiorum. Mox Stratoclia & Phanagoria. Meminit & iisdem penè verbis Pomponius lib.primo.

Ceramicus, Cariæ sinus est non longe ab Halicarnasso nobilissima vrbe. Author Pomponius lib. primo in Cariæ descriptione, & Plinius lib.5.cap.29. Ceramici item duo fuerunt Athenis,de quibus Suidas scribit his verbis, Athenis Ceramici, loci duo erant, vnus in ciuitate, alter extra ciuitatem: in quo qui in bello cecidissent,publico sumptu sepeliebãtur, funebríque oratione ornabãtur. Superior fuit locus & certa cõstitutáque sedes meretricibus. Fuit præterea Ceramicus, Atticæ regionis locus præaltus eodem Suida authore.De quo vide Erasmum in prouerbio,Lampadem cursu tibi trado.

Ceraste,insulæ sunt latere Arabiæ prope Syrenẽ quæ in fine est

AEthiopiæ.Author Plinius lib.5.cap.9.

Cerastis,aliquando dicta est Cyprus insula, vt docet Plinius lib. quinto,cap.31.

Cerasus Cerasuntis,oppidum est Themiscyræ regionis in Cappadocia,vnde Cerasi poma Lucullus aduexit in Italiam,Plinio lib. 16,& Ammiano.Cerasus,vulgo Zefano.

Ceratus, vrbis nomen in insula Creta,sic dicta à prælabentis fluminis nomine,quæ alio nomine dicitur Gnossus, à Minoe condita è regione Peloponnesi.Author Strabo lib.Geographiæ 10.

Ceraunii,qui & Ceraunia,Epiri montes ad Ambraciam clarissimam vrbem:ideò sic dicti,quòd fulminibus infestetur Seruio.Lucanus lib.5,

Thessaliæ saxosa timent,oréque malignos
Ambraciæ portus,scopulosa Ceraunia nautæ,
Summa tenent. Virgilius, Prouehimur pelago,vicina Ceraunia iuxta.Meminit & Plinius cap.23,lib.3. Ceraunii,Armeniæ etiam dicuntur circa Mæotin montes præalti,Plinio lib.6. cap.7. de quibus sic Mela lib.primo, Qui altera parte (inquit) in Euxinũ,Mæotida & Tanain, altera in Caspium pelagus obuersi,Ceraunii dicuntur.Horum rursus meminit Plinius cap.9.& 10.lib.6.

Ceraunus,amnis clarus Cappadociæ.Plinius lib.6,in descriptione Cappadociæ.

Cerbalus,Apuliæ amnis Plinio lib.3.cap.11.

Cerberus,triceps inferorum canis,apud poetas.

Cercasorum, oppidum in AEgypto iuxta quod scinditur Nilus in Pelusium fluens & Canobum.Author Herodotus lib.2.

Cercetæ,populi sunt minoris Armeniæ,Plinio .Pōponio vocantur Cercetici lib.primo.

Cerceti,montes Thessaliæ,dicente Plinio lib.4.cap.8,In Thessalia (inquit) sunt quatuor atque triginta montes, quorum nobilissimi Cerceti,Olympus,Pierus, Ossa: cuius ex aduerso Pindus & Othrys,Lapitharum sedes,ad occasum vergentes,&c.Hæc ille.

Cercina,insula est maris mediterranei,cum vrbe eiusdem nominis,ex aduerso Africæ ad promontorium minoris Syrtis sita. Author Pomponius,& Plinius lib.5.cap.7.

Cercinitis,perparua insula, Cercinæ superiori Carthaginem versus ponte iũgitur. Hæc Plinius lib.5,in descriptione insularum quæ sunt ex aduerso Africæ.

Cercion,rex fuit Tessaliæ,qui filiam habuit Alopen, à qua ciuitatem cognominauit.

Cerdonia,Italiæ ciuitas sita in via,quæ Roma in Græciam ducit.

Author Strabo lib.6.

Cerealis, quæ alio nomine Ebura dicitur, Plinio commemoratur inter Hispaniæ vrbes. lib.3.cap.1.

Ceres, Saturni & Opis filia, Proserpinæ mater. de qua Virgilius,
Prima Ceres vnco terram dimouit aratro:
Prima dedit fruges, alimentáque mitia terris:
Prima dedit leges, Cereris sunt omnia munus. Cererem Virgilius pro Luna posuit, sicut Liberum pro Sole, in primo Georgic.
-vos ô clarissima mundi
Lumina, labentem cælo quæ ducitis annum:
Liber & alma Ceres. De Cereris tẽplo in Sicilia, infrà in dictione ENNA.

Ceretani, populi Hispaniæ, apud quos generosa vina nascebantur, quæ Ceretana dicebantur. Martialis, Ceretana Nepos ponat, Setina putabis. Hermolaus Barbarus in suis castigatio nibus, dicit apud Plinium lib.14.cap.6. vbi viua generosa describũtur, veterem fuisse lectionem, Ceretano intra Gallias cõsistit authoritas. Vbi ex antiquis codicibus nunc legimus, Beterrarum intra Gallias consistit authoritas.

Cerinthus, inter vrbes Eubœæ insulæ Plinio numeratur, lib.4. cap.12. Cerinthus item hæreticus, cuius meminit Dionysius cum de Iohãnis reuelatione dissereret, Cerinthus (inquit) affirmabat futurũ regnum CHRISTI voluptarium, mores suos fassus, quòd gulæ luxuriǽque deditus esset. Irenæus etiam secretiora ipsius in primo sui operis manifestat. Ex Eusebii lib.3.

Cermorum, oppidum Macedoniæ, apud Plinium lib.4.cap.10, in descriptione Macedoniæ.

Cerna, vel Cerne, insula est AEthiopici maris, de qua sic Plinius scribit cap.31.lib.6, Contra sinũ Persicum Cerne nominatur insula aduersa AEthiopiæ, cuius neque magnitudo, neque interuallũ à cõtinẽte cõstat. AEthiopas tãtũ populos habere traditur. Hæc Plinius.

Cernetani, qui Mariani cognominãtur, Italiæ populi prope Casinũ, & Bouillas. Ex Plinii ca.5.li.3. Cernetũ, eorũ oppidũ ibidem.

Cerretani, Hispaniæ populi, apud Plinium lib.3, in descriptione Hispaniæ.

Ceruaria, locus ad templũ Veneris, Galliæ Aquitanicæ finis. Author Pomponius lib.2.

Cesena, oppidum in octaua regione Italiæ apud Plinium lib. 3. cap.15.

Cessero, Narbonẽsis Galliæ oppidũ ad Carpentoracten, Plinio li. 3.cap.4, in descriptione Narbonensis prouinciæ. Vulgo Castres.

Cestria, Epiri oppidum. Plinius lib.4. cap. primo. & Cestrini, Cestriæ incolæ: eodem authore.

Cestrus, fluuius est Pamphyliæ regionis Straboni.

Cethegus, consul fuit, Cicerone teste, cum P. Tuditano bello Punico secundo, de quo sic scribit ipse in Bruto, M. Cornelius Cethegus (inquit) cuius eloquentiæ est author, & idoneus quidẽ, mea sententia, Q. Ennius, præsertim cum & ipse eum audierit, & scribat de mortuo: ex quo nulla suspicio est, amicitiæ causa esse mẽtitum. Est igitur sic apud illum in nono (vt opinor) annali,

Additur orator Cornelius suauiloquente
Ore Cethegus.

Fuit & Cethegus, qui in Catilinæ coniuratione Salustio commemoratur. Cuius etiam Cicero sæpe meminit oratione in Catilinam tertia. Atque interea (inquit) statim admonitu Allobrogum C. Sulpitium fortem virum misi, qui ex ædibus Cethegi, siquid telorum esset, efferret, ex quibus ille maximum sicarũ numerum, & gladiorum extulit. Hæc ille. Iuuenalis,

Clodius accusat mœchos. Catilina, Cethegum.

Cetii, populi sunt inter Cilices & Pelasgos, authore Strabone libro 13. Horum meminit Homerus in Odyssea. Sic dictos putat Strabo à Cetio fluuiolo quodam in eorum agro. Cuius etiam meminit Plinius lib.5. cap.30.

Cetius, Norici mõs Ptolemæo, hodie Calemberg vulgo dicitur.

Centrones, populi inter Alpinas gentes Plinio commemorãtur, cap.20. lib.3.

C H

Chaa, (inquit Strabo lib.8) Peloponnesi vrbs Lepræo vicina, vbi Ephasius campus iacet. Huius Chaæ causa bellum inter Arcades & Piliòs conflatum plerique aiunt. Hæc ille.

Chaala, vicus est AEgypti apud Strabonem lib.16.

Chabria, vicus est AEgypti prope Arabiã. Author Strabo li.17.

Chabrias, Atheniensium dux clarissimus. Author Suidas. Cuius Demosthenes cum sæpe in orationibus meminit, tum in oratione ad Leptinem, pluribus res gestas persequitur, & in eius laudes digreditur.

Chæremon, comicus poeta Græcus. Fuit item alter qui scripsit ἱερογλυφικά. Author vtriusque Suidas.

Chærephon, Atheniẽsis philosophus, Socratis auditor: huius nihil traditur scriptum. Ab hoc natũ prouerbium, οὐδὲν διοίσεις Χαιρεφῶντος. id est, nihil à Chærephonte differes. In macilentos & pallentes, apud Aristophanem in Nubibus. Erat enim Chærephon pallidus, vt qui magno studio philosophiæ operam daret, & in literas

incumberet. Author Suidas.

Chæris, citharœdus ineptus fuit, cuius meminit Aristophanes in Comœdia quæ inscribitur ἀχαρνεῖς. Author Suidas.

Chæronea, Bœotiæ vicus, Plutarchi Chæronei patria, clade Atheniensium memorabilis. Chæroneæ meminit Plinius lib.4.ca.7.

Chalce, insula est cum oppido, circa Rhodium. Author Plinius lib.5.cap.31.

Chalcedon, oppidum est Thraciæ ad Bosphorum Thracium nō procul à Byzantio. Author Plinius lib.5.cap.vltimo. Chalcedonis meminit Pomponius lib.primo. Europam (inquit) ab Asia stadiis quinque disterminat Thracius (vt dictum est) Bosphorus. Ipsis in faucibus oppidum, in ore templum est. oppidi nomen Chalcedon: author Argias Megarensium princeps: templi numen, Iuppiter, conditore Iasone. Hæc Mela.

Chalceritis, insula est in Pōto, alio nomine Aria appellata, Marti sacra. Ex Plinio cap.12.lib.6.

Chalcia, insula quam inter Cycladas Plinius enumerat li.4.cap. duodecimo.

Chalcidene, fertilissima regio, vt scribit Plinius in descriptione Cœles Syriæ lib.5.

Chalcis, Eubœæ insulæ vrbs, Atheniēsium vetus colonia, vt scribit Libanius in argumēto Olynthiacæ primæ Demosthenis. Huius meminit Homerus in catalogo nauium lib. Iliados secundo. Alia quoque eiusdem nominis, in AEtolia dicitur, teste Homero in Catalogo. Et alia Eleo nūc in agro, eodem teste in Odyssea. Verba sunt Strabonis lib. geographiæ decimo. Chalcis item insula est ante AEtoliam, Plinio lib.4.cap.12.

Chalcitis, insula est cōtra fauces Rhindaci fluuii in Asia. Author Plinius lib.5.cap.vltimo.

Chaldæa, Regio ad Orientem Iudææ, Arabiæ contermina, plana, fontium indiga, in qua est Babylon ciuitas magna. Vide Interpretationes nominum Hebraicorum.

Chaldæi, (inquit Plinius lib.6.cap.28,) intra confluentē Euphratis & Tigris habitant, de quibus Strabo lib.17, sic scribit, Constituta est habitatio quædam in Babylonia philosophis indigenis, plurimum circa philosophiam versantibus, qui Chaldæi appellantur. Horum magna in sacris literis memoria est. Constat autē nusquam diligentius seueriúsque Mathematica studia exculta fuisse quàm apud Chaldæos. Ammianus li.23, Hîc propè (inquit) Chaldæorū est regio, altrix philosophiæ veteris, vt memorant ipsi, apud quos veridica vaticinandi fides illuxit. Hæc ille.

Chalæon, Bœotiæ portus, à quo VII M. passuũ introrsus liberũ oppidum Delphi, sub monte Parnasso clarissimi in terris oraculi Apollinis. Hæc Plinius lib. 4. cap. 3.

Chalestra, vrbs Thessaliæ litoralis, iuxta quam Axius fluuius in mare AEgæum descendit.

Chalybes, populi Paphlagoniæ proximi, Straboni, suis temporibus Chaldæi dicti sunt. Antè autem Halizonas dictos, vel Homero teste, in Catalogo multis cõiectura est. Quod quidem fieri potuisse, Barbarorum nominum inconstantia idem Strabo docet: maximè enim variãtur. Diuites hi sunt, victúmque ex argenti venis, & ferri metallis quærunt. Flaccus lib. Argonaut. 4.

Non ita sit metuenda tibi, sæuissima quanquam,
Gens Chalybum, duris patiens, cui cultus in aruis,
Et tonat afflicta semper domus ignea massa.

Sunt & in Hispania Chalybes, ad eiusdem nominis fluuium habitãtes, pari ferri copia laboriosi, quorũ Iustinus meminit lib. vltimo, & Virgilius Georg. lib. primo, At Chalybes nudi ferrum &c. Vbi Probus, Chalybes Ponticos intelligit. Tortellius verò & Mãcinellus grammatici, Hispanos. Scribit ex Plinio Ammianus Chalybes primum eruisse, & domuisse ferrum.

Chaones, populi Epiri, à quibus Chaonia, regio dicta. Author Plinius lib. 4. Chaoniam autem, Helenus Priami filius, à Chaone fratre, quem in venatu per ignorantiam dicitur occidisse, nominauit: quasi ad solatiũ fratris extincti. Author Seruius enarrans illũ Virgilii locum, lib. AEneid. 3,

Protinus aerias Phæacum abscondimus arces,
Littoráque Epiri legimus, portúsque subimus.
Chaonios, & celsam Buthroti ascendimus vrbem:

Chaonia, pars alpestris Epiri, licet quandoque sumatur pro tota Epiro. Plinius in prooemio lib. 4. Epiros in vniuersum appellata, Acrocerauniis incipit montibus. In ea primi Chaones, à quibus Chaonia.

Chaos, est rudis inordinatáque materiæ confusæ congeries. Nec audiendi sunt poetæ qui aiunt Chaos in principio fuisse, id est confusionem rerum atque elementorum. Postea verò Deum diremisse illam congeriem omnem, singulísque rebus ex confuso aceruo separatis, in ordinémque descriptis instruxisse mundum, pariter & ornasse. Hæc Lactantius. De hoc Ouid. 1 Metamorph.

Ante mare & terras, & quod tegit omnia cælum,
Vnus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixere Chaos, rudis indigestáque moles.

Charaxes, fuit, teste Herodoto lib.2, Mitylenæus patria, & frater Sapphus. De quo sic ipsa in epistola ad Phaonem apud Ouidium,
Gaudet, & è nostro surgit mœrore Charaxes
Frater, & ante oculos ítque redítque meos.

Chares, Atheniensium dux, ad promittendum facilis & promptus. Vnde prouerbium natum, χάρητος ὑποσχέσεις, id est, Charetis pollicitationes. Author Suidas.

Charidemus, dux Cersobleptæ Thraciæ regis militũ, cuius multam mentionẽ facit Demosthenes in oratione cõtra Timocratem.

Charillus, dux Lacedæmoniorum, Tegeatas superauit. Author Pausanias.

Charisius, Atticus orator, cuius meminit Cicero in Bruto, Et quidem (inquit) duo fuerunt per idem tempus dissimiles inter se, sed Attici tamẽ, quorum Charisius multarum orationum, quas scribebat aliis, cum cupere videretur imitari Lysiam: Demochares autẽ, qui fuit Demosthenis sororis filius, & orationes scripsit aliquot: & earum rerum historiam, quæ erant Athenis ipsius ætate gestæ, non tam historico, quàm oratorio genere perscripsit. At Charisii vult Hegesias esse similis, &c. Hæc Cicero.

Charmione, Cleopatræ ancilla, spontaneam dominæ mortẽ imitata. Author Plutarchus.

Charmonia, Hispaniæ vrbs Ptolemæo, Carmo Straboni dicta.

Charon, Lampsacenus historicus, qui tẽpore primi Darii floruit scripsit AEthiopica libris duob⁹: Cretẽsia, Græcanica, & alia. Charon itẽ Carthaginensis historicus scripsit tyrãnos quotquot in Asia atque Europa fuere, vitas clarorum virorum libris quatuor, & mulierum totidem. Tertius eiusdem nominis, Naucratita fuit, historicus, qui scripsit sacerdotes AEgypti & reges, qui fuere ab initio in qualibet gente & alia. Charontem quoque porthmea fingunt poetæ triente animas transuehentem ad inferos. Author Suidas.

Charondas, Thurius legem tulit ne quis armatus in concionem veniret. Cúmque postea ipse è rure veniens, ex improuiso, vt erat gladio accinctus, in concionem venisset, admonitus legis ab eo qui proximè sedebat, eodem gladio incubuit, cum liceret culpam dissimulare, vel defendere. Ex lib.6.ca.5. Valerii. Aristoteles autẽ lib.2 Politicon, hunc Charondã dicit patria Catinẽsem, qui ciuibus suis leges conscripsit. Charondæ item antiqui legislatores, qui suis præscribunt, vt obediant magistratibus, & eos diligant. Quorum meminit Cicero tertio de legibus, Nec verò solũ (inquit) vt obtẽperent obediántque magistratibus, sed etiam vt eos colãt diligántque, præscribimus, vt Charondas in suis facit legibus.

Charybdis, mare periculosum nautis, quòd contrarios fluctuum cursus facit, & rapta quæque absorbet, & reiicit. Ouidius, Et vomit epotas sæua Charybdis aquas. Fuit autem Charybdis, fœmina voracissima: quæ quia boues Herculis rapuit, à Ioue fulminata est, & in mare præcipitata. Vnde naturam pristinam seruat: nam sorbet vniuersa. Author Seruius. Cicero in Antoniū, Quæ Charybdis tā vorax? Charybdin dico? quæ si fuit, fuit animal vnum. Oceanus mediusfidius vix videtur tot res, tam dissipatas, tam distantibus in locis positas, tam cito absorbere potuisse. Hæc ille. De Charybdi sic scribit Plinius libro 3. lib. 8, In eo freto (inquit) est scopulus Scylla, item Charybdis, mare vorticosum, ambo clara sæuitia.

Chatti, Germaniæ populi, apud Plinium in descriptione Germaniæ lib. 4. cap. 14.

Chelidoniæ, insulæ contra Tauri promontorium pestiferæ nauigātibus, duæ sunt: quarum vna Corydela, altera Menalipea dicitur Stephano. Dionysius trium meminit, & item Strabo lib. 14.

Chelidonium, est Tauri montis promontorium, dicente Plinio lib. 5. cap. 27, Taurus mons (inquit) ab Eois veniens litoribus, Chelidonio promontorio disterminatur.

Chelonates, promontorium est Achaiæ, quod Ptolemæo Chelonita dicitur.

Chelonophagi (inquit Plinius lib. 6. ca. 25,) in Carmaniæ angulo sunt, testudinum superficie casas tegentes, carne vescentes. Nam χελώνη Græcè testudinem significat. Hæ (vt inquit idem Plinius libro 9) adeò in Indico mari magnæ sunt, vt singularum superficies habitabiles casas integant. Strabo lib. 16, adeò magnas alio in loco reperiri scribit, vt Chelonophagi in eis nauigent.

Chemnis, insula in quodam lacu AEgypti, quæ lucos syluásque, & Apollinis grande sustinens templum natat, & quocunque venti agunt, pellitur. Verba Pomponii Melæ ex lib. 1. De hac Herodotus lib. 2. scribit, quam Echemmin nominat.

Cheops, AEgypti rex, teste Herodoto lib. 2.

Chephren, Cheopis frater, AEgypti & ipse rex post fratrem, authore Herodoto lib. 2.

Cherronesus, siue Chersonesus (nihil enim differūt) peninsula est. Græcis enim χέρσος, terra: νῆσος autē insula dicitur. Quatuor insignes passim Chersonesi memorātur: Taurica scilicet in Euxino & Mæotide: Thracia: Aurea tertia, supra Gangem in ortum, iuxta sinum qui magnus Ptolemæo dicitur: Et Cymbrica septentrionalis, quæ Daciā habet, quā Daniā Saxo grāmaticus vocat. Pelopónesus

verò maior celebriórque eſt,quàm vt Cherſoneſi nomen admittat, quanquam & ipſam,nominis etymo fretus,Cherſoneſum Strabo nominat: & minoris Aſiæ in noſtrum mare procurſus Cherroneſus dictus,bonis authoribus,vt ſcribit Vadianus.

Cherſidamas,vir Troianus, quem Vlyſſes in bello interemit, vt ſcribit Homerus lib.Iliad.11.

Cherſius,nomen proprium viri.

Chidorus,fluuius eſt Macedoniæ,qui per Mygdoniam fluens,in Axium Mygdoniæ fluuium intrat,teſte Herodoto lib.7.

Chimæra,Homero animal eſt indomabile, inexpugnabile, neque humano,ſed diuino genere ortum. Chimæram monſtrum triforme deſcribit Heſiodus in Theogonia,his verſibus,

Huic tria ſunt capita,& fertur primum eſſe leonis,
Pulchri oculi,capræque ſimul,fortíſque draconis:
Ante leo,retróque draco,mediúmque capella eſt:
Pegaſus hanc vicit,& magnus Bellerophontes. Inde elegans illa Horatii metaphora ad puerum obſoleti ſcorti amore captum,libro primo Carminum,

Vix illigatum te triformi
Pegaſus expediet Chimæra. Seruius explicans illum Virgilii locum,6 AEneid. Flammíſque armata Chimæra. Reuera (inquit) mons eſt Lyciæ,cuius hodie ardet cacumen,iuxta quod ſunt Leones: media autem paſcua ſunt: ima verò montis ſerpẽtibus plena.Hunc Bellerophon habitabilem fecit,vnde Chimæram dicitur occidiſſe. Hæc Seruius.Plinius lib. 2. cap. 106. Flagrat (inquit) in Phaſelide mons Chimæra, & quidẽ immortali diebus & noctibus flamma: Ignem eius accendi aqua, extingui verò terra, aut fœno Gnidius Cteſias tradit.

Chimerium,Phthiotidis mons in Theſſalia,vt tradit Plinius lib. 4.cap.7.

Chios,inſula eſt maris mediterranei,ad oram Ioniæ cum oppido,poſita inter Samum & Leſbum,ex aduerſo maximè Erythrarum,quam AEthaliam Ephorus priſco nomine appellat. Metrodôrus & Cleobulus Chiam,à Chione nympha:aliqui à niue,& Macrin,& Pityuſam.Verba ſunt Plinii cap.31.lib.5.

Chlamydia,inſula inter Cycladas,Plinio commemoratur,lib.4, cap.12.

Chloris,filia Amphionis, Nelei vxor, cui peperit Neſtorem & alios filios,vt in Odyſſea teſtatur Homerus.

Chlorus, fluuius eſt Ciliciæ prouinciæ, cuius meminit Plinius lib.5.cap.27.

Choatræ,inter gentes quæ circa Mæotim habitant,Plinio numerantur,cap.7.lib.6.

Chœrilus,Samius poeta,seruus fuit Samii cuiusdam: fugiens è Samo exceptus est puer ab Herodoto historico,& eruditus,in deliciisque habitus,ex quo poeta euasit.Scripsit Atheniensiũ victoriam cõtra Xerxem, singulorúmque versuũ singulos stateres aureos accepit. Author Suidas.Scripsit & res Lysandri Lacedæmonii ducis, cuius in expeditione comes erat,vt scribit Plutarchus.Horatius verò eũ res Alexandri Magni scripsisse dixit,& vt malũ poetã taxat,
Gratus Alexandro regi quondam fuit ille
Chœrilus,incultis qui versibus & male natis
Rettulit acceptos regale numisma Philippos. Is tamen ad extremũ inedia periit apud Alexandrum captiuus,vt est testis Ouidius,
Inclusúsque necem cauea patiaris,vt ille
Non profecturæ conditor historiæ. Fuit & alter eiusdẽ nominis poeta tragicus Atheniensis.Author vtriusque Suidas.

Chorineus,peritus iaculator apud Virgilium lib.9,
AEmathiona Liger,Chorineum sternit Asylas:
Hic iaculo bonus,hic longè fallente sagitta.

Choroebus,Atheniensis,qui figlinã primus inuenit.Author Plinius lib.7.cap.56. Fuit & adolescens apud Virgilium,2. AEneid. De quo Seruius, Hunc Choroebum (inquit) stultum inducit Euphorion,quem & Virgilius sequitur:dans ei, Dolus an virtus quis in hoste requirat? quum sit turpis dolo quæsita victoria. Hæc ille.

Chosroes,Persarum rex,maximo in honore habitus, non apud Persas modo,sed etiam Romanis ipsis:vt qui literarum studiosissimus fuerit, & ad summum Græcæ philosophiæ peruenerit, Græcorum libris vsus à quodam in linguam Persicam conuersis. Atque adeò dicitur Aristotelem ipsum magis imbibisse, exactiúsque tenuisse,quàm Demosthenes Thucydidem. Platonis etiam scriptis animum expleuit atque excoluit.Huius vitam & studia pluribus persequitur Suidas.

Chrestus Byzãtius inter sophistas extitit,auditor Herôdis Attici, Hadriani tempore,qui vino quãquam deditus,cæteris in rebus cõtinenter vixit, ac in primis vigilanter. Nam cum ad galli cantum sæpe bibere solitus esset,non prius tamẽ somno se,quàm studio dabat. Author Philostratus.

Christodôrus, è Copto AEgypti vrbe poeta Anastasii Cæsaris tẽpore,scripsit Isaurica, vbi scribit Isauricam ab Anastasio captam.

Fuit alter Thebanus scriptor haud ignobilis qui de Cosmo &

Damiano scripsit. Author vtriusque Suidas.

Chromis, Herculis filius, vt Lactantius testatur, dicens, Constat (inquit) Chromin Herculis fuisse filium, & equos habuisse Thraces, quos Hercules occiso Diomede abduxerat humanis carnibus vesci consuetos. Huius meminit & Statius dum ait, It Chromis, Hippodamúsque alter satus Hercule magno. Et paulo infra,
Mox Chromis Hippodamum metæ interioris ad orbem
Viribus Herculeis & toto robore patris, &c.

Chrysa, vrbs Troadis, in qua Apollinis Sminthei delubrum fuit. Author Strabo, lib. 13, & Plinius lib. 5. cap. 30.

Chrysanthus Alexandrinus, Romæ quò iuuenis venerat, factus Christianus, sub Numeriano imperatore in fossam demissus, ac terra saxísque obrutus fuit. Volaterranus.

Chrysaor, Neptuni filius, quē ex capite Medusæ, vt & Pegasum, natum scribit Hesiodus in Theogonia.

Chryse, insula est extra ostia Indi, de qua Plinius sic scribit lib. sexto, cap. 21, Extra ostium Indi, (inquit) Chryse, & Argyræ, fertiles metallis, vt credo. Nam quod aliqui tradidere, aureum, argēteúmque iis solum esse, haud facile crediderim. Hactenus Plinius.

Chryses, sacerdos Apollinis apud Homerum lib. primo Iliad. pater fuit Antinomes, à quo etiam Chryseis dicta est: de hac & Briseide apud Homerum, lib. primo Iliados.

Chrysippus Solensis, siue Tarsensis discipulus Cleantis Stoici fuit. Hunc Carneades lepidè parasitum librorum vocat, quòd scripta Epicuri sit furatus, scripsítque eadem & verbis, & numeris. Author Diogenes Laertius.

Chrysoceras, Thraciæ promontorium est ad Byzantium liberæ conditionis oppidum. Ex cap. 11. lib. 4. Plinii.

Chrysogonus, Syllæ libertus, sector Roscii Amerini, vt est apud Ciceronem in oratione pro Roscio Amerino. Fuit & Chrysogonus martyr, nobili genere ortus Romæ, qui quando nec consulatus, nec vllius honoris pollicitatione per Diocletianum à fide auerti potuit, iugulatus est ad scalas Gemonias. Volaterranus.

Chrysopolis, Bithyniæ vrbs, apud Plinium libro quinto, cap. vltimo.

Chrysorrhoas, Syriæ fluuius est, in Decapolitana regione Damascum vrbem præterfluens. Author Plinius lib. 5. cap. 18. Chrysorrhoas etiā dictus est Pactolus, propter aureas arenas, vt author est idem Plinius lib. 5. cap. 29.

Chrysothemis, filia Agamemnonis, vt scribit Homerus libro 9 Iliados.

Cibarci, Hispaniæ populi, quorum meminit Plinius lib.4, in descriptione Hispaniæ.

Cibotus, ciuitas Asiæ eadem quæ Apamia. Author Plinius lib.5. cap.29.

Cicero, cuius vitam Tyro Tullius eius libertus tribus voluminibus scripsit, teste Pædiano: præceptores se habuisse fatetur, in philosophia quidē Philonē Academicū tūc Romæ cōmorantē, in iure ciuili Scæuolā, in dialectica Diodōrū Stoicū, in dicendo Apolloniū Molonē. S. Roscium Amerinū parricidii reū, natus annos X X I I I vt tradit Nepos, vt alii X X V I I, defendit. Metuens deinde Syllā quē in ea causa offenderat, in Græciā abiit, Asiámque simulata valetudinis causa adiit, vbi se, vt ipse ait, recoquēdum præceptoribus dicēdi dedit, Xenoclémque Adramytinū, Dionysium Magnesiū, & Menippum Carem, Rhodium Apolloniū Molonem magistrū dicēdi habuit: ferúntque Posidoniū tunc Athenis eū Græcè declamātē audiuisse, ac protinus exclamasse, quod solam Græcis dicēdi relictā gloriam videret, ad Latinos per eum transferri. Postea quā multis muneribus in repub. functus esset, consul coniurationem Catilinæ repressit, legem Agrariam repulit, Murenam defendit. Cuius vitam omnem, & vitæ studia vide apud Plutarchum. Cicero eius filius inter eos qui à parentibus degenerauerunt ponitur Valerio. Binos eum congios hauri[illegible] solitum scribit Plinius, per temulentiámque M. Agrippæ scyphum impegisse. Quintus Cicero, frater Ciceronis, legatus Cæsaris in Gallia primum, deinde ad regendam Asiam proconsul missus, admonetur à fratre per epistolam totius officii. Duxit vxorem Pomponii Attici sororem. Miserandus demum eius exitus: proscriptus enim vnà cum filio, quando & Cicero frater rogauit percussorem, se ante filium interfici, filius contrà, se ante patrem. Vterque igitur simul interfectus. Author Appianus.

Cichesus, fluuius ponitur ab Homero in hymno Apollinis.

Cicimeni, populi inter gentes quæ circa Mæotim habitāt, Plinio ponuntur lib.6. cap.7.

Cicones, populi Thraciæ ad Hebrum fluuiū habitantes, de quibus Ouidius,

Flumen habent Cicones, quod potum saxea reddit
Viscera: quod tactis induxit marmora rebus.

Cilicia, Asiæ regio est, proxima Syriæ, vt scribit Plinius lib.5. ca.27. Pomponius lib. primo scribit Ciliciam, locum esse magni aliquādo discriminis fusorū ab Alexandro Persarū, fugiētisque Darii spectatorē ac testē. Strabo lib.14, Ciliciā diuidit in Campestrē &

Tracheam,id est asperam. Fuit olim opulentissima pop. Romani prouincia,& Cicerone proconsule memorabilis. Solinus author est adeò olim potentem fuisse,vt ad Pelusium vsque procurrerit, Lydis,Medis,Armenis,Pamphylia,& Cappadocia sub imperio constitutis: tãdem subactam ab Assyriis,in breuiorem formam redactam esse.

Cilla,vrbs in AEtolia.

Cimbri, (inquit Festus Põpeius Sextus) lingua Gallica,latrones dicũtur.Sunt autẽ Germaniæ populi Mariana victoria notissimi.

Cimmerii,(inquit Festus Pompeius)dicuntur populi,qui occupatas frigoribus terras incolunt,quales fuerunt inter Baias & Cumas in regione in qua conuallis iugo satis eminenti circundata est,quæ neque matutino,neque vespertino sole contegitur. Constat igitur Cimmerios in Italia fuisse ad Baianum & Auernum sinum,qui in subterraneis domiciliis habitantes,& per cuniculos commeare soliti,toto in illis die delituerũt,noctu tantum ad latrocinia egressi,cũ victum ex metallorum alioqui effossione,diuinationum mercede, & prouentibus ab rege designatis quærerent, vt ex Ephoro scribit Strabo. Penes hos ingens quondam superstitio increbuit, loci natura erroribus suffragante,ibi sacra nemora venerata, fluminibus etiã & fontibus suus horror fuit.Specus præterea famosi,& ad inferos crediti aditus, quos intrare fas nõ erat, nisi diis manibus prius, quo auspicatior descensus foret, sacrificio placatis. Vnde Homero suæ fabulæ OEconomia,quam in Odysseæ lib.2.cõminiscitur, desumpta est,& Virgilii lib.6. Sunt & Cimmerii Bosphorani,quos Herodotus lib. 4, interiora Asiæ aliquando tenuisse scribit.Verùm à Scythis pulsos magis occidua tandem petisse. Ab his Bosphorus Cimmerius dictus,& Cimmerii montes supra Albaniam,apud Ptolemæum tabula Asiæ secunda. Vide Plinium lib.6.cap.6.

Cimmeris, Troadis vrbs, Edonis prius vocata, vt tradit Plinius lib.5.cap.30,Rursus in litore(inquit)Antandros, Edonis prius vocata,deinde Cimmeris & Assos,eadem Apollonia.

Cimolis,vrbs Paphlagoniæ,authoribus Pomponio lib.primo,& Plinio lib.6.cap.2. Cimolis item vrbs Galatiæ Ptolemæo. Vulgo Quinoli.

Cimon Atheniẽsis,patre Miltiade, matre Egesiphile, liberalitate munificentiáque domi magis,quàm militiæ clarus,quapropter Lucullo ex nostris comparatur.Nam cum hostiũ spoliis militia partis locuples esset, ea ciuibus suis distribuit. Primum amotis vndique agrorum suorum septis, egenis peregrinísque poma, frugésque sumẽdas impune dabat. Parabatur quotidie ingens domi co

uiuium quo vndique confluentes pauperes vescebantur. Ex Plutarcho. Fuit & alter Cimon pictor, cuius meminit Plinius.

Cinara rex Cypri, Cilicis filius Beli filii, qui cum Myrrha filiã sua nutricis astutia ignarus concumbens Adônin suscepit: qui à Venere dilectus cum feras sectatur, ab apro interemptus fuit, & in florem sui nominis conuersus. Cinyras scribit Strabo lib. 16, eúmque regnasse in Phœnicia.

L. Cincius, prætor Siciliam per secundum bellum Punicum administrauit, vt scribit Liuius. Cincius alter senator Romanus scripsit de re militari. Idem in suasione legis Fanniæ, obiecit sæculo suo quòd porcum Troianum mensis inferrent, quem illi sic vocabãt, quasi aliis inclusis animalibus grauidũ, vt ille Troianus equus grauidus armatis fuit. Author Macrobius.

Cineas, vir Thessalus Pyrrhi amicissimus, Author Plutarchus in vita Pyrrhi.

Cinesias, Thebanus Dithyramborum scriptor, composuit Pyrrhichiam, vt est in prouerbio πυῤῥίχην ἔμαθε κινησίας id est, Pyrrhìchiam didicit Cinesiæ. vel quòd in choris multo motu vteretur contra comicos agens, qui in hac parte deficiunt. Erat autem Cinesias corpore pigro & fracto crure, vulgóque male audiebat impietatis, & improbitatis nomine, vt scribit Suidas.

Cinna, ciuitas est Castellanorum in Hispania. Plinius.

Cinna Trib. ple. cum perniciosas leges de reuocandis exulibus ferret, pulsus à Cn. Octauio collega, magistratúque exutus, ex vrbe profugit, & bellum vrbi intulit accersito C. Mario cum aliis exulibus ex Africa: in quo bello duo fratres, alter ex Põpeii, alter ex Cinnæ exercitu ignorantes concurrerunt. Et quum victor mortuum spoliaret, cognito fratre, ingenti edita lamentatione, ac rogo extructo, se insuper cremauit. Tandem Cinna, & Marius in vrbem recepti, cædibus omnia compleuere: inter quos Cn. Octauium consulem, M. Antonium oratorem, & L. Cæsarem iugularũt, eorúmque capita pro rostris posuerunt. Ex Liuio. Cinna item alius, qui per errorem necatus à populo Romano fuit, foro medio in funere C. Cæsaris, cum vnus ex interfectoribus fuisse creditur. Præterea L. Cinna, res nouas affectans, quem ex hoste Octauius amicum fecerat, & vsque ad iudicum dignitatem euexerat, aduersus se insidias moliri cognouit, & iratus noua in eum exempla meditabatur. Liuiæ tandem consilio vsus, mitior est factus, eúmque separatim in cubiculum vocauit: vbi eius ingratitudinem exprobrando, Vitam (inquit) Cinna tibi iterum do, prius hosti, nunc insidiatori: & pariter contendamus, vtrum ego melius iterum tibi vitam dederim,

an tu debeas. Seneca de clementia. Fuit & Cinna poeta optimus, qui scripsit Smyrnam, quem libellum decem annis elimauit. Author Seruius. Huius meminit & Virgilius in Bucolicis,

Nam neque adhuc Varo videor, nec dicere Cinna
Digna, sed argutos inter strepere anser olores.

Cinyps, fluuius est Garamantum, vt testis est Herodotus lib. 4.

Cinyras Phœniciæ rex, cuius regia fuit Byblos ciuitas, vt scribit Strabo lib. 16.

Cios, emporiũ Phrygiæ, à Cio Herculis comite, & iuxtà fluuius eiusdem nominis. Palæmon ex Dionysio.

Qua Cius egregius decurrens murmurat vnda. Plinius, Cios (inquit) cum oppido eiusdem nominis, quod fuit emporium accolentis Phrygiæ à Milesiis quondam conditum. Hæc ille.

Cirannus, vir fuit Lycius & Sarpedonis comes, quem teste Homero in Iliade Vlysses in bello Troiano interfecit.

Circe (inquit Cicero) Solis filia, è Perside Oceani filia. Hæc veneficiis dedita, multarum herbarum ac radicum varias vires, mirabilésque inuenit: quanuis à matre prius in iis esset instructa. Itaque Sarmatarum regi connubio iuncta, virum mox veneficio peremit, & ipsa regno potita, sæuè nimium ac crudeliter administrabat imperium: quamobrem regno ab incolis pulsa, in Italiam venit, & in promontorio Latii consedit, quod ex eius nomine, Circeum vocatur. Abundat hoc multis ac variis herbis, quibus ad veneficia abutebatur. Fingitur à poetis socios Vlyssis, quem hospitio exceperat, mutasse in porcos. Virgilius,

Carminibus Circe socios mutauit Vlyssis.

Circeum, promontorium Tuscorũ, Ptolemæo, alio nomine Sancta fœlicitas. Vulgo Cergegli.

Circes domus, oppidum Campaniæ Pomponio, Strabo Circeũ vocat, à quo Circeii. Plinius tradit Circeios insulam aliquanto fuisse immenso mari circundatã, mox continenti adnexam. Circeii, Ciceroni Circienses dicti lib. 3, de natura deorum.

Circius, ventus sæuissimus ex Gallia flans: sic à turbine & vertigine dictus, vt putat Gellius lib. 2. cap. 22.

Cirrha, vrbs Phocidis: & Cirrhæi campi, quorum meminit Demosthenes in oratione pro Ctesiphonte. Vide Plinium libro quarto cap. 3.

Cirta, Numidiæ vrbs, ex Salustio nota. Strabo libro vltimo minutissimam fuisse ait, & optimè structam, Micipsæ potissimũ opera, qui Græcos in eam habitatum deduxit, & tantum effecit vt decẽ equitũ millia, & peditũ viginti emitteret, Ex Strabonis lib. vltimo.

Cirtiſcus, fluuius eſt memorandus in Scythia, teſte Herodoto.

Ciſalpina Gallia, quæ & citerior Gallia, & Gallia Togata dicitur.

Ciſamus, vrbs Cretæ apud Ptolemæum, hodie Ephitiſa.

Ciſianthi, populi Scythis Cimmeriis vicini, ad oram Oceani Scythici. Author Plinius cap. 13. lib. 6.

Ciſſa, fluuius ponti Cappadocii, authore Ptolemæo, vulgo Quiſa.

Ciſſeus, rex Thraciæ, pater Hecubæ vxoris Priami: à quo Ciſſeis Patronymicum.

Ciſtena vrbs eſt AEolidis, de qua Pomponius libro primo ſic ſcribit, Iſthmus ille qui inter Elaiticum, & Idæum ſinum prominet, paruis vrbibus aſperſus eſt: quarum clariſſima eſt Ciſtena. Apud plinium lib. 5. cap. 30, Ciſthene ſcribitur.

Citarii populi Siciliæ. Author Plinius cap. 8. lib. 3.

Citariſta, vel Citariſtes, promontorium eſt Narbonenſis prouinciæ, non procul à Maſſilia, vt eſt author Plinius cap. 4. lib. 3, & Põponius lib. 2.

Citium, Cypri inſulæ oppidum apud Plinium lib. 5. cap. 31.

Citorus, vide CYTORVS.

Cius, fluuius Thraciæ ex Pæonibus & Rhodope monte profluẽs. Hunc, vt teſtatur Strabo lib. 12, Demetrius euertit, dedítque Pruſiæ Zelæ, qui hanc euertit, & Myrleam Pruſiæ vicinam. Is à ruinis eas excitãs, Cium, à ſe Pruſidam; Myrleam verò, ab vxore Apamiam nominauit.

Cizicus, vide CYZICVS.

C L

Clæon fons in Phrygia, dicente Plinio, cap. 2. li. 31, Theophraſtus ait Marſiæ fontem in Phrygia ad Celenarum oppidum ſaxa egerere. Non procul ab eo duo ſunt fontes, Clæon & Gelon ab effectu Græcorum nominum dicti. παρὰ τὸ κλαίειν καὶ γελᾶν, quæ verba lugere, & ridere ſignificant.

Clampetiæ, locus Italiæ, in Brutiis apud Plinium lib. 3. cap. 5.

Clanius, fluuius Campaniæ prope Neapolin.

Clariæ, populi ſunt Thraciæ apud Plinium lib. 4, in deſcriptione Thraciæ.

Clarium, Colophoniorum oppidũ, à quo Clarius Apollo dictus eſt: ibi enim ſpecus fuit & lacuna, cuius potu mira oracula reddita ſunt, breuiore tamen vita bibentium. Huius Plinius lib. 2, & alicubi Macrobius meminerunt.

Claros, inſula vna ex Cycladibus, à qua (vt nonnulli putãt) Apollo Clarius dictus eſt, id quod aſſerere videtur Homerus in hymno Apollinis.

Claterna, inter oppida quæ Piceni litora excipiunt, Pomponio ponitur lib.2, in descriptione Italiæ.

Claudia inter Noricorũ oppida, Plinio numeratur lib.4.cap.24.

Claudia, virgo Vestalis, de qua Cornelius Nepos in libro de viris illustribus.

Claudia gens, Romæ patricia è Sabinis venit, cognomina sibi Neronis & Drusi vsurpauit, quòd Nero lingua Sabina, vir strenuus & fortis dicatur: Drusi verò, à Claudio Druso qui hostium duce Gallorum Druso cominus trucidato, sibi ac posteris nomen indidit. Hæc Tranquillus.

CL. Claudianus, poeta insignis Arcadii & Theodosii temporibus foruit: patria fuit Alexandrinus nobilissima vrbe AEgypti. Quidã Florentinum faciunt, sed falsò. Authores Græci qui de poeta Claudiano scripserunt, Alexandrinum appellant: & author ipse Nilum suũ vocat. Ingenio excellẽti fuit, maximéque apto ad carmen cõponendum. Nam & assurgit fœliciter, variísque figuris, ac sententiis mirificè delectat. Hi eius versus præcipuam laudem meruerũt, quos de laude & victoria principis Theodosii contra Eugeniũ Gallorum regem scripsit. Constat enim Theodosiũ ipsum parua manu contra ingentes Barbarorum copias dimicasse,

Te propter gelidis Aquilo de monte procellis
Obruit aduersas acies: reuolutáque tela
Vertit in authores, & turbine reppulit hastas.
O nimium dilectæ deo, cui fundit ab antris
AEolus armatas hyemes, cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad classica venti.

Fuit & Claudianus Cæsar, qui interfecto Caligulæ successit in imperio, vir inauditæ crudelitatis, vt scribit Suetonius. Claudiani poetæ Alexandrini meminit Suidas.

Claudiopolis, Cappadociæ vrbs, cuius mentionem facit Plinius cap.24.lib.5.

Claudiuium Ptolemæo, Claudia Plinio, vrbs in Norico, Vulgò Closterneuuburg.

Ap. Claudius Regillianus decemuir legibus scribendis summa inter collegas authoritate, postremò ob Virginiæ iudicium in carcerem coniectus, sibi manus attulit. Ex Liuio. Ap. Claudius, cæcus orator Romæ, cuius oratio volubilis, sed paulo feruidior erat. De quo sic Cicero in Bruto, Appius Claudius (inquit) socer tuus, collega & familiaris meus: hic iam & satis studiosus, & valde cum doctus, tum etiam exercitatus orator, & cum auguralis, tum omnis publici iuris, antiquitatísque nostræ bene peritus fuit. Is senatum

iamiam inclinatum,à Pyrrhi pace reuocauit,nec dubitauit illa dice re quæ versibus persecutus est Ennius,
Quo vobis mentes,rectæ quæ stare solebant
Ante hac,deměti sese flexere ruina? Ab hoc Appia via dicta est, quam Brundusium vsque lapidibus strauit, vt est scriptum apud Liuium lib.9. Claudius Nero,& Claudius Pulcher fratres Cæci filii, quorum meminit Tranquillus,& Liuius lib.19. Præter hos Claudius cognomento Caudex,à nauium caudicidus,sic dictus. Is Carthaginenses Messana expulit,Hieronem prælio ad Syracusas in deditionem accepit. Author Cæcilius. Fuit & Claudius Nero consul Liuii Salinatoris collega,qui aduenientem ex Hispania cum auxilio Asdrubalě interfecit. Claudius Nero præterea,Tyberii principis pater,Quæstor C.Cæsaris in bello Alexandrino,& deinde Pontifex Max. in P. Scipionis locum suffectus. Claudius Centianus, quem nonnulli Centimalum, alii Centimanum minus rectè scribunt. Is librum in iure ciuili tertium à P.Papyrio scripsit, & R literā introduxit,quū prius Fusii,deinde Furii dicerentur. Valerius. Claudius itě qui antè Clausus dictus, cuius meminit Virgili⁹ in 6.
Agmen agens Clausus,magnique ipse agminis instar,
Claudia nunc à quo diffunditur & tribus & gens. Fuere præterea Claudiæ duæ Vestales,vna Annibale Italiam vastante: author Valerius. Altera,cuius meminit Cicerò in oratione pro Cælio.

Clazomene,insignis Ioniæ vrbs, Anaxagoræ patria. Pomponius in Ioniæ descriptione lib.1,& Plinius lib.5.cap.29.

Cleanthes,philosophus,Cratetis primum discipulus,deinde Zenonis, cuius etiam successor fuit præceptor Chrysippi philosophi, Solensis,& Antigoni regis. Is primum pugil fuit. Deinde Athenas profectus,desyderio philosophiæ captus est,cuius ea fuit in tolerādis laboribus, & perferendis alacritas, vt alter Hercules dictus sit. Nam cum nō haberet vnde se alere posset,noctu mercede aquā ex puteis hauriebat:luce, philosophiæ studiis exercebatur. Ex Suida. Huius passim meminit Cicero in philosophicis.

Cleanthis,mulieris nomen est apud Suidam.

Clearch⁹,Solěsis senior,scripsit de varia historia. Clearchus item Iunior,Ponticus Athenas profectus vt operā daret Platoni,in somnis admonitus,à studiis literarū recessit. Author vtriusque Suidas. Clearchus dux Lacedæmoniorum, qui dictitabat imperatorě plus quàm hostem metui oportere: significans eos qui in prælio mortě expauescerent,certū sibi,si deseruissent,manere supplicium. Author Frontinus lib.4.

Clemens,historicus,scripsit de regibus & imperatoribus Roma-

nis,ad Hieronymũ de figuris Isocratis.Author Suidas. Clemēs itē Alexādrinus præsul,Pantherii discipul⁹,Origenis præceptor, floruit sub Seuero,& Antonino principibus. Hieronym⁹ & Eusebius li.6.

Cleobulus Euagoræ filius Lindius, vnus è septē Græciæ sapiētibus,robore, & pulchritudine corporis eximius, è Lindo AEgyptũ philosophandi gratia,petisse fertur,extat eius breuis ad Solonē epistola. Filiam habuit Cleobulinā, virginem doctā: quæ hexametris ænigmata quædā perscripsit.Decessit Cleobul⁹ annos natus L X X. Hic dixit amicos atque inimicos beneficiis prosequi oportere:hos vt amicos,illos vt amiciores reddamus.Authores,Diogenes Laertius,& Suidas.

Cleocritus, apud Comicos taxatur vt mulierosus, & cinædus,& obscurus,& vt Cybeles filius. Nam in mysteriis Rheæ molles tantum intersunt.Hæc Suidas.

Cleodamas, Achneus (Achne autē ciuitas est Thessaliæ) scripsit de cura equorum.Author Stephanus.

Cleomachus,Magnesius pugil, qui in cinædi cuiusdā & ancillæ amorē incidens,quæ à cinædo alebatur, cinædorum & orationem & mores,est imitatus. Nam cinædicæ orationis primus inuentor fuit Sotades,postea Alexander AEtolus,sed in pura oratione Lysis etiam adhibito cantu.Author Strabo.

Cleobis, Argiæ sacerdotis filius,de quo sic Cicero in Tusculanis quæstionibus scribit.Primũ(inquit)Argiæ sacerdotis Cleobis & Biton filii prædicantur. Nota fabula est. Quum enim illā ad solenne & statutũ sacrificium curru vehi ius esset, satis longè ab oppido ad fanum,morarentúrque iumenta:tunc iuuenes ii quos modo nominaui,veste posita corpora oleo perunxerũt,ad iugũ accesserũt.Ita sacerdos aduecta in fanum,quũ currus esset ductus à filiis, precata à dea dicitur,vt illis præmium daret pro pietate,quod maximum homini dari possit à Deo. Pòst epulatos cum matre adolescentes somno se dedisse,mane inuentos esse mortuos.Hæc Cicero.

Cleombrotus,Lacedæmoniorum dux,qui quum temerè cũ Epaminonda conflixisset, Lacedæmoniorũ opes corruerunt,vt scribit Cicero lib.1.de officiis .Fuit & Cleōbrotus adolescens Ambraciota, cui quũ nihil accidisset aduersi,è muro se in mare abiecit,lecto Platonis libro de animorũ immortalitate.Hæc Cicero in Tusculanis.

Cleomedes,Astypalæensis,cuius portēta quædā memorātur.Hic robore ac magnitudine eximia,quũ Ciccũ Epidauriũ pugil interfecisset, victoriæ præmiis fraudatus, præ dolore insanus effectus,ex Olympia Astypalæam reuersus, cúmque ibi multa temere ac violenter fecisset,postremò ludum puerorum ingressus, apprehensam

manu columnā,quæ tectum ſuſtētabat,concutiens, mediā fregiſſe, ac tectū deieciſſe dicitur. Interfectis autē pueris,quū quæreretur ad ſuppliciū,in ſepulchrū magnū ſe conieciſſe,& clauſum intus, adiectum deſuper operculū adeo tenuiſſe,vt ne à multis quidē ſimul ad nitentibus,vi vlla euelli poſſet. Conciſo igitur circà loco, neque viuum hominem,neque mortuum eſſe compertū. Quare miſſis Delphos legatis reſpondiſſe Pythiā, Vltimus herôum Cleomedes Aſtypalæus. Hæc partim è Suida,partim è Plutarcho. Fuit & Cleomedes, Græcus author qui ſcripſit de circulis cæleſtibus,quod opus elegans admodum adhuc extat. Suidas.

Cleomenes Lacedæmoniorū dux, qui ab Antigone rege in prælio victus,ad Ptolemæū ſe recepit, benigneque primum exceptus, mox Nicagoræ cuiuſdam calūnia apud regem ſuſpectus,cuſtodiæ cum aliis quibuſdam traditus, ſe omnes mutuis vulneribus necauere. Rex Ptolemæus Cleomenem mortuum pelle nudauit,crucique adfixit. Ex Plutarcho. Fuit & Cleomenes Siculus, qui luxuria, nequitiáque Verrem referebat, de quo Cicero actione decima in Verrem lib.7.ſic ait,Cleomenes autem qui alterū ſe Verrē luxuria,atque nequitia,tum etiā imperio putaret, ſimiliter totos dies in litore tabernaculo poſito perpotabat. Hæc Cicero.

Cleon, dux Athenienſium in reipublicæ adminiſtratione aduerſari ſolitus Niciæ Nicerati filio,miſſus denique in Thraciam cum exercitu,multas vrbes cepit. Eum inſectatur Ariſtophanes in Comœdia quæ inſcribitur ἱππεῖς id eſt, equites. Fuit & Cleon poeta, qui Argonautica ſcripſit,à quo argumentum Apollonius Rhodius mutuatus eſt,vt eius enarrator ſcribit. Fuit item Cleon Halicarnaſſeus orator,qui Lyſandro Lacedæmonio orationem compoſuit. Author Suidas.

Cleoymus ῥίψασπις,id eſt deſertor ordinis, & qui abiecto clypeo fugit,dictus eſt. Vnde prouerbium, Cleonymo timidior. Hunc inſectatur vt timidum & fugacem Ariſtophanes in Nubibus.

Cleophon,poeta Tragicus Athenienſis,cuius nonnullæ fabulæ Suidæ commemorantur.

Cleone, loci nomen eſt vbi Hercules leonē interemit prope Nemeam.vt ait Suidas. Lucanus, Ille Cleonæi proiecit terga leonis.

Cleopatra,AEgypti regina,quæ Antonio perſuaſit,vt ſe vxorem ſortiretur,derelicta ſorore Auguſti.quo facto Auguſtus vehementer accenſus,contra eum cœpit bella moliri. Antonius re comperta collectis Orientis viribus prior cum vxore Cleopatra venit ad bellum. Conflictum eſt nauali certamine circa Actium Epiri promōtorium,vbi victi ſunt Antonius & Cleopatra,& in fugā coacti.

postea occiso Antonio, illa sibi serpentes adhibuit. Hæc Seruius. Hanc pugnam Acti acã pulchrè depinxit Virgilius libro AEneidos octauo.

Cleopatrus,præfecti nomen apud Corinthios, cuius Plutarchus in Arato mentionem facit.

Cleophantus, medicus, cuius meminit Plinius libro 24.cap.16. Fuit & Clephantus, pictor Corinthius, vt scribit idẽ Plinius libro 35.capite 3.

Cleostratus,antiquissimus philosophus, primus scripsit de signis cælestibus, atque in primis signa Arietis & Sagittarii. Author Plinius lib.2.cap.8, de natura siderũ errantium,& eorum ambitu.

Cleoxenus & Democlitus historiã de rebus Persicis scribere aggressi, quam inchoatam se in historiis fatetur absoluisse Polybius Megalopolitanus.Ex Suida.

Clipea,Ptolemæo vrbs Africæ minoris,aliis dicta Clupea,&Clypea,vulgo Quipia.

Clio, vna è nouem musis.

Clinias musicus,& philosophus sectæ Pythagoreæ, si quando ad iram prouocaretur, sumpta statim cithara, motus animi leniebat, haud aliter quàm Achilles, cum iratus stabat ad litus, eodem ferme modo dolorem leniebat. Author AElianus de varia historia.

Clitarchus historicus,qui & Alexandri comes fuit in expeditionibus, & eius res gestas scripsit: cuius in historia ingenium probatur,fides infamatur,vt scribit Quintilianus. Huius meminit & Plinius lib.3,cap.5.

Cliternia, Italiæ oppidum est ad montem Garganum, Pomponio Melæ lib.2,in descriptione Italiæ. Ptolemæo dicitur Cliternũ, Vulgo Celano.

Clitomachus,Carthaginensis philosophus, Athenas concessit ad capiendũ ingenii cultum quadraginta natus annos,audiuitque Carneadem:breui quoque tẽpore adeo profecit,vt XL. volumina scripserit,successeritque Carneadis scholæ. Clitomachus alter athleta,Pancratiastes nobilis.Author vtriusq; Suidas. Athletæ pudicitia tanta fuisse dicitur, vt canes si forte coeuntes vidisset,statim vultũ auerteret: in conuiuio siquis sermo lasciuus incideret, statim surgens abiret.Author AElianus de varia historia.

Clitoris,ciuitas est Arcadiæ apud quam spelunca est,ex qua profluit aqua,ex qua siquis biberit,protin' fit abstemius, teste Ouidio lib. 15.Metamor.

Clitorio quicunque sitim de fonte leuarit,
Vina fugit,gaudẽtque meris abstemius vndis

Clitorium, oppidum Arcadiæ, vbi fons est qui potātibus inducit odium, & tædium vini. De lacu Clitorio scribit Plinius libro 31, capite secundo.

Clitumnus, Vmbriæ fluuius, de quo Silius,

Et lauat ingentem profundēs flumine sacro Clitumnus taurū.

Cloanthus, Vir Troianus, AEneæ comes.

Clodia Romana (à qua Cicero prædiū emere volebat) copiosa & locuples fœmina fuit, de qua sic Cicero ad Atticū, lib. 13, Sed quando (inquit) Clodia Romæ futura est, & quanti rē æstimas, eo prorsus expecto: non quin illud malim, sed & magna res est, & difficile certamen cum cupido, cum locuplete, cum hærede.

Clodii forum, Italiæ oppidum in octaua regione, vt scribit Plinius lib. 3. cap. 15.

C lodiorū familia, à Clodio AEneæ socio dicta. Author Festus.

Clodius, inimicus Ciceronis, quem vt expellere ab vrbe posset, plebeio se homini adoptādum dedit. mœchus fuit notissimus, deprehensus in sacris Bonæ deæ muliebri vestitu indutus, vt scribit Cicero ad Atticum, lib. 1, Credo (inquit) te audisse, cum apud Cæsarem pro populo fieret, venisse eò muliebri vestitu virum, idque sacrificium cum Virgines instaurassent, mentionem à Q. Cornificio in senatu factam: is fuit princeps, ne tu fortè aliquem nostrū putes. postea rem ex S.C. ad Virgines atque ad Pontifices relatam: idque ab iis nefas esse decretum: deinde ex S.C. Consules rogationē promulgasse: vxori Cæsarem nuntium remisisse. In hac causa Piso amicitia P. Clodii ductus operam dat, vt ea rogatio quam ipse fert & fert ex S.C. & de religione, antiquetur. Hactenus Cicero. Fuit & Clodius Pulcher, orator Romæ inter patronos, simul cum Cicerone in causa Scauri. Pædianus. Clodii cuiusdam meminit Plutarchus in Numa, qui temporū argumentum scripsit. Sex. Clodius rhetor è Sicilia Latinæ, Græcæque eloquentiæ professor, malè oculatus familiaris, ac præceptor M. Antonii triumuiri, cuius meminit Cicero in Philippicis & Tranquillus. Clodius Quirinalis Arelatensis, rhetor, Romæ docuit, circa Neronis tempora, teste Eusebio. Clodius Albinus, dux in Gallia exercitus, post mortem Pertinacis principis, ab exercitu imperator salutatus, perditæ gulæ fuisse traditur, Herodiano.

Clonius, vnus è quinque ducibus Bœotorum, qui cum quinquaginta nauib⁹ ad Troiā nauigauerūt, vt scribit Homerus lib. Iliad. 2.

Cloris, Nympha, quæ Zephyro nupta, quasi dotis loco id accepit muneris à marito, vt haberet omniū florum potestatem. Scribendum Chloris. Vide suo loco.

Clota, æstuarium Britannici maris apud Ptolemæum: Glota Tacito scribitur.

Cluentius, ex municipio Larino accusatus à matre Sassia, quòd Oppianicum vitricum interfecisse: defensus fuit à Cicerone, cuius adhuc extat longè optima oratio pro Cluentio.

Clunia, oppidũ Hispaniæ, Celtiberiæ finis. Plinius cap. 3. libri 3.

Cluniensis, Hispaniæ conuentus. Sunt enim septem (inquit Plinius lib. 3.) Carthaginensis, Tarraconensis, Cæsaraugustanus, Cluniensis, Asturum, Lucensis, Braccarum.

Clupea, quæ & Clypea dicitur, oppidũ Africæ minoris, quæ alio nomine Zeugitana prouincia dicitur. Hermolaus, Clypeã & Aspidẽ idem oppidum esse annotauit: cui & Solinus accedit, & Silii versus suffragatur libro 3, In clypei speciem curuatis turribus Aspis.

Clusini noui & veteres populi Hetruriæ, de quib' Plin. li. 3. cap. 5.

Clusiolum, oppidum Vmbriæ, quod interiit: cuius meminit Plinius lib. 3. cap. 14.

Clusium, oppidum est mediterraneum in Tuscia, sub quo sepultus est Porsena. Plin. lib. 36. cap. 13.

Clymene, Oceani & Thetyos filia, teste Hesiodo in Theogonia, de qua Virgilius lib. Georgic. 4. Inter quas Clymene curam narrabat inanem. Fuitque mater Phaëtontis, vt scribit Ouidius libro Metamo. primo. Altera fuit ministra Helenæ, decoris oculis prædita, vt est apud Homerum lib. Iliad. 3.

Clytemnestra, Tyndari filia ex Leda, vxórque Agamemnonis, & mater Orestis: quæ cũ Agamemnonẽ ab Ægistho adultero interfici curasset, interfecta est & ipsa ab Oreste filio. Ouid. in Elegiis, Et vindex in matre, patris malus vltor Orestes,
Ausus in arcanas poscere tela deas.

Clytia, vna ex Nymphis Oceani, à gloria dicta. κλέος enim, gloriam significat. Perottus.

C N

Cnemides (inquit Strabo libro nono) in Thracia sunt secundum Daphnuntem, locus munitissimus, in quem ex Eubœa Cæneum è regione consistit promontorium, in Occidentem spectans, sinúmque Maliacum, &c. Vide tabulam decimam Europæ apud Ptolemæum.

Cnidos, ciuitas est & promontorium Cariæ Ptolemæo.

C O

Coa, oppidum est in Arabia fœlici apud Ptolemæum.

Coaspis, fluuius est Medorũ qui apud Persas in Tigrim defluit.

Cocalus, Siciliæ rex, ad quem Dedalus ex Creta affugit: quem il

luc vſque perſecutus eſt Minos Cretenſium rex : ſed à Cocali filiabus(vt Ariſtoteles refert)interfectus eſt.Perottus.

Cocinthum,lõgiſſimum Italiæ promontorium, vt eſt apud Plinium lib.3.cap. decimo.

Cocytia,Sacra erant,quæ fiebãt in honorem Proſerpinæ, quam Pluto rapuit.

Cocytus(inquit Seruius)fluuius inferorũ, dictus ἀπὸ τοῦ κωκύειν id eſt lugere. Nam Homerus ſic poſuit. Eſt autem locus vicinus Acheronti.Hæc ille.Virgilius lib.6. AEneid.

-tenent media omnia ſyluæ
Cocytúſque ſinu labens circunuenit atro.

Codanonia,inſula vna eſt ex Hemodibus in Germania.de qua ſic Pomponius Mela lib. 3. ſcribit, Septem Hemodes contra Germaniam proiectæ in illo ſinu, quem Codanum diximus. Ex iis Codanonia,quam adhuc Theutoni tenẽt,vt magnitudine aliàs, ita fœcunditate anteſtat.Hæc Mela.

Codanus,ſuper Albim fluuium ingens ſinus,magnis,paruiſque inſulis refert⁹, in Germania,de quo ſic Plinius lib.4. cap.13. de extimis Europæ gentibus, Seuo (inquit) mons ibi immenſus, nec Riphæis iugis minor, immanem ad Cimbrorum vſque promontorium efficit ſinum,qui Codanus vocatur, refertus inſulis: quarum clariſſima Scandinauia eſt incompertæ magnitudinis. Hæc ille.

Codrus,dux Athenienſium fuit, qui orto bello inter Laconas & Athenienſes, cum reſpondiſſet oraculum, illos poſſe vincere quorum dux periiſſet:habitu humili profectus eſt ad hoſtiũ vicina tentoria,& illic iurgio eos in ſuam cædem inſtigauit, & à nullo cogni tus fecit locũ oraculo.Hæc Seruius explicans illud Virgilii,Eclog.5,
Incipe Mopſe prior,ſiquos aut Phyllidis ignes,
Aut Alconis habes laudes,aut iurgia Codri:
Incipe:paſcentes ſeruabit Tityrus hœdos.

Cœle,teſte Pomponio Mela libro primo,Syria alio nomine dicitur:Syria(inquit) latè littora tenet,terráſque etiam latius introrſus aliis aliiſque nuncupata nominibus : nam & Cœle dicitur, & Meſopotamia,& Damaſcene,Adiabæne,& Babylonia,& Iudæa, & Sophene,&c. Hinc etiam Cœleſyria dicta eſt Straboni libro 16, Tota(inquit)regio vltra Seleucidem in AEgyptum & Arabiam recedens,Cœleſyria appellatur, ſed propriè quæ Libano terminatur, & Antilibano.Hæc Strabo.Nomen ſortita eſt à concauitate, quam Græci κοιλότητα nominãt.Nã & κοῖλος, omnis locus cauus dicitur.

Cœlos,Thraciæ portus eſt,Athenienſibus & Lacedæmoniis (inquit Mela libro 2,) nauali acie decernentibus Laconicæ claſſis fi-

gnatus excidio. Thucydides lib.8,pugnam naualem iuxta Abydum Athenienſibus cum Syracuſanis,& Lacedæmoniis fuiſſe ſcribit, Thraſyllo videlicet & Thraſibulo ducibus, inſigni parta victoria. Sunt qui ad Alcibiadem referre malint,quem Lacedæmonios viciſſe, octoginta nauibus amiſſis, & propè omnibus eorum ducibus cæſis, Plutarchus, & Iuſtinus ſcribunt. Ad hunc quoque portum,Milciadis,& Thucydidis hiſtorici mõſtrari tumulos Ammianus ſcribit.

Coemba,Ptolemæo Gedroſiæ vrbs,hodie Cambaia, ſeu Gãbaia, regni caput.

Cœnoeum,Germaniæ vrbs Ptolemæo,vulgò Loubemburg.

Cœus,gigas Titani & Terræ filius.De quo Virgilius lib.Georg.1, Cœúmque Iapetúmque creat, ſæuúmque Typhœa.

Cogamus,Lydiæ fluuius.Author Plinius lib.5.cap.29.

Colaicum, Taprobanæ inſulæ promontorium, vt eſt apud Pliniũ in ipſius inſulæ deſcriptione lib.6.cap.22.

Colapiani,Pannoniæ populi,Plinio cap.25.lib.4.

Colchi, Aſiæ populi, veneficii maximi authores, & Iaſonis memoria, fabularúmque inuolucris nobiles:habent ab ortu Iberiã, & Albiam vſque in Caſpiũ.Author Ptolemæus. Ammianus lib.22, Colchos antiquam AEgyptiorũ ſobolem eſſe refert.Nam linificiũ adeò apud eos vulgatũ eſt,vt in peregrina quoque loca exportetur: vnde quidam cognationem Colchorum cum AEgyptiis oſtendere volentes,fidem ex his capiunt,inquit Strabo.

Colidos,Inſula in oceano Indico,Veneri ſacra,quæ tantæ altitudinis perhibetur,vt illuc aues non aduolent.Calepinus.

Collatia,Italiæ ciuitas,quam Tarquinius conſtituiſſe dicitur:qui vt erat ſuperbus, eam ex collata pecunia conſtituit: vnde & Collatia dicta eſt.Poteſt tamẽ fieri vt ab Albanis fundata ſit,aucta à Tarquinio.Author Seruius enarrans illud Virgilii 6.AEneid.
Hi tibi,Nomentum & Gabios vrbémque Fidenam,
Hi Collatinas imponent montibus arces.

Colocaurum,Germaniæ vrbs Ptolemæo,Vulgo Friduual.

Colops magnus, Ptolemæo Zeugitanæ prouinciæ vrbs,hodie Giger,regia ciuitas.

Colophon Ioniæ vrbs clariſſima, quæ equeſtribus tantum excelluit,vt vbicunque difficulter bella componi poterant, Colophonii equitatus auxiliis dirimerentur.Vnde natũ prouerbium,κολοφῶνα ἐπέθηκε,id eſt Colophonem addidit, cũ ſumma operi manus imponitur.Viri ex Colophone memorabiles fuere, Minnerm⁹ tibicẽ,& elegiæ poeta.Itẽ Xenophanes phyſicus,&c.Hæc ex Strabonis li.14.

Colorbaſus, nomen hæretici qui vitam omnium hominum in ſeptem ſyderibus conſiſtere affirmabat.

Colpe, ciuitas eſt Ioniæ regionis, vt eſt apud Plinium lib.5.ca.29.

Colubæ, populi Plinio inter gentes Indicas numeratur capite 19. libri 6.

Colubraria, maris mediterranei inſula, ſerpentibus ſcatens: de qua ſic Pomponius Mela lib.2, Colubraria (inquit) cuius meminiſſe ſuccurrit, quòd quũ ſcateat multo ac malefico genere ſerpẽtum, & ſit ideo inhabitabilis, &c. Plinius capite quinto libri tertii, Ebuſi (inquit) terra ſerpentes fugat, Colubrariæ parit. Ideo infeſta omnibus, niſi Ebuſitanam terram inferentibus, Græci Ophiuſam dixere. Hæc ille.

Columella, cuius inſcriptio prænominis L. Moderatus Columella, Gaditanus genere, ſcripſit abſolutiſſimos libros de re ruſtica temporibus Claudii principis.

Columna, regia ciuitas in Brutio. Pomp. Mela lib.2, In Brutio ſunt Columna regia, Rhegyũ, Scylla, Taurianum & Metaurum.

Comagene, Aſiæ regio eſt ſupra Ciliciam in ortum ſita trans Amanum montem: excurrit advſque Meſopotamiam Euphrate intermedio; vt Ptolemæus docet tabula Aſiæ 4. Inde Comageni dicti Pomponio lib.1.

Comari, Aſiæ populi ſuper Scythas, Scytharúmque deſerta, ac ſuper Caſpium ſinum. Ex Pomponio Mela lib.1.

Comata (inquit Plinius lib.4.cap.17) omnis Gallia vno nomine appellata, in tria populorum genera diuiditur, amnibus maxime diſtincta. A Scalde ad Sequanã Belgica: ab eo ad Garumnam Celtica, eadémque Lugdunenſis. Inde ad Pyrenæi mõtis excurſum Aquitania, Aremorica antè dicta. Videtur igitur Comatæ nomen reliquæ Galliæ conuenire ſecluſa Prouincia. Ptolemæus eam totã Celtogalliam vocat.

Comenſes, populi ſunt Galliæ Ciſalpinæ, à Como dicti. Plinius. Comum autem eſt ad Larium lacum.

Commone, inſula eſt adiacens Epheſo vrbi, vt author eſt Plinius lib.5.cap.vltimo.

Compitalia, feſta quæ in compitis peragebantur. & Compitalitius dies, in quo compitalia celebrabantur. Perottus.

Complutenſes, Hiſpaniæ populi, ſic à Compluto vrbe dicti. Plinius lib.3.cap.3. Vulgò Alcala de enares.

Compſani, Hirpinorum populi in Italia, vt author eſt Plinius lib.3.cap.11.

Comum, Insubrum vrbs, Vulgo Como. Plin. lib. 3. cap. 17, Orobiorum stirpis esse Comum atque Bergomum, & Licini forum, & aliquot circa populos, author est Cato.

Concordia, Italiæ vrbs Carnorũ, Plinio lib. 3. cap. 1: & item Melæ & Ptolemæo nomine adhuc durãte. Est & Cõcordia, Hispaniæ ciuitas Ptolemæo: & Concordiẽses, Bæticæ populi, Plinio cap. 22. li. 4.

Concubienses, populi sunt Vmbriæ in Italia, vt est apud Plinium cap. 14. lib. 3.

Condate, Rhedonum vrbs in Gallia, Ptolemæo, Vulgò Nantes en Bretaigne.

Condigramma, Carmaniæ oppidum, apud Plinium cap. 23. lib. 6.

Conibrica, Lusitaniæ oppidum, vt author est Plinius cap. 21. lib. 4, in descriptione Lusitaniæ.

Congedus, amnis est iuxta Bilbilim, qui per agri planitiẽ fluens, exiguũ lacũ efficit, tepẽtibus aquis, qui erũpit in Bilbilim. Perottus.

Conõ, dux Atheniẽsis, acceptæ cladis à Lysandro Lacedæmonio dolore, sponte abiit in exilium ad Artaxerxem Persarum regem, in Cyprum, cuius auxilio libertati patriam restituit, cui prius seruitutem attulerat. Author Plutarchus & Demosthenes in oratione ad Leptinem. De hoc intellexisse Virgiliũ author est Seruius Ecloga 3, In medio duo signa, Conõ: & quis fuit alter? Fuit & alter eiusdem nominis Mathematicus, quem Catullus in elegia quadam introduxit.

Cononienses, populi sunt prouinciæ Narbonensis, vt scribit Plinius lib. 3. cap. 4, in descriptione Narbonensis prouinciæ.

Consaburenses, populi Hispaniæ citerioris, vt scribit Plinius lib. 3, in descriptione Hispaniæ citerioris.

Consentia, Brutiorum ciuitas est apud Pliniũ lib. 3. cap. 5. Et nomine Consentini, Consentiæ oppidi incolæ.

Cõsilinum, Italiæ oppidum, Tarento vicinum, vt scribit Pomponius Mela lib. 2, in descriptione Italiæ.

Consoranni, populi sunt Galliæ Aquitanicæ, vt scribit Plinius in descriptione Aquitaniæ lib. 4.

Consuanetes, inter Alpinas gentes Plinio numerãtur lib. 3. ca. 20.

Cõtestania, Hispaniæ citerioris oppidũ, vt scribit Plinius li. 3. ca. 3.

Copæ Coparum, Bœotiæ oppidũ est, vt scribit Plinius ca. 7. li. 4.

Cophantus, mons est semper ardens apud Bactros Indiæ populos, vt est apud Plinium cap. 106. lib. 2.

Coos, siue Cos, siue Coum, siue Co, insula in mari Ægæo, seu, vt quidam aiunt, in Icario, Rhodo proxima, & Cariæ opposita: quæ olim magna fuit & optime habitata, & aspectu iucũdissima iis qui

eo nauigabant. Sunt qui dicant apud hāc insulā fieri vesteis tenuissimas ad fœminarum ornamentum. Ouidius De arte,

Siue erit in Tyriis, Tyrios laudabis amictus:
Siue erit in Cois, Coa decere puta. Hæc Perottus.

Cophes, Asiæ fluuius est in India, de quo Pomponius lib. 3, sic scribit, Indus ex monte Paropamiso exortus, & alia quidem flumina admittit: sed clarissima Cophen, Acesinen, Hydaspē, conceptámque pluribus alueis vndam lato spatio trahit. Hæc ille.

Corasini, populi sunt Asiatici, teste Herodoto lib. 2.

Corax, antiquissimus rhetor Siculus, primus artē dicendi & præcepta cōscripsit, authore Aristotele. De quo Cicero in Bruto sic scribit, Itaque ait Aristoteles, cum sublatis iam in Sicilia tyrannis res priuatæ longo interuallo iudiciis repeterentur, tum primum (quod esset acuta illa gens & controuersa natura) artem & præcepta Siculos Coracem & Tisiam conscripsisse. Nam antea neminem solitū via nec arte, sed accurate tamen, & de scripto plerosque dicere: scriptásque fuisse, & paratas à Protagora rerum illustrium disputationes, quæ nunc cōmunes appellantur loci. Hæc ille. Coracis item meminit libro primo de oratore. Est item Corax montis nomen in Sarmatia Europæ apud Ptolemæum. Est præterea Corax, fluuius in Caucaseis montibus originem habens, vt Glaucus, Phasis, Hippus. Fuit & Corax, siue Coras, qui cū fratre Catillo oppidum Tybur in Italia constituit, authore Seruio apud Virgilium in illo AEneid. 7,

Tum gemini fratres Tyburtia mœnia linquunt,
Fratris Tyburti dictam cognomine gentem,
Catillúsque, acérque Coras, Argiua iuuentus.

Constat etiam Archilocum interfectum fuisse in bello à quodā cui nomen erat Corax. Hic quum forte sciscitatum Apollonis oraculum venisset Delphos, ab eo tanquam impius ac sceleratus est reiectus. Verùm cum ille multis verbis sese excusare conatus, culpam omnem in fortunam, & varios bellorū euētus reiecisset, veniámque à deo implorasset, flexit numen: acceptóque ab Apolline responso, iussu eius Tænarum profectus est, ac manibus Archiloci parentauit: tanta erat eo tempore vatum & poetarum authoritas atque maiestas. Hæc Perottus Sypontinus.

Coraxi, Colchidis regionis populi, vt scribit Plinius cap. 5. lib. 6, & Pomponius lib. primo.

Coraxicus mōs, Tauri montis pars est. De Tauro sic Plinius cap. 27, libri 5, scribit. Quinetiam (inquit) confractus, effugiens quoque maria, plurimis se gentium nominibus, hinc & illinc implet: à

dextra, Hyrcanus, Caſpius: à læua Pariedrus, Moſchicus, Amazonicus, Coraxicus, Scythicus appellatus. In vniuerſum verò Græcè Ceraunius. Pomponius Mela libro primo, multitudinis numero ſcripſit, Ceraunii, Taurici, Moſchi, Amazonici, Caſpii, Coraxici, Caucaſi.

Corcyra, maris Adriatici inſula, inter Epirum & Calabriam ſita, Alcinoi & Phæacũ memoria, tum & Vlyſſis naufragio, & hortorum Alcinoi fama clariſſima. Venetorum eſt hodie. Huius inſulæ meminit Virgilius lib. AEneid. 3, vt annotauit Seruius,

Linquere tum portus iubeo, & conſidere tranſtris:
Certatim ſocii feriunt mare, & æquora verrunt.
Protinus aerias Phæacum abſcondimus arces,
Littoráque Epiri legimus, &c. Aerias arces Phæacum, Corcyram (inquit Seruius) inſulam dicit ſitam inter Epirum & Calabriam, vbi regnauit Alcinous. Hæc ille. Eſt & Corcyra Nigra cognominata ab illa ſuperiore diuerſa, quam inter Electridas enumerat Pōponius Mela lib. ſecundo.

Cordilio, philoſophus Stoicus Pergamenus, omnium principũ, ac regum amicitias ſpernebat. Hunc Cato Vticenſis in Macedoniã cum exercitu miſſus, precibus exoratum in caſtra ſecũ duxit, magnam ſe putans adeptus palmam, qui hominem ſeueriſſimũ è ſententia dimouiſſet. Volaterranus lib. 14.

Corduba, Bæticæ Hiſpaniæ vrbs clariſſima, vtriuſque Senecæ & Lucani patria, vt eſt author Martialis ad Licianum,

Duóſque Senecas, vnicúmque Lucanum
Facunda loquitur Corduba. A Corduba, Cordubenſis cōuentus dicitur, Plinio, vt Aſtigitanus & Iſpalenſis, à clariſſimis oppidis, & quartus Gaditanus. Cordubenſis agri fertilitas, & diues cultus ſcriptoribus laudatur. Silius lib. 3,

Nec decus auriferæ ceſſauit Corduba terræ.

Cordus inter præceptores Alexãdri Mammeæ nominatur. Cordus item Cremutius declamator nobilis fuit, cuius meminit Trãquillus in Caligula. Fuit & Cordus hiſtoricus, qui imperatorum vitas conſcripſit, cui vitio vertitur, quòd eorum qui obſcuriores eſſent, minima etiã perſequeretur. Nam quando proceſſerit, & quãdo cibos variauerit, aut quoties veſtem mutauerit, ſanè de clariſſimis notiſque viris commemorandum eſt. Author Capitolinus.

Coreſa, Helladis, id eſt Græciæ inſula, de qua Plinius cap. 12. lib. 4, At in Hellade (inquit) etiamnum in AEgæo Lichades, Scarphia, Coreſa, Phocaria, compluréſque aliæ, ex aduerſo Atticæ ſine oppidis, & ideo ignobiles. Hæc ille.

Corfinienses, Pelignorum populi, quorum meminit Plinius lib. 3. cap. 12, in descriptione regionis Italiæ quartæ.

Coricæ, insulæ duæ sunt, ante Peloponnesum, vt scribit Plinius cap. 12. lib. 4.

Corinium, Ptolemæo Dalmatiæ vrbs, hodie Corniniũ. Est & Corinium, eodem authore, Britanniæ vrbs, alio nomine Claudiana castra. hodie vulgo Claudiocestria, Cloucestre.

Corinna, Thebana mulier, Lyrica, vicit quinquies, vt meminit Pindarus: scripsit libros quinquaginta & epigrammata. Suidas & Pausanias authores. Corinna altera apud Ouidium poetam notissima.

Corinnus, Iliensis versificator ante Homerũ, qui primus, vt quidam volũt, scripsit Iliada, vigente adhuc bello Troiano. Scripsit autem literis Græcis inuentis tunc primum à Palamede, cuius fuit discipulus: scripsit & Dardani cõtra Paphlagonas bellum. Ex quo putatur Homerum hausisse omnem operis materiã. Author Suidas.

Corinthus, Achaiæ caput (inquit Florus) Græciæ decus, inter duo maria, Ionium & AEgæũ, quasi spectaculo exposita. Hæc ille. Corinthum (inquit Strabo lib. 8,) sanè locupletissimã aiunt, cũ Isthmo immineat emporium, locus negotiatoribus frequentatus, & duorũ dominus portuũ existat: quorum quidem alter Asiæ, alter autem propinquus est Italiæ: vtroque ex loco faciles inuicẽ merciũ cõmutationes faciens, tantũdem remotis vtrinque gentibus. Hæc Strabo. Cicero in oratione contra Rullum secũda, Corinthi (inquit) vestigium vix relictũ est: erat enim posita in angustiis, atque in faucibus Græciæ, sic, vt terra claustra locorũ teneret, & duo maria maximè nauigationi diuersa penè cõiungeret, quũ pertenui discrimine separaretur. Hæc Cicero. Potentissimã ac ditissimã hanc vrbẽ fuisse antequã à populo Romano caperetur, testis est Florus, dũ breuiter eius vrbis ruinas percurrit. Quid signorũ, (inquit) quid vestium? quidve tabularũ raptum, incensum, proiectũ est? Quantas opes victor & abstulerit, & cremauerit, hinc scias, quòd quicquid Corinthii æris toto orbe laudatur, incendio superfuisse cõperimus. Nã & æris notam pretiosiorem ipsa opulẽtissimæ vrbis fecit iniuria, quia incẽdio perustis plurimis statuis, atque simulachris, æris, auri, argẽtique venæ in cõmune fluxerũt. Hæc Florus. Strabo scribit Corinthios populi Romani legatos, quũ fortè tecta quædam magnifica præteriissent, sordibus effusis commaculare ausos. Cuius gratia cũ alia quoque superbiæ atque insolentiæ eorum haud obscura extarent argumenta, ingenti cõparato exercitu, L. eam Mumius imperator solo æquauit (id enim superbia meruerat) signis, tabulisque

pretiosissimis in vrbem asportatis. Cicero in oratione de lege Manilia, Legati (inquit) quòd erant appellati superbius, Corinthum patres vestri totius Græciæ lumen extinctum esse voluerūt. Porrò Corinthus propter vtrunque mare, Ionium scilicet, & AEgæum, à poetis bimaris dicitur. Ouidius Fast. lib.4,

Adriacúmque patens latè bimarémque Corinthum. Horatius

—bimarísve Corinthi Mœnia. Quin & Isthmum ipsum eo cognomine Ouidius donat lib. Metamorph.7,

Qui virtute sua bimarem pacauerat Isthmum. Et lib.6,

Quǽque vrbes aliæ bimari clauduntur ab Isthmo,

Exteriúsque sitæ, bimari spectantur ab Isthmo. Corinthus à Sisypho latrone AEoli filio condita fertur: deinde euersa, & instaurata à Corintho Orestis filio. Author Strabo.

Coriolanus, vir illustris Romanus, quē Cicero multis in locis cū Themistocle confert. Nam bellum (inquit) Volscorum illud grauissimum, cui Coriolanus exul interfuit, eodem ferè tempore quo Persarum bellum fuit, similísque fortuna clarorū virorum. Siquidem vterque cum ciuis egregius fuisset, populi ingrati pulsus iniuria, se ad hostes contulit, conatúmque iracundiæ suæ morte sedauit. Rursum, Quare quoniam tibi quadrat, omnia tibi fuisse in Themistocle paria, & Coriolano paterā quoque à me sumas licet: præbebo enim hostiā, vt Coriolanus sit plane alter Themistocles. Hæc ille in Bruto. Rursum in dialogo De amicitia, Quis clarior in Græcia Themistocle? quis potentior? qui cū imperator bello Persico seruitute Græciam liberasset, proptérque inuidiam in exilium missus esset, ingratæ patriæ iniuriam non tulit, quam ferre debuit. Fecit idē quod viginti annis antè apud nos fecerat Coriolanus. His adiutor contra patriam inuentus est nemo, itaque mortem sibi vterque consciuit. Hæc Cicero. Coriolani vitā pluribus persequitur Plutarchus.

Corioli, oppidum in Latio: & Coriolani, populi Coriolorum incolæ, apud Plinium cap.4. lib.3.

Coritus, oppidū Hetruriæ, sub paruo colle eiusdem nominis positum, conditúmque à Corito rege, vt est author Virgili⁹ li. AEn.7.

Cornelii. Cornelius Cossus Tribun. Mili. in exercitu Volumniū Lartem Veientem regē occidit, secundáque opima spolia Ioui Feretrio retulit. Cossos enim eos qui rugosi sunt, & aspera facie, à similitudine vermium qui in ligno nutriuntur, Festus dicit vocari.

Cornelius Asina, cum fundum emisset, sponsórque pretii ab eo expeteretur, postera die asinam sacculis pecunia plenis in forum adduxit pro spōsore, vnde cognomētū accepit. Author Macrobius.

Cornelius Centimalus, & Sulp. Galba cos s. cũ Annibal mœnibus appropinquaret, occurrentes magna vrbis trepidatione, extra vrbem castra habuere. Plutarchus. Cornelius Merula consul, contra Boios in Galliam missus, duodecim milia hostium cecidit. Author Liuius de bello Macedonico lib. 5. Cornelius Merula superioris nepos flamen Dialis, partium Syllanarum, ingresso vrbem Mario, in Iouis æde, venis succisis, se necãdo mortis contumeliosæ damnationem effugit, sacerdotisque sui sanguine foci vetustissimi maduere. Author Valerius de morte. Cornelius Balbus, genere Gaditanus, Cæsaris familiaris, vt scribit Cicero ad Atticum: Fuit (inquit) apud me Cornelius: hunc dico Balbum Cæsaris familiarẽ &c. Fuit Cornelius à Põpeio Magno ciuitate donatus, deinde accersitus, quòd per legis ignorantiam Pompeius eam donauerit, Cicero defendit, probátque Pompeium legem non ignorasse. Pædianus. Cornelius Nepos Ciceronis tempore, vir disertus, vitas illustrium virorum scripsit, quarum tantum Pomponius Atticus extat. Huic Valerius Catullus Veronensis opus suũ dedicat, vt indicat epigramma, apud Crinitũ. Cornelius Epitadius, L. Cornelii Syllæ Dictatoris libertus, librum quem Sylla de suis rebus gestis imperfectum reliquit, suppleuit. Tranquillus. Cornelius Gallus, ante omnes (inquit Seruius) primus AEgypti præfectus, fuit poeta eximius. Nam & Euphorionem transtulit in Latinum sermonem, & amorum suorũ de Cytheride scripsit libros quatuor. Hic primum in amicis Augusti Cæsaris fuit: postea cum venisset in suspicionẽ quòd contra eũ coniuraret, occisus est. Fuit autem amicus Virgilii, adeò vt quartus Georgicorum à medio vsque ad finem eius laudes teneret: quas postea iubente Augusto in Aristæi fabulam commutauit. Hic Gallus amauit Cytheridem meretricẽ libertã Volumnii. quæ eo spreto, Antonium eũtem ad Gallias est secuta: propter quod dolorẽ Galli nunc videtur cõsolari Virgilius in Bucolicis. Nec nos debet mouere, quòd cũ mutauerit partem quarti Georgicorũ, Eclogam sic reliquit. nam licet consoletur in ea Gallum, tamen altius intuenti vituperatio est. Nam & in Gallo impatientia turpis amoris ostenditur, & apertè hîc Antonius carpitur inimicus Augusti, quem contra Romanũ morẽ, Cytheris est in castra comitata. Hæc Seruius. Cytheridem quam deperibat, mutato nomine, Lycorim vocauit,

Gallus & Hesperiis, & Gallus notus Eois,
Et sua cum Gallo nota Lycoris erit.

Cornelius Seuerus inter poetas Epicos ab antiquis authoribus relatus est. Ingenio fuit magno, & in scribendis versibus facili. Constat eundem fuisse ver-

ſatum in declamationibus,qua in re ingenium ſuum atque eruditionem maxime probauit:quum in eodem officio eſſent alii complures,vt Aſinius Pollio,Pompeius Silo,Porcius Latro,& Aufidius Baſſus.A Fabio Quintiliano ita commẽdatur,vt verſificator quàm poeta melior habitus ſit.Scripſit inter alia multa,opus de bello Siculo,quod ab eo abſolutum non eſt,propter immaturam mortem. Quod opus ſi abſoluere potuiſſet,merito ſibi ſecũdum vendicaſſet, vt idem Quintilianus author eſt. Extat eius carmen illud quo eleganter defleuit Marci Ciceronis interitum. quod etiam ab Anneo Seneca magnopere commendatum eſt,

Oráque magnanimûm ſpirantia penè virorum
In roſtris iacuere ſuis,ſed enim abſtulit omnes,
Tanquam ſola foret,rapti Ciceronis imago,&c.

Cornelia,ſoror Africani,mater Gracchorum, epiſtolas reliquit elegãtiſſime ſcriptas,Cicerone authore in Bruto,Legimus (inquit) epiſtolas Corneliæ matris Gracchorũ: apparet filios non tã in gremio educatos,quàm in ſermone matris.Quintilianus item Corneliæ eloquentiam cõmendat his verbis,Magni intereſt (inquit)quos quiſque audiat quotidie,quibuſcum loquatur à puero,quemadmodum patres,pædagogi,matres loquantur. Eloquentiæ Gacchorum mater Cornelia pro illo tempore plurimum contulit. Hæc Quintilianus. Fuit & Cornelia P.Seſtii vxor,cuius meminit Cicero libro quinto epiſtolarum familiarium,his verbis, Non ſatis (inquit) credidi homini prudenti tam valde eſſe mutatam volũtatem tuam: ſed poſteaquam & Cornelia tua Terentiam conuenit,& ego cum Q. Cornelio locutus ſum, adhibui diligentiam quotieſcũque ſenatus fuit,vt adeſſem.Hæc ille ad P. Seſtium lib.5.epiſt.

Cornificius,iiſdem temporibus in poetica floruit,quibus in ſcribẽda hiſtoria Saluſtius,Lucceius, & Cornelius Nepos in vrbe præſtiterunt.Fuit ingenio eleganti,& lepido,atque in ſcribendis epigrãmatis verſatus eſt.Sororem habuit Cornificiã,vt ſcribit Euſebius, cuius carmen in magno pretio habetur. Fuit & Cornificius Ciceronis paternus amicus & collega, ad quem multæ extant ipſius Ciceronis epiſtolæ lib.12.

Cornutus,Leptites genere(eſt enim Leptis Africæ ciuitas)emicuit Romæ ſub Nerone, interfectus demum ab eo vnà cum Muſonio philoſopho.Multa eius ſcripta,tã in philoſophia, quàm rhetorica ferũtur.Natura magis,quàm ſtudio iuuabatur.Erat ſine libris: humanitate alioqui tãta, vt diſcipulos ex ea cauſa plurimos ad ſe non minus quàm doctrina alliceret. Author Suidas. Fuit & Cornutus, Prætor vrbanus Romæ Ciceronis tẽporibus: de quo ſic

ſcribit lib. epiſtolarum decimo, Placuit nobis (inquit) vt ſtatim ad Cornutum Pr. vrb.literas deferremus: qui quòd C O S S. aberant, Conſulare munus ſuſtinebat more maiorum. Item ad Atticum lib.1,epiſtola nona,Bonis vtimur Tribb.pl. Cornuto verò Pſeudocatone.

Coronæus,ſinus Achaiæ, ſic à Corone eiuſdem regionis oppido dictus,authore Plinio,lib.4.cap.5,Sinus (inquit) Aſinæus ab oppido Aſine,Coronæus à Corone.

Coronæa,Bœotiæ oppidũ,authore Plinio lib.4.cap.7, Iuxta Cephiſum (inquit) amnem, Lamia & Anichia: Medeon, Phligone, Grephis,Coronæa,Chæronia.

Corpilli,populi ſunt Thraciæ,vt ſcribit Plinius lib.4.cap.11, in deſcriptione Thraciæ.

Corſica (inquit Plinius,lib.tertio, ca.6.)inſula in mari Liguſtico, quam Græci Cyrnon appellauere, ſed Tuſco propior, ſeptentrione in Meridiem proiecta,&c.Notiſſima eſt vino præſtante,durante etiamnũ nomine, inter quam, & magis meridianam Sardiniam, anguſtum mare interfluit. De qua ſic Ptolemæus cap.2.lib.3, Cingitur ab occaſu quidẽ & ſeptentrionibus mari Liguſtico:ab ortu autem Tyrrheno mari,à meridie pelago quod inter ipſam & Sardiniam interiacet.Scribit Strabo Corſicam malignè coli,aſperam,& plurimis in partibus inacceſſibilem,adeo,vt qui eius montes habitant,ex latrociniis vitam degant, immanitatéque feras ipſas ſuperent.Hinc factum eſſe dicit,vt cum Romani imperatores in eos irruant,magnum ſeruorum gregem captum aduehant. Corſicæ forma apud Ptolemæum 6 Europæ tabula depingitur. Athenæus tradit Corſicæ incolas ideo lõgæuos eſſe,quòd mellis cibo quo plurimum abũdant,vtãtur aſſiduè. Quod alicui mirum videri poteſt, cum eius inſulæ mel, ob taxi copiam, venenatum ſit, vt eſt teſtis Ouidius Elegiarũ primo, Molle ſub infami Corſica mittit apis, Præterea Seruius grãmaticus Corſicana mella eſſe amara ſcribit, explicans illud Virgilii Georgic.lib. 4, -hinc cæli tempore certo Dulcia mella premes. Dulcia (inquit) nõ eſt ſuperfluum epitheton. Nam ideo ait D V L C I A,quia etiam ſunt amara, vt Corſicana.Hæc ille.

Cortina, Cretæ inſulæ vrbs,vt ſcribit Pomponius Mela lib.2. & Plinius lib.4.cap.12. à qua Cortinia tela Silius dixit lib.2,

-celſis Cortinia muris
Tela ſonante fugat neruo. -Item,
Eois quanuis certet Cortina ſagittis. Et Cortiniam veſtem pro venatoria Claudianus libro ſecundo de raptu Proſerpinæ poſuit,

- vnde Diana
Crispatur gemino vestis Cortinia cinctu.

Coruncanus, primus de plebe Pontifex Max. factus, teste Liuio. Eius meminit Cicero in oratione pro domo sua ad pontifices, & pe ritissimum pontificem fuisse dicit. Is cum legatus ad Teucam Illyricorum reginam missus esset, in reditu contra ius gentium interfectus est. Fuit & alter Coruncanus, qui aduersus Amilcarem Barcham in Siciliam missus est, cuius meminit Polybius.

Corycus, fuit Ciliciæ vrbs, & eiusdem nominis portus: ac similiter mons optimum crocum proferens, in quo antrum illud famosum à poetis & historicis esse dicitur.

Cos, insula Cariæ attributa: vt Rhodos, Lyciæ. Cos alia est à Chio, & à Cea. Con, Ptolemæus Coä nominat, alii quoque Coon, & Coum: à qua Cous Apelles cognominatus, & Hippocrates Cous, qui medicinā Clinicā reuocauit densissima nocte latentē, vt in libro 29, scribit Plinius. Fuit in ea AEsculapii templum augustissimū. De Iunonis æde nemo ignorat, adeò clara, vt de eius insignibus librum scripserit Theodôrus, authore Vitruuio lib. 7. Est inibi pectunculus piscis insigniter sapidus, Varroni celebratus, vt Gellius testatur. Est & Bombyx mirabili fœtu operosa, vnde & Bōbycinæ vestes Coæ, Plinio lib. vndecimo: & libro quinto Aristoteli de natura animalium, qui eam Con appellat, velut Plinius Coon.

Cossa, Vmbriæ oppidum, vt scribit Plinius cap. 5. lib. 3. Orbitellum hodie.

Cosyra, vel Cosura, insula est maris mediterranei prope Africā, cui vicina est Gaulos, & Melita. Author Pōponius lib. 2, & Plinius cap. 7. lib. 5.

Cotiæ, Alpes, Graiæ & Pœninæ dictæ, per quas & Hercules, & Annibal transmisere, in quibus duodecim fuisse ciuitates, Plinius testatur, regnum quondā Cotii regis, qui perdomitis Gallis eas cōstruxit, militibus viatoribus accommodas. Is Cæsaris Augusti amicissimus fuit. Author Marcellinus.

Cotiso, Dacorum rex fuit, cuius exercitus cum Pannonias inuasisset, à Corn. Lentulo duce Augusti Cæsaris victus est. Author Volaterranus.

Cotta, orator, qui cum Sulpitio æquali differit apud Ciceronem in dialogis De oratore, Legem tulit vt liceret Tribunis ple. alios accipere magistratus, quod lege Syllæ iis erat ademptū. Huius passim meminit Cicero in libris De oratore, & in Bruto, vbi eum propter singularem dicendi facultatem ac dexteritatem multis nominibus commendat, cum multis in locis, tū præsertim iis verbis, Inue-

niebat(inquit)acute Cotta,dicebat purè ac solutè:& vt ad infirmitatem laterum perscienter contentionem omnẽ remiserat, sic ad virium imbecillitatem,dicendi accommodabat genus. Nihil erat in eius oratione nisi syncerum,nihil nisi siccum, atque sanum: illúdque maximum, quod cum contentione orationis flectere animos iudicum vix posset,nec omnino eo genere diceret, tractando tamẽ impellebat vt idem facerent à se commoti,quod à Sulpitio concitati.Hæc ille. Fuerunt eodem tempore & alii Cottæ duo: Vnus cõtra Mithridatem infœliciter pugnauit, Syllam Cæsari conciliauit. Alter Legatus Cæsaris in Gallia,insidiis circumuentus ab Ambiorigis ducis exercitu interficitur.Pædianus.

Cotys,Thracum rex,qui vt est scriptum apud Cæsarem in commentariis,Pompeianas partes fouit. Huius meminit Plutarchus in Apophthegmatis.Cotys (inquit) ei qui sibi Pardalim largitus erat, leonem contrà dono dedit. Sed cum natura esset iracundior, & asper eorum qui in ministeriis deliquissent,castigator,vasa fictilia,tenuia quidem & fragilia, sed cælaturis quibusdam & sculpturis politè elegantérque elaborata, sibi ab hospite allata,cũ hospiti ipsi dona dedisset,simul omnia confregit:ne in eos qui illa fregissent, asperius animaduerteret.Hæc Plutarchus.

C R

Cragus,mons Lyciæ,vt scribit Pomponius lib.primo,& Plinius cap.27. lib. 5. Huius meminit Ouidius Metamorph.lib.9, Iam Cragon,& Lymiræ Xanthíque reliquerat vndas.

Craneus, primus Macedonum rex: cuius successores vsque ad Alexandrum,viri XXXVII,annis fere quingentis,vt scribit Volaterranus lib.decimotertio.

Crantor,Solensis Xenocratis auditor.Scripsit commentarios & nonnulla poemata:admirabatur præ cæteris Homerũ & Euripidẽ: decessit intercutis morbo.Author Diogenes Laertius. Crantoris meminit & Horatius,

Troiani belli scriptorem,candide Lolli
Dum tu declamas Romæ,Præneste relegi:
Qui quid sit pulchrum,quid turpe,quid vtile,quid non,
Planius ac melius Chrysippo & Crantore dicit.

Crassus P.Licinius,ante ætatem Pontifex Max.factus:quod nũquam antea contigit. Consul est profectus cõtra Aristonicum,Eumenis filium. In quo prælio, profligato exercitu ipse ne in manus hostium veniret, baculo Barbarum quendam in acie oculo cõuerberato, in sui necem prouocauit.

L.Crassus orator, superioris filius, qui cum Antonio à Cicerone

introducitur in libris de oratore:in eo mirificus quidam pudor fuit, qui tamen non modo non obesset eius orationi, sed etiā probitatis commendatione prodesset. Accusauit C. Carbonem eloquētissimū hominem admodum adolescens:summam ingenii non laudē modo, sed etiam admirationem est consecutus. Defendit postea Liciniam virginem, cum annos XXVII natus esset. In ea ipsa causa fuit eloquentissimus, orationisque eius scriptas quasdam partes reliquit. Voluit adolescens in colonia Narbonensi causæ popularis aliquid attingere, eámque coloniam, vt fecit ipse, deducere. Hæc ex libris de oratore, & Bruto Ciceronis, in quo libro est elegantissima ipsius Crassi cum Antonio & Scæuola cōparatio. Deploratur multis verbis Crassi mors à Cicerone in exordio libri tertii de oratore.

P. Crassus, oratoris frater, iuris peritissimus, fuit in dominatione L. Cinnæ Marianarum partium:ne incideret in manus inimicorū, seipsum interemit. Huius filius M. Crassus, Romanorū ditissimus, cum Pompeio & Cæsare Triumuiratum iniit. Quorum planè authoritate resp. aliquot annos regebatur. Ad bellum missus gladiatorum, qui duce Spartaco in Campania insurrexerant: Vatiniúmque, Gellium, ac Lentulum Romanos imperatores fugauerāt, XII milibus hostiū vnà cū eorū duce cæsis, apud Rhegiū iuxta Leucadis paludē victoria potitur. ex quo vrbē ouans ingressus est. Postremo cum ei Syria sorte obueniret, profectus ad bellū Parthicum, ibi filiū Publiū amisit. Ipse demū infœliciter rē gerens, à Surina regis præfecto captus, atque interfectus est. Solebat autē dicere, Neminē esse diuitē, nisi qui exercitū alere posset suis fructibus. Author Cicero in Paradoxis. Alter Crassi filius, Cæsaris legatus fuit in bello Gallico:in Cæsarianis tandē partibus adolescens occubuit. fuit autē discipulus Ciceronis. De quo hæc in oratore, Erat enim Crassus (inquit) cū institutus optimè, tum etiā perfecte planéque eruditus: grauis, & sine segnitie verecundus esse videbatur. Sed hūc quoque absorbuit æstus quidam insolitæ adolescētibus gloriæ. Qui quia nauerat miles operā imperatori, imperatorem se statim esse cupiebat. Hæc Cicero.

Crassitius, genere Surrentinus, ordinis libertini, cognomine Pasides, Romæ ludū Grammaticæ aperuit:docuítque inter alios Iulianum Antonium, Antonii Triumuiri filium. Author Tranquillus.

Craterus, Macedo è comitibus Alexādri, qui etiam res eius gestas scripsit, cuius meminit in Aristide Plutarchus.

Crates, Thebanus, philosophus, Cynicus, Diogenis discipulus, qui, vt Suidas, itémque Diogenes sunt authores, in pecuniā, omnē substantiā redigens, apud trapezitam deposuit hac lege, vt si filii phi-

losophi essent,eam indigentibus ciuibus distribueret, nihilo philosophos indigere existimans.Si autem idiotæ,eis redderet: vt vacuis virtute,saltem opes opitularētur.Philostratus autem in vita Apollonii, & Diocles substantiam aiunt in mare proiecisse, vti liberius philosopharetur. Emicuit autē Demetrii Poliorcetæ temporibus, ad quem Thebas obsidētem missus legatus,sua authoritate, ab obsidione patriæ remouit.Author Plutarchus. Item Crates,Atheniensis,poeta comicus antiquæ Comœdiæ, auditor Polemonis philosophi, vt tradit Suidas. Crates grammaticus, sub Ptolemæo Philometore æqualis Aristophanis grammatici, cognominabatur Criticus,siue Homericus. scripsit in Iliada &Odysseā, libros IX cōmentariorum. Author Suidas. Hic,vt ait Tranquillus, studiū grāmaticæ primùm Romam intulit:missus enim ad Senatum ab Attalo rege sub ipsam Ennii mortē,plurimas acroases fecit, assiduéque per omne tempus legationis disseruit: nostris quoque exemplum fuit admirandum.Hæc ille.

Cratinus, Atheniensis comicus antiquæ Comœdiæ,vir voluptati deditissimus,puerorúmque amator,docuit fabulas XXI,vicit IX. Author Suidas. Huius etiam meminit Horatius in Epist.

Prisco si credis Mecœnas docte Cratino:
Nulla placere diu,nec viuere carmina possunt
Quæ scribuntur aquæ potoribus.

Cratippus, Mitylenæus, quē Athenis docentē audiuit Ciceronis filius:vt est in prooemio librorum De officiis. Hic Pompeium post Pharsalicam pugnam fugientem apud Mitylenen,occurrens vltrò solatus est verbis philosophicis, ad spémque hortatus, cum quædā de prouidentia disseruisset,résque Romanas tādem labi esse necesse affirmaret.Plutarchus in Pompeio.

Cratylus, Atheniensis philosophus, ex cuius nomine dialogū de significatione nominum,Cratylum inscripsit.

Cremona,Italiæ ciuitas:de qua Strabo lib.5.sic scribit, Cis Padū verò, circúmque Padum,celeberrimæ sunt ciuitates, Placentia & Cremona,media in regione propinquissimæ:inter has,& Ariminū sunt Parma,Mutina,Bononia.Hactenus Strabo.

Creon,Corinthiorum rex,prædonis Sisyphi filius,Creusam filiā Iasoni, Medea repulsa, in matrimonium dedit. De quo Tragœdia est apud Senecam. Creon, alter rex Thebanorum pater Iocastæ vxoris OEdipi,post Polynicen & Eteoclē interfectos, sumpsit imperium,filiámque suam Megaram Herculi iunxit, vt est apud Senecam in Hercule furente. Creon item,Lesbi insulæ mons est,vt scribit Plinius lib.5.cap.32,Montes habet (inquit)Lepethymū,Or-

dynum,Maciſtum,Creonem,Olympum.

Creontiades, Herculis filius,ex Megara filia Creontis Thebani, vt eſt author Homerus in Odyſſea.

Creophilus Samius,quem aliquãdo tradunt ſuſcepto in hoſpitiũ Homero, accepiſſe ab eo donũ,inſcriptionem poematis, quod OEchaliæ captiuitatem vocant.Sed Callimachus per epigrãma quoddam contrarium oſtendit, quòd quanquam Creophilus opus com poſuerit, Homeri tamen dicatur propter dictum hoſpitium. Quidam hunc Homeri magiſtrum tradunt: quidam non hunc,ſed Ariſteum Proconneſium.Author Strabo lib.14.

Crepſa,Ptolemæo Liburniæ vrbs,Crexa dicta Plinio.

Creſſa,Cariæ portus eſt,contra Rhodum inſulam, vt ſcribit Plinius cap.28.lib.5.

Çreſeis, nymphæ marinæ nomen, à fontibus dictæ. κρήνη enim fons dicitur.Perottus.

Creta (inquit Strabo libro decimo) inſula eſt inter Græciam & Cyreneam,centũ vrbium clara fama.proinde ab Homero dicitur ἑκατόμπολις, à centum quas ſuſtinet,vrbibus. Virgil.lib.AEneid.3,

Creta Iouis magni medio iacet inſula ponto,
Mons Idæus vbi,& gentis cunabula noſtræ,
Centum vrbes habitant magnas,&c. Hodie Candia ditionis Venetorum,de qua diligẽtiſſimè Strabo lib.10,& Diodôrus lib.ſexto. Plinius cap. 12. lib.4. Cretam à Creta nympha Heſperidis filia dictam eſſe ſcribit. Huius inſulæ ſitum commendat Ariſtoteles Politicorum ſecundo.

Cretheus,filius fuit AEoli,Iouis filii,qui ex Tyro Salmonei fratris filia AEſonem genuit,Alcimedontem & Amythaonem, vt eſt apud Homerum lib.Odyſſeæ 11.

Crethon & Orſilochus,filii fuêre Dioclis.Hi vnà cũ reliquis Græcorum principibus ad Troiam profecti ſunt ex Pheris ciuitate.Author Homerus lib.Iliad.5.

Creuſa,Creontis Corinthiorum regis filia,quã Iaſon,repudiata Medea, vxorem duxit. Ei indignata Medea, ſcriniola quædam dono miſit, quibus apertis flãma protinus exiit,quæ Creuſam cũ tota regia combuſſit.Propertius lib.2,

Aſpice quid donis Eryphila inuenit amaris,
Arſerit & quantis nupta Creuſa malis. Fuit & Creuſa,AEneæ vxor, apud Virgilium.

Creuſis,oppidum partim Bœotiæ & Locrenſium,partim AEtolorum eſt,vt notat Vadianus apud Pomponium libro ſecundo.

Crimiſſa,nomen vrbis,Straboni lib.6.

Crispus Salustius, de quo Martialis, Crispus Romanā primus in historia, Thucydidi, ex Græcis opponitur à Quintiliano elegantia dicendi, Attica breuitate, sententiarū crebritate. Taxatur autē à Pollione, vt nimis antiquarius, & ex Catonis originibus verba mutuatus: Trogo autē, quod orationibus nimis lōgis vtatur, sicuti & Thucydides. Ciceronis acerrim' inimicus fuit, vt ex vtriusque inuectiuis orationibus constat. Eius de auaritia sententiā laudat Gellius cap.1.lib.3, Auaritia (inquit) pecuniæ studium habet: quam nemo sapiēs cōcupiuit. ea quasi venenis malis imbuta, corpus, animúmq; virilem effœminat: semper infinita & insatiabilis est: neque copiā, neque inopia minuitur. Idē Gellius cap.18.lib.17, de Crispo Salustio sic scribit, Marcus Varro (inquit) in literis, atque vita, fide homo multa, & grauis, in libro quē inscripsit Pius, aut De pace, Crispū Salustiū scriptorē seriæ illius, & seueræ orationis, in cuius historia notiones Cēsorias fieri, atque exerceri videmus, in adulterio deprehensum ab Annio Milone loris bene cæsum dicit: & cū dedisset pecuniā, dimissum. Hæc Gellius. Fuit & Crispus, Constantini Cæsaris filius à patre interfectus. Crispus item Vibius, ore compositus, & iucundus: priuatis tamen causis, quàm publicis melior, vt ait Quintilianus.

Crissa, nomen oppidi quod Crissus Phoci filius condidit. Hinc Crissæus sinus. Strabo lib.9.

Critias, vnus è triginta tyrannis Atheniensibus à Lacedæmoniis impositis. Cuius mentionē facit Cicero lib.2. de oratore, Consecuti sunt hos (inquit) Critias, Theramenes, Lysias: multa Lysiæ scripta sunt, nōnulla Critiæ de Theramene audiuimus. Rursum idē lib.3, Quid Critias? quid Alcibiades? ciuitatib9 suis q̄dē nō boni, sed certè docti atque eloquētes, nōne Socraticis erāt disputationib9 eruditi?

Crito Atheniensis, Socratis familiaris, quē & opibus iuuit, & cū quo vsque ad extremum vitæ est philosophatus. Crito item Pieriota (Pieria autem, vrbs est Macedoniæ) historicus fuit, scripsitque res Persicas, Siculas, Macedonicas. Fuit præterea alius, Naxius genere, historicus & ipse. Author Suidas.

Critobulus fuit medicus, de quo Plinius lib.7.cap.37, Magna & Critobulo fama est, extracta Philippi regis oculo sagitta, & citra deformitatem oris curata orbitate luminis.

Critolaus Atheniensis, nobilis Peripateticus Romā ab Atheniensibus missus legatus cum Carneade & Diogene Stoico, vt scribit Cicero lib.2. de Oratore. De huius libra scribit idē Cicero Tuscul. quæst. libro 5, Quo loco, inquit, quæro quam vim habeat libra illa Critolai, qui quum in alteram lancem animi bona imponat, in

alteram corporis & externa,tãtum propendere illam boni lancem putet,vt terram & maria deprimat. Alter Critolaus,Achæorum dux, qui Corinthum euertit, vt author est Cicero lib. 3 de natura deorum,Critolaus (inquam) euertit Corinthum,Carthaginē Hasdrubal.Hi duo illos oculos oræ maritimæ effoderunt. Is sororē interfecit, quòd sibi è victoria redeunti non gratularetur, quū tamen cæteri omnes ei applauderent, vt est author Demaratus apud Plutarchū in Parallelis. Postremò à Q.Cæcilio Metello victus apud Thermopylas veneno sibi mortem consciuit. Author Liuius.

χριοῦ μέτωπον, Criumetopon, id est arietis frons, Cretæ insulæ promótorium est ad occidentem versus Cyrenas, vt scribit Rufus ex Dionysio,

-hic procul ingens
Inclinat rupes sese,obuia fluctibus altis. Et alibi,
-vt ferus ora
Est aries,vltróque minax petit obuia fronte. Vide Pomponium Melam lib.2,in descriptione Cretæ insulæ:& Plinium cap.12.lib.4.

Crocilus,nomen pastoris,apud Theocritum.

Crocodilon,Phœnices oppidum, non procul à Carmelo promótorio.Author Plinius cap.29.lib.5.

Crocodilus,mons est Ciliciæ regionis apud Pliniū cap.27.lib.5.

Crocyllus, vir Atheniēsis,de quo nōnūquā Plutarchus meminit.

Crœsus,Lydorum rex Aliatis filius, primus Græcos partim tributis impositis subegit,partim socios atque amicos sibi adsciuit:tātúmque imperio & opibus creuit, vt se fœlicissimū dicere non dubitaret. Paulo post debellatus à Cyro cum pyræ cremandus imponeretur, magna voce ter, ô Solon, exclamauit. Admiratus igitur Cyrus, misit qui rogarent, quisnam hominū,aut deorum is esset, quem in dubiis casibus solum imploraret. Cuius rei cum rationē reddidisset Crœsus,non solum dimissus est,sed summo etiā in honore quoad vixit,apud Cyrum habitus.Ex quo visus est Solon eadem oratione alterum seruasse è regibus, cautiorem & prudentiorem alterum reddidisse.Plutarchus in Solone.

Cromna,Paphlagoniæ oppidum,de quo Flaccus lib.5,
Mox etiam Cromnam,& iugo pallente Cytoron.

Cronciades, vnus ex præstantioribus Herculis filiis ex Megara Creantis Thebanorum regis filia.Perottus.

Croto,ciuitas Italiæ in sinu Tarentino,Milone athleta memorabilis, qui Pythagoræ discipul9 fuit.Peritissima autē rei bellicæ fuit: nec paruam operam exercendis athletis dedit.In vno enim Olympico certamine victores omnes Croteniatæ fuerunt. Iure itaque di

ci visum est, Qui Crotoniatarũ postremus est, is reliquorum Græcorum primus est. Vetus quoque prouerbium alterum, Crotone salubrius. Quod inde ortum esse aiunt: quia locus ipse ad salubritatẽ, & bonas corporis habitudines, propter athletarum multitudinem plurimũ conferat. Plurimos enim Olympionicas habuit. Ad eius gloriã accedit ingẽs Pythagoreorũ numer⁹. Hæc ex Strabonis li.6.

Crunos, Thraciæ portus. Author Põponius lib.2. Dionysiopolis, inquit Plinius cap. 11.li.4, antè Crunos. Portus autẽ à salsitibus aquis nomẽ habet, qui Græcè Cruni appellãtur. Author Hermola⁹.

C T

Cteatus, Peloponnesius fuit, pater Amphimachi, vnus è Græcorum ducibus, qui venerunt ad Troiam.

Ctesias, vel Tisias orator Siculus, cui⁹, & Coracis meminit Cic.

Ctesiphon Atheniensis decreto persuasit Atheniẽsibus, coronari oportere Demosthenẽ aurea corona in theatro, probitatis & virtutis omnis generis gratia. Ob id ab AEschine Demosthenis inimico, tã quã perniciosi decreti author accusatus, defenditur à Demosthene præclara illa, atque omniũ optima oratione quæ περὶ στεφάνου, id est de corona inscribitur. Vide Ciceronem in libello De optimo genere oratorũ. Fuit item Ctesiphon, architectus clarus, ædis Dianæ apud Ephesios extructa. Plinius, Operi (inquit) præfuit Ctesiphon architectus. Est & Ctesiphon, Parthorum vicus, seu oppidum, vt scribit Plinius cap.26.lib.6.

C V

Cuma in Locrensi agro, qui est Ioniæ Asiæ minoris, à qua Cumæa Sibylla, quam aliqui à vicinitate loci Erithream appellarunt. Hæc profecta in Italiã multa de Romanis vaticinata est. Calepin⁹.

Cumæ, Cumarum, Lucaniæ ciuitas in Italia, quam Sibyllæ illustrat diuinitas: cuius libris pro oraculo, Romana vsa est prouidẽtia. Vnde & Silius,

Linternum, & quondam fatorum conscia Cumæ. De Cumis sic scribit Seruius, enarrans carmen illud Virgilii lib.3. AEneid.

Huc vbi delatus Cumæam accesseris vrbem, &c. Euboea (inquit) insula est, de cuius ciuitate Calchide profecti sunt ad nouas sedes quærendas: & haud longè à Baiis (qui locus à socio Vlyssis Baio illic sepulto nomen accepit) inuenerunt vacuum litus, vbi visa muliere grauida, ciuitatẽ condiderũt: quæ res fœcundã ostendebat fore rempu. & eam Cumas vocauerunt: siue ab ἐγκύω, id est prægnante, siue ἀπὸ τῶν κυμάτων, id est ab vndis. nam κύματα dicuntur. υ autem Latini in v vertunt, vt Byrria, Burria. Hæc ille.

Cuneus ager, Lusitaniæ promontoriũ est. Strabo lib.3, Contiguũ

huic (Iunonis promontorio) agrum Cuneũ Latini vocitant, σφῆνα, cuneum volentes significare. Græcis σφὴν, cuneus, quo ligna finduntur, dicitur: Caput hodie sancti Vincentii nominant. Idipsum Ptolemæus sacrũ esse credidit, vt facile in locis nõ adeò distantibus error cõmittitur. Distinguit Pomponius lib.3, Cuneus (inquit) ager dicitur: sequens, Sacrum vocant, Magnũ quod vlterius est. In Cuneo sunt Myrtilis, Balsa, Ossonoba: in Sacro Lacobriga & portus Hannibalis: in Magno, Ebora. Hæc Pomponius.

Cuniculariæ, insulæ paruæ sunt, Corsicæ insulæ vicinæ, vt scribit Plinius cap.6.lib.3.

Cunina Dea, quam prisci coluerunt, quæ cunis infantiũ præsidere putabatur. Calepinus.

Cupido, vt ait Tullius in lib. de nat. deorũ, Martis & Veneris fuit filius, quẽ veteres mode rnique ingẽtis potẽtiæ deũ volũt. Bocatius.

Cupra, Italiæ oppidũ in litore Apulo. Cupra autẽ dicta est, haud vana cõiectura, à Cypræ tẽplo, illic à Tuscis, qui Cypram Iunonem dicunt, extructo, vt Strabo scribit: vt Cupra, siue Cypra, vna appellatione cõtineatur. Nam vocabula quæ Græci per y pronuntiant, nos per u literã proferre possumus, vt Larumna, Sulla, &c. pro Larymna, Sylla, authore Hermolao.

Cures, plur. num. Sabinorum oppidum, cui imperabat T. Tatius; cuius ciues, Quirites dicebantur.

Curetes, quidã Cretæ populi, de quibus Ouidius lib.4. Metam. Largóque satos Curetas ab imbri. Alii fuerũt sacerdotes Cybeles, qui & Corybantes dicuntur, qui ad sacra Cybelis admissi sunt casti & puri, illicque saltant armati. Perottus.

Curifugia, nomen villæ Nicolai Perotti nuper inditum, quam in agro Sentinati habebat inter duo fluenta, Sentinum & Neuolam, vbi est saluberrima cæli temperies. Perottus.

Curio Q. pater eius qui Tribunus pleb. teste Valerio, magnus orator: is cum Cæsaris inimicus esset, appellauit eũ in quadã oratione, omnium mulierum virum, & mulierem omnium virorum, vt Trãquillus in Cæsare refert. C. Curio filius, Ttribunus pl. Cæsarianas partes sequutus est, vir luxu & audacia singulari: sexcẽties enim HS debebat æris alieni, vt Valerius de luxuria scribit. Ei Curioni gratulatur Cicero Epistolarũ lib. secũdo, Sera (inquit) gratulatio reprehendi nõ solet, præsertim si nulla negligẽtia prætermissa est. Longè enim absum, audio sero. Is Curio vt se ære alieno liberaret, atque emergeret, Cæsarem ad bellum ciuile impellebat, vt scribit Cicero in Epistolis ád Q. Tironem, Et ipse Cæsar (inquit) amicus noster, minaces ad senatũ, & acerbas literas miserat: & erat

adhuc impudens, qui exercitum & prouinciam inuito Senatu teneret,& Curio meus illum incitabat. Huc etiã accedit quod scribit Lucanus,

Tolle moras,semper nocuit differre paratis:

Curius M.primùm de Samnitibus triumphauit, quos vsque ad mare superum pacauit.Reuersus in concione ait,Tantum agri cepi,vt solitudo fuerit futura,nisi tantum hominum cepissem: Tantum hominum porrò cepi, vt fame essent perituri, nisi tantũ agri cepissem.Deinde de Sabinis triumphauit. Postremò de Lucanis ouans vrbem intrauit. Pyrrhum regem ex Italia pepulit. Quaterna agri iugera viritim populo diuisit: sibíque tantum cõstituit, dicens, neminem esse debere,cui non tantum sufficeret.Cæcilius. Huius meminit Iuuenalis,

-Curius paruo quæ legerat horto,

Ipse focis breuibus ponebat olus cula,&c. Rursum,

Qui Curios simulant,& Bacchanalia viuũt. Fuit & Curius,Alexandrinus presbyter sub Diocletiano,tanta doctrinæ fama, vt Origenes iunior appellaretur, vt scribit Hieronymus.

Curtius M.adolescens,eques Romanus abrupto per mediũ forũ ingenti specu, responsóque accepto nobilem ex ciuibus aliquem id requirere,sese sponte in hiantem terram coniecit eques,suósque ex calamitate saluos reddidit. Curtius deinde lacus est appellatus.Author Aristides,apud Plutarchum in Parallelis.Et Liuius lib.6. Q. Curtius,nobilis historicus, de rebus gestis Alexandri magni scripsit historiam.

C Y

Cyane,virgo Syracusana, violatã ab ebrio patre pudicitiã ægrè ferens, apprehensum capillis stupratorem ad aram traxit, mactauítque:ac se super eum necandam iniecit,ad sedandam pestem,qua propter facinus laborabant.Ita factum esse Dositheus scribit,tertio rerum Sicularum.Author Plutarchus in Parallelis.

Cyaneæ (inquit Pomponius lib.2.) contra Thracium Bosphorũ, insulæ duæ paruæ,paruóque distantes spatio, & aliquando creditæ dictǽque concurrere.De his scribit Plinius cap.13.lib.4. Eædem ab aliis Symplegades appellatæ,traditǽque fabulis inter se concurrisse: quoniam paruo discretæ interuallo,ex aduerso intrãtibus geminæ cernebãtur,paulúmque deflexa acie coeuntium speciem præbebãt. Ouid.lib.vltimo Metamorph.

-timuit concursibus Argo

Vndarum sparsas Symplegadas elisarum:

Quæ nunc immotæ perstant, ventísque resistunt. Eædem Pla-

netæ dictæ, id est errantes Plinio alibi. Valerius Flaccus lib. 4,

Hic iter ad Ponti caput, errantésque per altum
Cyaneas, furor his medio concurrere ponto:
Necdum vllas videre rates, sua comminus actæ
Saxa petunt, cautésque suas cum vincula mundi
Ima labant, tremere ecce solum, tremere ecce repente
Tecta vides: illæ redeunt, illæ æquore certant.

Cyanippus, natione Syracusanus, soli Baccho sacra facere neglexit. Iratus deus ebrietatem incussit, quæ tanta fuit, vt occurrentem in tenebris filiam Cyanem, quanquam reluctantē, violarit. Ea verò annulum surripiens, nutrici commendauit, vt violatoris esset indicium. Postmodum cū pestilentia vrbem inuasisset, à Pythio redditum est oraculū, vt impietatis author diis liberatoribus immolaretur. Ignorantibus cunctis quid portenderet oraculum, cōscia rerum Cyane tractum capillis patrem mactauit, vt paulo antè scripsimus. Author Plutarchus in Parallelis.

Cyathus, fluminis est ad Arsinoem in AEtolia nomen, apud Polybium, vt notat Cælius Antiquarum lectionum lib. 15.

Cybale, ancilla fuit pauperis cuiusdam Symili, cuius paupertatem describit Virgilius in Moreto,

Eruit interea Cybale quoque sedula panem.

Cybele, vxor Saturni, sic dicta, authore Seruio, ἀπὸ τοῦ κυβιστᾶν τὴν κεφαλὴν, quòd sēper Galli per furorem, motu capitis comam rotātes, vlulatu futura prænuntiabant. Lucanus, -crinémque rotantes Sanguinei populis vlularunt tristia Galli. Alii à Cybelo, Phrygiæ monte, deam dici volunt, cuius meminit Virgilius lib. 3. AEneid.

Hinc mater cultrix Cybeli, Corybantiáque æra,
Idæúmque nemus, &c.

Scripsit Martianus Capella, Cubum Cybeleio numini dicatum, indéque ἀπὸ τοῦ κύβου, deam ipsam appellationem duxisse. Cybelle porrò & Cybele scribitur. Nam Cybelle, bacchius est, inquit Seruius: Cybele, anapæstus.

Cyclades, insulæ Plinio, sic dictæ quòd circa Delon, earum clarissimam, in orbem sitæ sint. Accedit & Strabo. vt mirari liceat qua causa motus Seruius Cycladas scripserit dictas esse, nō quòd in circuitu sint, sed potius quòd longo ordine eas circuire necesse sit, vel propter promontoria, vel quia naturale est vt concitatiora sint maria vicinitate terrarum, quas constat anhelitum quendā ex se emittere. Aduertendum obiter, morē esse veteribus authoribus, vt quæ sint Sporades, Cycladas etiam vocent, contráque, Hermolao teste. Cycladarum meminit Plinius, earúmque nomina persequitur cap. 12. lib. 4. Et item Pomponius lib. 2. Varro lib. 10.

Cyclops, vide in dictione POLYPHEMVS.

Cyclopes, vt ait Theophrastus Phoenices, fabricã ærariam inuenisse dicuntur. Proinde Poëtis ministri Vulcani in Sicilia vnoculi dicti, Neptuni filii ex Amphitrite. Dicuntur Ioui conficere fulmina apud Liparam, quæ est vna ex AEoliis insulis. Omnium præcipui fuerũt Brõtes, Steropes, Pyragmon. De quib9 Virg. lib. 8. AEneid.

Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro,
Brõtésq;, Steropésq;, & nudus mẽbra Pyragmon. Ouid. lib. 4. Fast.
Hinc mare Trinacrium candens subtingere ferrum
Brontes & Steropes, Agmonidésque solent. Claudianus de tertio consulatu Honorii,

-vobis iam Mulciber arma
Præparat, & Sicula Cyclops incude laborat,
Brontes innumeris exasperat ægida signis,
Festinat Steropes, nectit thoraca Pyragmon,
Ignifluísque gemit Liparæ fumosa cauernis.

Cycnus, Ligurum dux fuit, amator Phaetontis: qui cum eum fleret extinctum (inquit Seruius) in auem sui nominis versus est: cuius filium Cupauonem Virgilius libro 10, dicit habere cycni pẽnas in galea, ad formæ paternæ insigne mõstrandũ. Virg. li. 10. AEneid.

Non ego te Ligurum ductor, fortissime bello
Transierim Cycne, & paucis comitate Cupauo:
Cuius olorinæ surgunt de vertice pennæ,
Crimen amor vestrum, formǽque insigne paternæ.
Nanque ferunt luctu Cycnum Phaethontis amati,
Populeas inter frondes, vmbrámque sororum
Dum canit, & mœstum musa solatur amorem:
Canentem molli pluma duxisse senectam;
Linquentem terras, & sydera voce sequentem.

Cyda, propriũ viri Cretensis, de quo sic Cicero Philippica 5. scribit, Antesignanos (inquit) & manipulares & alaudas iudices se cõstituisse dicebat. (de Antonio intelligit) at ille legit aleatores, legit exules, legit Græcos. O consessum iudicum præclarum! ô dignitatẽ consilii admirandam! pauet animus apud consilium illud pro reo dicere. Cydam Cretensem, portentum insulæ, hominem audacissimum & perditissimum. sed fac ita non esse. num Latinè scit? num ex iudicũ genere & forma? nũ leges nostras morésve nouit? num deniq; homines? est enim vobis Creta notior quã Roma Cydæ. Cic.

Cydias, pictor, Argonautas pinxit, quam tabulam CXLIIII. talentis Hortensius orator mercatus est, eique ædem in Tusculano suo fecit: emicuit Olympiade CXIIII. Plinius.

Cydippe, puella ab Acontio adamata. Ouidius,

Littera Cydippen pomo perlata fefellit:
Insciáque est verbis capta puella suis.

Cydnus, Ciliciæ fluuius, non spatio aquarum, sed liquore memorabilis:quippe leni tractu è fontibus labens,puro solo excipitur, nec torrentes incurrunt. Huius meminit libro vndecimo Iustinus. Tibullus libro primo,

At te Cydne canam,tacitis qui leniter vndis
Cæruleus placidis per vada serpis aquis. Solinus scribit amnē à candore Syrorum lingua nomen sortitum. Vitruuius lib.8.cap. 3,Cydni aquas podagra laborātibus apprime salubres esse,cruribus in eis mersis:de cuius rei experientia CassiiParmensis poetæ,ad M. Antonium epistola extitit,vt libro 31, adnotauit Plin. Constat Apollonium aliquando per epistolam Tarsenses sugillasse,quòd iuxta Cydni aquas otiantes, tanquam fluuiatiles aues,sederent,quietæ aquæ pulchritudine quasi ebrii facti sint, vt Philostratus scribit lib. de eius vita primo.

Cydon,Cretæ insulæ vrbs,à qua Cydonius dicitur.Ouidus libro Metamorph.2, Cydonio fundebat spicula cornu. Est & Cydon, viri proprium apud Virgil.10.AEneid.Vide Seruium.

Cydonia,insula est ante Lesbon,dicente Plinio lib. 2. cap.103, In Cydonia insula (inquit)ante Lesbon fons calidus,vere tantū fluit.

Cyleno,filia Atlantis, mater Nyctei,vt scribit Bocatius libro 10.

Cylicrani, natio est quædam hominum in Hispania,prope Herculeam habitantium.

Cyllarus,Pollucis equus Virgilio,libro 3.Georgic.
Talis Amyclæi domitus Pollucis habenis
Cyllarus,& quorum Graii meminere poetæ. Atqui Castor equorum domitor fuit:sed fratrem pro fratre posuit,poetica licentia.vt, Quas illi Philomela dapes.pro Progne. Item, Reuocato à sanguine Teucri.pro Dardano. Hæc Seruius.

Cylleborus,Steleni filius, qui vigente bello Troiano cū AEgiale Diomedis vxore consuetudinem habuit.

Cyllene,Arcadiæ mons est,quòdMercuriū ibi natum arbitrātur, insignis(inquit Pomponius lib.2)A Cyllene,Cyllenius Mercurius. Claudianus libro primo de raptu Proserpinæ,
Cyllenius adstitit ales
Somniferam quatiens virgam,tectúsque galero. Statius lib.7,Tegees alumnum dixit à loco vicino,
Tunc ita velocem Tegees affatur alumnum.

Cyme,vrbs AEolidis,vt scribit Pomponius lib.1,Cimen nominauit,pulsis qui habitarant,dux Amazonum Cyme.

Cymodoce, nympha, Oceani & Tethyos filia, de qua Virgilius lib.4.Georg.

Cymothoe, Nerei filia, & vxor Neptuni, de qua Virgilius lib.1. AEneid.

Cyneas Thessalus, Pyrrhi regis legatus, longè disertus est habitus, vt qui Demosthenis auditor fuerit, adeò vt plures Pyrrho ciuitates facunda oratione subegerit, quàm ille armis expugnauerit. Eidem expeditionem in Italiam magnopere dissuasit. Præterea missus ad Romanos legatus de pace, vno die omnium senatorum nomina edidicit: quorum consessum, totidem regum sibi videri Pyrrho retulit. Plutarchus in Pyrrho. Huius memoriam commendat Cicero in Tuscul.quæst.1, Non quæro (inquit) quãta memoria Simonides fuisse dicatur, quanta Theodectes, quanta is qui à Pyrrho legatus ad senatum est missus Cyneas, quanta nuper Carneades, quanta qui modo fuit Sceptius Metrodorus, quãta noster Hortensius. Hæc ille.

Cyniphis, siue Cyniphos, fluuius Africæ in Lybia, apud quem magni sunt hirci. Hinc Cyniphius, Cyniphia, Cyniphium. vt Virgilius lib.3.Georg. Cyniphii tondent hirci. Dicitur & Cyniphius grex, & Cyniphia pellis, hircina. Martialis de Vdonibus,

Non hos lana dedit, sed olentis barba mariti:
Cyniphio poterit planta latere sinu.

Cynegirus Atheniensis in bello Persico magna pertinacia in cõsectandis hostibus vsus est. Nam & nauem onustam dextera manu tenuit: ea amputata sinistram iniecit. Quã & ipsam cum amisisset, nauem mordicus arripuit, morsúque retinuit furẽti similis. Authores Trogus & Herodotus. Meminit etiã Valerius, & Trãquillus in Cæsare.

Cynocephali, vt scribit Plinius cap.2.lib.7, homines sunt in montibus terræ Indiæ caninis capitibus, qui ferarum pellibus velantur, & qui latratum pro voce edunt, vnguibúsque armati venatu & aucupio vescuntur. Vide Gellium cap.4.lib.9.

Cynopolis, canum ciuitas, in qua Anubis colitur, & honor, & sacer quidẽ cibus est canibus cõstitutus. Ab hac Cynopolitana præfectura appellata est. Qui in ea habitant, Canarii dicũtur. Perottus.

Cynos, Latine canis dicitur, ciuitas in Locride. Liuius octauo tertiæ decadis. Est etiam Cynos, fluuius Plinio lib. 6, cap.28.

κυνὸς σῆμα, Cynossema, id est canis sepulchrũ, Hellespõti promontorium est. Tumulus Hecubæ (inquit Pomponius Mela libro 2,) siue ex figura canis, in quam conuersa traditur: siue ex fortuna in quam deciderat, humili nomine accepto. Thucydides lib.8, Sini-

ſtrum (inquit) cornu iam promontorium exceſſerat, quod vocant Canis ſepulchrũ.ita Valla interpretat⁹ eſt.σῆμα enim Græcis ſepulchrum & monimentum ſignificat:παρὰ τὸ σημαίνειν,quod eſt ſignificare & indicare.Vide Ouidium lib.Metam.13.

Cynoſura,minor Vrſa. de qua ſic Cicero libro ſecũdo de natura deorum ſic ſcribit, Aratum citans,

Dicitur eſſe Polus:
Hunc circum ἄρκτοι duæ feruntur,nũquam occidentes:
Ex his altera apud Graios Cynoſura vocatur,
Altera dicitur eſſe Helice. Vide ſupra in dictione ARCTOS.

Cynthus,Deli inſulæ mons eſt, in quo natus eſt Apollo, & Diana,authore Virgilio Ecloga 6.

Cum canerem reges,& prælia:Cynthius aurem
Vellit,& admonuit Paſtorem, Tityre,pingues
Paſcere oportet oues:deductum dicere carmẽ. Rurſum AEneid.1,
Qualis in Eurotæ ripis,aut per iuga Cynthi
Exercet Diana choros,&c.

Cypariſſa,vrbs eſt Achaiæ:& Cypariſſius ſinus.Sic enim Plinius ſcribit lib.4.in deſcriptione Achaiæ, Ad meridiem autem (inquit) Cypariſſius ſinus,cum vrbe Cypariſſa.

Cypariſſus,Telephi filius,à Syluano & Apolline dilectus,qui cũ ceruum quem amabat imprudens occidiſſet, nimio dolore mutatus eſt in cupreſſum ſui nominis arborem,Græci enim κυπάρισσος, Cupreſſum appellant.Vide Ouidiũ. Eſt & Cypariſſus,ciuitas circa Delphos, quæ ab eius arboris frequentia meruit nomen. Cuius meminit Pomponius libro ſecundo.

Cyprus, inſula, inter alia nomina Macaria dicta, nam mirè fertilis eſt,in ſinu maximo,qui Iſſicus circa Ciliciam dicitur,ad ortum occaſúmque Ciliciæ,ac Syriæ obiecta eſt:nouem aliquando regnorum ſedes,vt Plinius cap.31,li.5,ſcribit, ſmaragdo, cryſtallo, ære,Cyprio cognominato,adamante,&alumine nobilis,quam aliquando adnexam continenti fuiſſe,idem author libro ſecundo ſcribit.De hac vide Strabonem lib.14.

Cypſella,oppidum Thraciæ,vt ſcribit Plinius lib.4.cap.11. Strabo libro 7,Cypſelum nominat.

Cypſelus,tyranni nomen apud Corinthum,cuius meminit Cicero Tuſcul.quæſt.lib.5,Demarathus (inquit) Tarquinii regis noſtri pater,tyrannum Cypſelũ quòd ferre nõ poterat,fugit Tarquinios Corintho,& ibi fortunas ſuas conſtituit,ac liberos procreauit. Rurſum in libro de Fato,Tu(inquit)&quæ nõ ſint futura,poſſe fieri dicis,vt frangi hanc gemmam etiamſi id nunquam futurum ſit:

neque necesse fuisse Cyselum regnare Corinthi,quanquã id millesimo antè anno Apollinis oraculo edictum esset.

Cyptasia,Galatiæ vrbs Ptolemæo,vulgò Carosa.

Cyrenaica,regio Africæ,eadem Pentepolitana à quinque ciuitatibus dicta,quarum præcipua,& quæ regioni circuniacenti nomen daret,Cyrene visa est. Eam Strabo libro vltimo à Theræis Græcis cõditam esse scribit,qui ex Laconica profecti Therã insulam prius coluerint,hinc in cõtinente Cyrenem ædificauerint.Ex horum numero fuit Battus quidam,qui Cyrenes condendæ fuit author,quod alibi idem Strabo indicat.Inde Battiadas Cyrenenses Silius nominat libro tertio,

Necnon Cyrene Pelopei stirpe nepotis
Battiadas paruos,fidei stimulauit in arma. Idem libro secundo,
-& iniquo sole cadentes
Battiadas. De Cyrene multa Straboni cõsentanea Herodotus refert in Melpomene.Diodorus Siculus lib.5, scribit ex quorundam sententia huic vrbi nomen inditum à Cyrene Ipsei filia, quæ cum apud Peleum virgo educaretur, Apollo eius forma captus, raptam virginem in Libyam,ad ea loca,in quibus postmodum ciuitas condita est,asportauit,& ab eius nomine,Cyrene dicta. Eam regionem fertilissimam esse tradit Herodotus in fine quarti libri.

Cyrenaici philosophi,de quibus Cicero Tuscul.quæst.lib.3, Atqui(inquit)ab Aristippo Cyrenaici philosophi nominati, omne bonum in voluptate posuerunt,virtutémque censuerunt ob eam rem esse laudãdam, quòd efficiens esset voluptatis. Qualis autem fuerit Cyrenaica philosophia,docet Diogenes Laertius libro secundo in Aristippi vita.

Cyrillus,præsul Dalmatiæ.Cyrillus item Alexãdrinus præsul edidit variarũ hypotheseon tractatus,Homilias plurimas,quibus vtuntur Græci, præterea aduersus Nestorium epistolas, quibus omnia occulta eius venena refellit. Is vixit temporibus Iuliani principis. Cyrillus præterea Ierosolymitanus præsul, sæpe pulsus ab ecclesia, & receptus, ad extremum sub Theodosio principe octo annos in sua sede perseuerauit. extãt eius Catecheses. Hæc Hieronymus.

Cyrinus,Romanus cum Basilide, & Nabore sub Diocletiano passus,ac sepultus tertio ab vrbe lapide. Ex Volaterrano.

Cyrnos insula, id est Corsica, vt suprà dictum est in CORSICA. Vnde Cyrnii,populi huius insulæ, qui lõgissimo æuo vtuntur.

Cyrrestica, regio, à Cyrre dicta est, vbi Cyrrestis dea colebatur, quam Mineruam interpretantur. Plinius & Ptolemæus.

Cyrsilus Atheniensis lapidibus obrutus, quòd inhonesta suade-

ret, Cicerone authore libro tertio De officiis, Tanta (inquit) vis est honesti, vt speciem vtilitatis obscuret. Athenienses cum Persarum impetum nullo modo possent sustinere, statueréntque vt vrbe relicta, coniugibus & liberis Troezene depositis, naues conscenderent, libertatémque Graeciae classe defenderent, Cyrsilum quendam suadentē vt in vrbe manerēt, Xerxémq; reciperēt, lapidibus obruerūt.

Cyrrha, oppidum in Phocide, iuxta quod & Cyrrhaei campi ad Phocidem attinent, vnde & Cyrrhaeos scopulos, & antra Cyrrhaea, fontésque Cyrrhaeos, pro Phocensibus, Parnasiísve poetae cognominant. De Cyrrhaeis campis copiosè differitur in orationibus aduersariis Demosthenis & AEschinis.

Cyrus, Cambysis & Mādones filius fuit. Hic aui sui Astyagis iussu expositus, quòd per somnium ex liberis filiae, quam vnicam habebat, vitem enatam vidisset, cuius palmite omnis Asia obumbraretur. Hic dum exponitur (mirum) à cane foemina aliquādiu lactatus est: tandem à regio pastore educatus, fatis volentibus, in Persarum regem assumptus est. Quibus cum diu imperasset, à Tomyri Scytharum regina cum ducentis millibus Persarum caesus est, vt authores sunt Herodotus & Iustinus. Dictus porrò Cyrus est à Cyro flumine, quod per curuam Persiam fluit, vt scribit Strabo libro 15. Huius Cyri historiam scripserunt Xenophon philosophus octo voluminibus, Herodotus & Iustin. lib. 1. Fuit & Cyrus poeta, praefectus praetorii Theodosii iunioris, deinde Patricius ob ingenium factus, fauēte magnopere Eudoxia imperatoris vxore, quae poetas & carmina valde diligebat. eius etiam opera, cum ageret Ierosolymis praesul ad extremum factus in Cotyleo Phrygiae, peruenit vsque ad Leonem imperatorem. Author Suidas.

Cyteorum Ptolemaeo, Cotyorum Plinio, Cappadociae oppidum, hodie Cecino.

Cythera, in Laconico sinu insula est, de qua Plin. cap. 12. li. 4. sic scribit, Cythera (inquit) cū oppido in Laconico sinu, antea Porphyris appellata. Haec sita est à Malleae promōtorio V. M. pass. ancipiti propter angustias ibi nauiū, ambitu. Haec Plin. Hesiod. in Theogonia tradit Venerē ab oppido, Cythercam cognominatam: Seruius autem ab insula cognominatam tradit.

Cytheris, meretrix, à Cornelio Gallo poeta adamata, quae alio nomine Lycoris dicitur. Vide in dictione CORN. GALLVS.

Cythnos, insula vna Cycladū, vt scribit Pōpon. lib. 2. Huius meminit Ouid. 7. Metam. Florētémq; Syrō, Cythō, planáque Seriphō.

Cyzicum, Bithyniae nobilis ciuitas, nomen (inquit Pomponius libro primo) Cyzicus indidit, quem à Minyis imprudentibus, cum Colchos peterēt, fusum acie caesúmq; accepimus. Hactenus Mela.

Hæc ciuitas, arce, mœnibus, portu, turribúsque marmoreis Asiaticæ plagæ litora illustrat, vt scribit Florus in bello Mithridatico, libro 3. Libera illa aliquando, & agri diues, multóque in honore à Romanis habita. Lege Strabonem lib. 12. De Cyzico Valerius Argonaut. libro secundo,

Nec procul ad tenuis surgit confinia ponti
Vrbs placidis demissa iugis, rex diuitis agri
Cyzicus &c. De morte Cyzici regis lege Valerium lib. 3. Argonauticôn, & Hermolaum super caput 32. lib. 5. Plinii.

Cytorus, Paphlagoniæ mons buxo abundãs, quem Macedoniæ esse magno errore credidit Seruius. Virgil. lib. 2. Georgic.
Et iuuat vndantem buxo spectare Cytorum. Ab hoc, quæ buxea sunt, Cytoriaca dicta. Ouid. lib. Metam. 4,
Sæpe Cytoriaco diducit pectine crines. Sed libro 6. aliter,
Vtque Cytoriaco radium de monte tenebat. Oppidum aliquando Sinopensium emporium fuit, sic à Cytoro Phryxi filio dictum, vt scribit Strabo & Stephanus.

D A

DACIA, Scythiæ pars est, & portio Thraciæ. Hæc à Septentrione parte Sarmatiæ, à Meridie Danubio terminatur, vt Plinius & Ptolemæus scribunt. Cuius populi, Daci dicuntur, qui olim Daui appellati sunt, vt scribit Strabo libro 10. Atque inde plurimi apud Athenienses Daui, & Getæ serui appellati. Vulgo Denamarch.

Dadicæ, populi Scytharum ex parte Asiæ, vt scribit Herodotus libro quarto.

Dædala, oppidum est in confinio Lyciæ & Cariæ, vt scribit Plinius cap. 27. lib. 5.

Dædalus Atheniensis, clarus architectura, Telen puerum discipulum suum interemit ob inuidiam, quòd figuli rotam reperisset, & serram inuenta spina piscis ad eius similitudinẽ formata. ob quam rem actus in exilium, venit in Cretã, in Minois regis amicitiam, eique Labyrinthum construxit. Pasiphaë quomodo cum tauro concumberet inclusa ligno monstrauit: quam ob causam inde aufugit in Siciliam, aptatis alis Icaro filio, qui cadens, mari nomen dedit. Minoe igitur eũ persequente bello, à Cocalo rege specie colloquii in Thermis retentus est, donec æstu suffocaretur. Hæc Diodorus libro 5. Ex huius artificis excellentia natum prouerbium, vt clara opera, Dædala appellentur. vt Virgilio, Dædala tecta.

Dætor, vir Troianus apud Homerum.

Dahippus, statuarius nobilis, cuius opera enumerat Plinius cap.

octauo libri 34.

Daï, Persarum populi, omnes pastores, teste Herodoto lib. primo.

Dalmatia, regio Illyrica ad mare Adriaticum spectans, contermina Liburniæ, versus Occasum: à qua Dalmatæ populi, qui (vt scribit Florus) plerunque in syluis degũt, inde ad latrocinia promptissimi. Ii ab Augusto Cæsare domiti fuere, vt scribit Appianus. Dalmatia plurimum auri profert, vt scribit Plinius cap. 4. lib. 33.

Damascene, Syriæ pars, quæ & Cœle & Mesopotamia dicitur, circa Libanum, sic dicta à Damasco, clarissima ciuitatum. Author Pomponius Mela libro primo.

Damascius Sigiæus, historicus, Herodoti tẽpore ante bellum Peloponnesiacum scripsit de rebus in Græcia gestis: præterea de maioribus eorum, qui ad Troiam profecti sunt, & de poetis & sophistis, aliáque complura, vt author est Suidas.

Damascus, Syriæ vrbs, à qua Damascene regio dicta. De Damasco sic Strabo lib. 16, Damascus (inquit) vrbs est insignis, omnium ferè nobilissima: quæ in ea sunt regione, Persiæ vicina.

Damasithynus, vnus fuit è ducibus Xerxis Persarum regis, teste Herodoto libro septimo.

Dameas, nobilis statuarius, cuius meminit Plinius libro 34. cap. 8.

Damianus Ephesius, sophista nobilis, circa M. Antonini principis tempora diuitiis ac potentia inter suos præditus, viros doctos liberalitate prosequutus est: eloquentiæ quoque genus secũdum naturam imitatus. Author Philostratus in Sophistis.

Damœtas, nomen pastoris Theocrito & Virgilio.

Damon & Pythias, Pythagorei, hoc animo (inquit Cicero) inter se fuerunt, vt cum eorum alteri Dionysius tyrãnus diem necis destinauisset: & is qui morti addictus esset, paucos sibi dies, commendandorum suorũ causa postulauisset, vas factus est alter sistẽdi eius: vt si ille non reuertisset, moriendum esset ipsi. qui quum ad diem se recepisset, admiratus eorum fidem tyrannus, petiuit vt se ad amicitiam tertiùm adscriberent. Hæc Cicero lib. 3. De officiis. Meminit & Valerius de Amicitia.

Damophila, Græca mulier, vxor Pamphili, socia Sapphus poetriæ, poemata multa cõscripsit, partim amatoria, partim in Dianæ laudes, vt est author Philostratus in vita Apollonii.

Damophilus, sophista, quem nutriuit Iulianus cõsul, sub M. Antonino principe: scripsit ad Lollium Maximum de vita priscorum, & quædam alia. Suidas.

Damostratus, philosophus, scripsit de piscibus libros x x. Suidas.

Damoxenus, Atheniensis comicus, cuius fabulæ nonnullæ me-

morantur ab Athenæo in Dipnosophistis.

Damyndas, vir fuit Macedo, teste Plutarcho.

Danae, Acrisii regis Argiuorum filia, quam dicunt Iouem in auri guttam conuersum compressisse. Ouidius lib.2. de Tristibus,
Quid Danaen Danaésque nurus, matrémque Lyæi.

Danaus, Beli filius, in AEgypto regnauit: is quinquaginta filias habuit, quæ maritos suos interfecerũt. de quibus diximus in dictione BELVS. Is Danaus puteos dicitur inuenisse, vt est apud Plinium cap.56. libri septimi.

Dantes, poeta Florentinus, regum & principum amicitiis clarus, cuius vitam scribit Volaterranus lib.21.

Dantiscum, Poloniæ oppidum, ad Vistulam fluuiũ, aduectis mercibus clarum & opulentum, vt notat Vadianus.

Danubius, inquit Plini⁹ cap.12. lib.4, ortus in iugis Arnobæ mõtis Germaniæ, ex aduerso Raurici Galliæ oppidi, multis vltra Alpes millibus, ac per innumeras lapsus gentes Danubii nomine, immenso aquarum auctu, & vnde primum Illyricum alluit, Ister appellatus, sexaginta amnibus receptis, medio fermè numero eorum nauigabili, in pontum vastis sex fluminibus euoluitur. Hactenus Plinius. De Danubio sic Dionysius,
Arnoba mons Istro pater est, cadit Arnobæ hiatu
Flumen, in Eoos autem conuertitur axes,
Euxinóque salo prouoluitur, ora per æquor
Quinque vomunt amnem, &c. Ammianus quoque lib.22, Amnis (inquit) Danubius oriens prope Rauracos montes, limitibus Rheticis per latiorem orbem protensus, ac sexaginta nauigabiles penè recipiens fluuios, septem ostiis per hoc Scythicũ latus erumpit in mare, &c. Hunc secundum post Nilum facit Ausonius,
Illyricus regnator aquis, tibi Nile secundus
Danubius lætũ profero fonte caput. Et Ouidius lib. 4. de Ponto, vbi de Scythiæ fluminibus,
Innumerísque alii, quos inter maximus omnes
Cedere Danubius se tibi Nile negat. Vulgò Donauu, Le Danube.

Daphne, Penei fluminis filia, Phœbo adamata, ac in Laurum conuersa. De qua Ouid. Metam. lib.1. & Aphthonius sophista. Daphne altera, filia Tiresiæ vatis, quæ Thebis captis missa est Delphos, vt vaticinium disceret. Itaque edidit varii generis responsa, cuius ex versibus Homerum ferunt multa mutuatum fuisse. Hæc Diodorus libro quinto.

Daphnis à poetis puer formosissimus, & Mercurii filius describitur. Pastor autem fuit qui carmen Bucolicum inuenit, in Sicilia

boum armenta multa possedit: postremò captus luminibus, quòd ebrius cum aliena fœmina congressus esset, vt prædictum ei fuerat à nympha. Author Suidas.

Daradus, fluuius Libyæ Ptolemæo: hodie Darat.

Dardanus, Electræ Iouísque filius, fratrem habuit Iasium, quo interfecto, è Coriti sede Hetruriæ, quæ nunc Cortona est, in Samothraciam venit, iram fugiens populorum. De quo Virgilius,
-his ortus in agris
Dardanus Idæas Phrygiæ penetrauit ad vrbes,
Threiciámque Samon, quæ nunc Samothracia fertur:
Hinc illum Coriti Tyrrhena à sede profectum. Dardania à Dardano, vt scribit Strabo lib.13, & Ouidius libro primo Tristium,
Dardaniámque petit authoris nomen habentem.

Dares, Phrygius historicus, scripsit bellum Troianum Græcè, in quo ipse militauit, vt ait Isidorus, primus ferè historicorum: qui tádem capto Ilio, cum Antenoris factione remásit, vt scribit Corn. Nepos, qui opus eius è Græco in Latinum sermonem cóuertit, dicaúitque Salustio. Est & Dares apud Virgilium libro AEneid.5. cum Entello congressus.

Daridæus, rex Persarum, tempore Apollinis Tyanei, id est tempore Tiberii, Caii, & Claudii imperatorum, vt scribit Philostratus in eius vita.

Darii, Persarum reges, de quibus passim apud historicos.

Dariorigum, Galliæ vrbs Ptolemæo: vulgò Vannes.

Daruernum, Ptolemæo Britániæ insulæ portus, vnde in Galliam traiicitur. Vulgò Douer.

Darus, Pannoniæ inferioris, id est Vngariæ fluuius, Ptolemæo: Drauus aliis dicitur. Vulgò Mora.

Dascylos, Bithyniæ oppidum, Plinio & Pomponio li.1. Ptolemæus & Strabo Dascylium nominant, & iuxtà lacum Dascyliticum. hodie Diasquillo.

Dassaretæ, Thraciæ populi, quos à tergo Epiro iúctos, Plinius scribit. De his Mela lib.2, in descriptione Thraciæ.

Dastylus, fuit Gygis regis pater, teste Herodoto lib. historiarum 1.

Dates, vnus fuit è ducibus Darii, qui teste Herodoto libro 6. bello apud Marathonem victus est.

Daulia, vel Daulis, oppidum Phocidis, sub ditione Terei regis Thracum. vnde Philomela dicitur Daulias auis Ouidio,
Deflet Threicium Daulias ales Itym.

Dauni, Italiæ populi, à Dauno duce Diomêdis socero dicti. Horũ oppidum est Salapia, Annibalis meretricio amore inclytũ, vt scribit

Plinius capite vndecimo libri tertii.

Daurifer, vnus ex ducibus Darii, qui in Cariis ceciderunt, teste Herodoto circa finem libri 6.

D E

Decapolis, siue Decapolitana regio Syriæ, Iudeæ propinqua: sic dicta à numero oppidorum, vt author est Plinius lib.5.cap.18.

Deceates, Ligurum populi. Clarissimos Ligurũ fuisse Salyos, Deceates & Oxibios, satis ex Strabone, Plinio, & Floro cònstat.

Decius sub Valerio & Cornelio C O S S. Tribunus mil. Idem bello Latino consul Manlium Torquatum collegã habuit, in quo bello dum sese hostib' obiiceret, cecidit. Huius filius P. Decius de Samnitibus triumphauit. Postremò consul, cum M. Fabium collegam haberet, in bello aduersus conspirantes Gallos, Samnites, Vmbros, Tuscos, patris exemplum imitatus, occubuit. Author Cæcilius.

Decoontes, Herculis filius ex Megara filia Creontis Thebani, vt est author Homerus in Odyssea.

Deianira, filia fuit OEnei AEtoliæ regis, cuius regia Calydon erat. Hæc adeò formosa erat, vt multos procos haberet: tandem Acheloo desponsata est primo, deinde Herculi. Itaque nuptiarum gratia ortum est inter eos certamen: sed Acheloo victo, Herculi cessit. Perottus.

Deidamia, filia Lycomedis regis Syri, ex qua Achilles in habitu muliebri apud Lycomedem latens genuit Pyrrhum.

Deioces, Medorum rex, Phraorcæ filius, teste Herodoto.

Deiopeia, Nymphæ nomen est, apud Virgilium lib. AEneid.1;
Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nymphæ:
Quarum, quæ forma pulcherrima, Deiopeiam
Connubio iungam stabili, propriámque dicabo.

Deiotarus, Galatiæ rex, à senatu iuuante Pompeio factus, in bello ciuili eius postea partes sequutus, post pugnam Pharsalicam domum se recepit. Deinde ad Cæsaris clemẽtiam confugiens, bella gerenti subsidia ministrauit. Quare ab ipso rex dimissus, verùm parte regni tantum mulctatus fuit. Tandem accusatus à Philippo quodam, quòd Cæsari apud se diuertenti insidias struxisset, à Cicerone defenditur, luculenta illa pro Deiotaro rege oratione. Author Pædianus. Fuit & Deiotarus alter Adramitenus, ludi literarii magister, apud Gargara Troadis, vt scribit Stephanus.

Deiphobe, nympha filia Glauci dei marini. Virgilius,
Deiphobe Glauci &c.

Deiphobus, Priami & Hecubæ filius. Virgilius,
Deíphobe armipotens genus alto à sanguine Troiæ.

Deiphyle,Adrasti filia,Diomedem suscepit qui in bello Troiano in virtute primus post Aiacem & Achillem ab Homero scribitur.

Deiphylus, Stheneli filii Capanei amicus obsequentissimus,teste Homero lib.Iliad.5.

Deipites,vir Troianus quem Vlysses in bello interemit,teste Homero.

Deipyrus,vnus ex principibus iuuentutis Græcorum, teste Homero lib.Iliad.8.

Delminium,Ptolemæo vrbs Dalmatiæ.hodie Demna.

Delos,insula Cycladarum clarissima,& media,vbi Apollo & Diana dicuntur nati, vnde vocantur Delius & Delia. De Delo sic Cicero in Verrem 3,Proditũ est(inquit)memoriæ ac literis,Latonam ex longo errore & fuga grauidam, & iam ad pariendum vicinam, temporibus exactis fugisse Delum: atque ibi Apollinem,Dianámque peperisse:qua ex opinione hominum, illa insula eorũ deorum sacra putatur, tantáque eius authoritas religionis & est, & semper fuit,vt ne Persæ quidem,cum bellũ toti Græciæ, diis,hominibúsq; indixissent, & mille numero nauiũ classem ad Delum appulissent, quicquam conarentur aut violare,aut attingere.Hæc ille.

Delphi,tam pro oppido,quàm oppidanis multitudinis tãtum numero:sicut Gabii,Leontini,Puteoli. Est autẽ ciuitas in Bœotia,iuxta Parnassum,dicta à Delpho Neptuni filio.Delphis oraculum fuit in Phocide,vnde & Delphicus Apollo dictus.

Delta,AEgypti locus est, de quo sic Hircius scribit lib. 4. bellorũ ciuilium,Locus est(inquit)ferè regionum illarum nobilissimus,nõ longè ab Alexandria,qui nominatur Delta, quod nomen à similitudine literæ cepit. Nam pars quædam fluminis Nili deriuata inter se duobus itineribus,paulatim medium inter se spatiũ relinquens, diuersissimo ad litus interuallo à mari adiungitur. Hactenus ille.

Demades,orator Atheniensis, plurimum potentia & opibus valuit:quòd nihil præter Macedonum & Antipatri gratiam in Remp. quæreret,ingẽtes diuitias per luxũ ac libidinẽ perdidit. Cúmq; esset ætate cõfectus,& luxu simul & auaritia perditus, in eũ solebat Antipater cauillari nihil ei,sicuti & cæsis victimis,præter linguã superesse.Cicero hũc nihil scripsisse author est. Plura apud Plutarchum in vita Demosthenis.

Demarathus,Lacedæmoniorũ dux,cũ exularet apud Athenienses,bellíque contra patriam cerneret apparatum,plus se debere patriæ,quàm Atheniensibus existimans,clàm Lacedæmonios certiores fecit. Fuit & Demarathus,Tarquinii superbi pater,qui Corintho in Hetruriam se recepit, quòd Cypselum tyrannum ferre non

possset, vt scribit Cicero Tuscul. quæst. lib. 5. Hunc Demarathū m vixisse temporibus Philippi Macedonis, author est Plutarchus in vita Alexandri.

Demetrius, Antigoni Macedoniæ regis filius, cognomēto Poliorcetes. Hic post Alexādrum præter alios Macedonas nomine ac virtute clarus, transmisso Euphrate, Babyloniam occupauit. Athenas Cassandri, Ptolemæiq; imperio liberauit: Cyprū, victo Ptolemæo, bello nauali recepit: Pyrrhum ab oppugnatione Thessaliæ repressit. Postremò cum bellum aduersus Antiochum suscepisset, infœliciter pugnans in eius potestatem venit: Chersonesique ab eo custodiæ traditus est, permisso tamen ei regio sumptu, mollique victu, venationibus, omnibúsque voluptatibus: quibus ille vsus, minimum de salute anxius, in morbum ob incontinentiā incidit, ex quo periit. Cum M. Antonio cōparatur à Plutarcho in Parallelis. Demetrius itē Phalere⁹, Theophrasti auditor. Cicero in Bruto, Demetrius Phalereus (inquit) eruditissimus ille quidē omnium horū, sed non tam armis institutus, quàm palæstra: itaque delectabat magis Athenienses, quàm inflammabat: processerat enim in solem & puluerē, non vt è militari tabernaculo, sed vt è Theophrasti doctissimi hominis vmbraculis. Hic primus inflexit orationem, eámque mollē tenerámq; reddidit: & suauis sicuti fuit, videri maluit, quàm grauis, &c.

Demetrius alius, præter dictos, Syrus, Ciceronis præceptor, vt scribit ipse in Bruto: Eodem tēpore (inquit) Athenis apud Demetrium Syrum veterem, & non ignobilem dicendi magistrum, exerceri solebam. Post à me Asia tota peragrata est, cum summis quidē oratoribus, quibuscum exercebar. Hæc ille.

Democedes, Crotoniata medicus illustris, qui cū inter Darii captiuos esset, & Darius ipse ob inuersum pedem grauiter ægrotaret, ita vt iam septem noctes insomnis exegisset: nec à medicis suis vel parum iuuaretur: ductus in medium Democedes, victus compedibus, Darium penitus liberauit: & deinde maximo in honore apud regem & Persas omnes habitus est. Author Herodotus libro 4.

Demochares, orator Atheniensis, Demosthenis ex sorore nepos, missus cum aliis ad Philippum regem legatus, expositis mandatis, petenti regi quid gratū Atheniensibus facere posset, respondit, Suspende te. Indignantibus ob eam rem cæteris, rex dimisit incolumem: vos (inquiens) cæteri renuntiate Atheniensibus, quos censeāt superiores, qui talia dicunt, an qui audiunt patienter. Hæc Seneca libro tertio de Ira. Hic etiam historiam earum rerum quæ gestæ erant sua ætate Athenis, non tam historico, quàm oratorio genere conscripsit. Author Cicero in Bruto.

Democides, medicus qui Polycratem, Samiorum tyrannum, curauit talentis duobus, scripsitque librum de medicina. Suidas.

Democles, adulator quidam dixit Dionysio tyranno, quòd vitam beatissimam viueret. Tyrannus autem, vt beatitudinem suam illi declararet, induit eum habitu regio, & mensam copiose paratam ei apposuit, sed super caput eius appendit tenui filo gladiũ districtum. Tunc Democles tyrãnicam vitam miserã esse intellexit. Valerius.

Democoon, fuit nothus Priami, qui velocissimos patris equos apud Abydum custodiebat. hunc Vlysses in bello interemit, vt est apud Homerum lib. Iliad. 4.

Democrates, architectus Alexandri, qui Alexandriam metatus est. Fuit & Democrates athleta, qui facto in stadio circulo consistens, à nullo dimoueri poterat. author AElianus de varia historia. Fuit & Democrates, medicus, qui testis citatur à Plinio.

Democritus Abderites, vt author est Diogenes, Pythagoræ imitator, non tamen áuditor: cum duos haberet fratres maiores natu, ab eis discedens hæreditatem suam accepit, quam in pecuniam redactam, breui tempore peregrinando absumpsit. Nam primûm ad AEgypti sacerdotes cõtendit, ab illis Geometriam accepturus. Inde rubro mari emenso, ad Chaldæos, & (vt quidam volunt) ad Gymnosophistas, in Indiam penetrauit. Postremò Athenas rediit ad Socratem, vbi se gloriatur ignotum omnibus fuisse. Veni (inquit) Athenas, & nemo me nouit. Quod dictum refert Cicero vt sapientis viri, & gloriam spernentis: coniugióque iunctus, deinde profectus est Athenas, affirmans se breui reuersurum. Quod cum non faceret, Phyllis impatientia amoris se laqueo suspendit, vt est apud Ouidium in epistolis.

Demodocus, fuit citharœdus, quem Homerus libro Odysseæ 8. inducit in conuiuio Alcinoi regis Phæacum citharam pulsantem & simul canentem, vt est apud Virgilium 1. AEneidos in conuiuio Didonis, —cithara crinitus Iopas
Personat aurata.

Demolchus, Syracusanus comicus, Epicharmi medici filius, docuit fabulas X I I I I. lingua Dorica. Suidas.

Demonax, fuit Adriani temporibus philosophus, qui non, vt plerique, solitudinẽ sectabatur, sed nihil potius habuit, aut putauit inter homines amicitia: omnémque hominem sibi familiarem existimabat: nullum sibi vnquam viaticum præparauit, sed quum esuriret, quam proximam domum apertam videbat, in eam ingrediebatur, & victum ibi quæritabat. Centenarius decessit, elatus publico sumptu. Apud Lucianum.

Demonica, mulier quæ auri auiditate vrbem Ephesum Brenno duci prodidit, vt est author Plutarchus in Parallelis.

Demophon, vel Demophoon, filius Thesei & Phedræ, ad Troiam profectus: qui inde rediens tempestate delatus est in Thraciam: & à Phyllide, loci regina, hospitio exceptus est. Perottus.

Demopolis & Neocles, Themistoclis filii, quum apud Athenienses mentionem fecissent legũ quæ aduersus exules latæ erant, à paternis inimicis lapidibus obruti sunt. Cælius cap.12.lib.8.

Demosthenes, Atheniensis orator, Græcorũ oratorum lõgè princeps: cuius vitã scripsit Plutarchus. Est & Demosthenes, dux Atheniensium in bello Peloponesiaco apud Thucydidem. Fuit itẽ Demosthenes alius, genere Thrax grãmaticus, qui Iliada Homeri, & Hesiodi Theogoniam in prosam orationem conuertit. Suidas.

Derbices, populi sunt iuxta Caucasum montẽ. hi supra Stoicam seueritatem minimũ quodque delictum pœna capitis puniunt, terram venerantur, fœmininũ animal neque edunt, neque sacrificant: qui L X X annos excesserunt iugulant, cognatorum carnes vorant, anus strangulant, deinde sepeliunt: citra septuagesimũ annũ obeuntes non edunt, sed humant, vt lib.2. Strabo scribit.

Dercyllus, vnus è præfectis Pyrrhi, teste Plutarcho.

Derses, populi Græcorum in litoribus Thraciæ, vt ostendit Herodotus libro septimo.

Dertona, Taurinorum vrbs Ptolemæo: hodie Derto Tornata.

Derusiæi, fuerunt oratores Persici, teste Herodoto lib.6.

Deua, fluuius Britanniæ Ptolemæo. vulgò Dee.

Deuana, Ptolemæo, vrbs Britanniæ insulæ: alio nomine Duanã castra, vulgò Doncastre.

Deucalion, Promethei filius, rex Thessaliæ, cũ Pyrrha Epimethei filia matrimonio iunctus. Is post diluuiũ dicitur humanum genus reparasse. de quo infra in dictione PYRRHA.

Dexippus, Herennius appellatus, orator Atheniensis sub Valeriano, vsq; ad Aurelianũ. Fuit & Dexippus Cous medicus, discipulus Hippocratis: scripsit de medicina librũ vnũ, & de prognosticis. Suid.

D I

Dia, insula est vna è Cycladibus, cuius meminit Plin. cap.12. li.4.

Diagoras, Milesius philosophus, & poeta Melicus, post Pindarum & Bacchilidem, quem Democritis ob physiognomiam, cum seruus esset, emit mille drachmis, vt disciplinis erudiret. Vocatus est ἄθεος, quòd nullos deos esse putaret. Sic præterea mysteria contempsit, vt etiam ea sectantes auerteret. Quare ab Atheniensibus pulsus est, qui talentum polliciti sunt iis qui eum interfecissent. Suidas.

Huius Diagoræ meminit Cicero libro primo de Natura deorum, Quid Diagoras, Atheos qui dictus est, posteáq; Theodorus, nónne apertè deorum naturã sustulerunt? Diagoras item Rhodius gaudio exanimatus, de quo sic scriptũ est apud Gellium cap. 15. lib.3, Is Diagoras tres filios adolescẽtes habuit, vnum pugilem, alterum pancratiasten, tertium luctatorem: eósque omnes vidit vincere, coronaríque eodem Olympiæ die: & cum ibi eum tres adolescentes amplexi, coronis suis in caput patris positis suauiarentur: cúmque populus gratulabundus flores vndique in eum iaceret, ibi in stadio inspectante populo, in oculis, atque in manibus filiorum animam efflauit. Hæc Gellius. Huius Diagoræ meminit & Cicero Tuscul. quæst. libro primo.

Diana, filia Iouis & Latonæ, soror Apollinis aut Phœbi, dea dicitur venationis & virginitatis. Est & Diana, fluuius Hispaniæ Tarraconensis Ptolemæo: Deua apud Pomponium Melam.

Dias, Sophista Ephesius Philippi Macedonis tempore, ponitur à Philostrato.

Dibutades Sicyonius, primus fuit figulus Corinthi, qui ex creta docuit fingere, primúsque personas tegularũ extremis imbricibus imposuit. vide Plinium lib.37. cap.2.

Dicæarchus, Siculus è Messana, Aristoclis auditor, philosophus, orator & geometra: scripsit de republica Spartiatarum, quem librũ quotannis prælegere in loco publico cautũ est, iuuenésque auditũ conuenire. Huius Dicæarchi multis locis meminit Cicero. Fuit item alter Lacedæmonius grãmaticus, Aristarchi auditor. Suidas.

Dicæogenes, poeta, scripsit Tragœdias & Dithyrambos. Author Suidas.

Dicte, Ptolemæo & Straboni, mons Cretæ. Dictæus mons est Cretæ insulæ, inquit Seruius: in quo Iuppiter nutritus est. Hæc Seruius enarrans locum Virgilii lib. Georgic.2, Ante etiam sceptrum Dictæi regis, &c.

Dictynna, Dianæ epitheton. sic enim dicta est à retib9 venatoriis quæ inuenit, vt notãt grammatici. Est & Dictynna, Cretæ insulæ vrbs, à qua mons Dictynnæus dictus Straboni.

Dictys, Cretensis historicus, apud Suidam. Fuit & Dictys, piscator quispiam, qui Perseum educauit. de quo Statius lib.2, Fluctiuagus volucrem comebat Persea Dictys.

Dido, quæ Elisa proprio nomine dicebatur, quod interpretatur virago, quia fortiter fecerit: seipsam potius interimere, quàm libidini indulgere volens. Hæc fuit Deli filia, regis Tyri. Vide Virgilium lib.4. AEneidos.

Didymaon, armorum artifex eximius. De quo Virgilius lib. 5. AEneid. Et clypeum efferri iussit Didymaonis artes,
Neptuni sacro Danais de poste refixum.

Didyme, insula Siculi maris inter eas quas AEolidas vocant, Pōponio numeratur lib. 2.

Dinarchus Corinthius, iussu Polypercōtis iugulatus est. Author Plutarchus.

Dinocrates Messenius, Romæ in conuiuio temulentus, muliebri saltauit habitu. postera die quum ab Achæorum imperio Messanā ad defectionem solicitare vellet, peterétque propterea præsidium à Tito Flaminio, de his respōdit Flaminius, Videbimus. Te verò miror vina tractare, saltare, & fœminam mentiri posse, quum res huiuscemodi moliri audeas. Plutarchus in Philopœmene.

Diocle9, Orsilochi fili9, teste Hom. habitabat in Phæra, locoinsigni

Diocles Atheniensis, comicus poeta, antiquus, cuius fabulas nonnullas cōmemorat Athenæus. Diocles item medicus Caristius, Darii Histaspis tempore, reliquit & ipse commentarios. Suidas.

Diodorus, cognomento Chronus, dialecticus ex Iasso Asiæ ciuitate fuit, vt Strabo est author, Platonis tēpore, Euclidémque audiuit. Dictus Chronus ab Apollonio Chrono eius præceptore, cuius vt famam obscurauit, ita & cognomen vsurpauit. Dialecticus etiā appellatus, quòd (vt ait Laertius) primus inuolutum disserendi genus inuenerit. Hic apud Ptolemæum Soterem commorans, cum olim inter epulas à Stilpone sermones quosdam dialecticos propositos extēplo nequiuisset exoluere, & ob id à rege per iurgiū Chronus appellatus, conuiuiū deseruit, ac edito per otium super ea propositione libro, ex animi mœrore extinctus est. Author Diogenes Laertius. Diodorus Stoicus, Ciceronis præceptor in dialecticis, vt in Bruto scribit ipse, Eram (inquit) cū Stoico Diodoro: qui cū habitauisset apud me, mecúmq; vixisset, nuper est domi meæ mortuus: à quo cum in aliis rebus, tum studiosissimè in dialectica exercebar, quæ quasi contracta & astricta eloquentia putanda est, &c. Diodorus, Comicus poeta, cuius comœdias enumerat Athenæus.

Diodorus Alexandrinus, filius Pollionis philosophi, eius qui cōposuit Dictionarium Atticum, floruit Adriani temporibus. Suidas.

Diodoros præterea duos è Lydia Tyberii tempore Strabo commemorat, ambos oratores. Diodorus Siculus scripsit historiam, quam Bibliothecam inscripsit. cōtinet autem res Romanas & varias in libris XL, vt Suidas testatur, qui dicit eum floruisse sub Augusto. Diodorus Tarsensis, præsul, cuius meminit Hieronymus.

Diogenes Cynicus, Sinopeus, vt scribit Suidas, Pythiam consu-

luit, quonam modo posset excellere: respondit, Si nummos adulteraret. Quo ille facto patria expulsus, Athenas venit, Antisthenémque philosophum audiuit. sectam instituit Cynicam. iam senex à Scytalo pirata captus, venundatúsque Xeniadi Corinthio fuit: à quo (vt ait Macrobius) interrogatus quid artis nouisset, Scio (inquit) liberis hominibus imperare: tunc eum manumisit, eíque liberos suos ad erudiendũ tradidit. apud quem Diogenes viuere voluit, quum posset ab amicis redimi. Huius vitam scripsit Diogenes Laertius. Diogenes Babylonius multò post Sinopensem praeceptor Antipatri. de quo Cicero De officiis multa. Diogenes Laertius, historicus, scripsit de vita & moribus philosophorum.

Diogenianus, ex Heraclea grammaticus sub Adriano principe scripsit Dictionariũ per ordinem literarum, multáque alia in arte grammatica. Suidas.

Diognetus, scriptor fuit itinerum Alexandri, quem Plinius libro sexto se sequi testatur. Alter fuit Diognetus, Clitomachi pater illius Poeni, qui successit Carneadi. Tertius, pictor aetate Iulii Caesaris, cuius meminit Capitolinus.

Diomedes, Tydei filius, qui ad Troiam cum AEnea congressus, Venerem adiuuantem AEneam percussit, vt scribit Horatius, Tydidem superis parem. Diomedes, alter rex Thraciae, qui dũ equos suos humana carne aleret, ab Hercule equis ipsis ad deuorandum obiectus est. Ouidius in Ibim,

Vt qui Threicii quondam praesepia regis
Fecerunt dapibus sanguinolenta suis.

Dion Syracusanus, apud suos ciues potentia & facultatibus praeditus, Platonẽ primò Syracusis audiuit, dum ille apud Dionysium ageret: apud quem ipse quoque in honore fuit. Sed postea (quòd esset ei propinquus & familiaris) cum saepe ad liberandas Syracusas, tum per se, tum per Platonem hortaretur, in suspicionem tyranno venit: qua re in exilium actus, Athenas venit. quo tempore Platoni, ludorum praefecto, impensas de suo suppeditauit. Tandem à Platone (vt creditur) inductus, patriam tyrannide liberauit, exacto Dionysio, vt author est Plutarchus. Dion Cassius, patria Nicaeus historicus, scripsit Romanam historiam libris L X X X, praeterea res gestas Traiani principis, vitam Arriani philosophi. Author Suidas.

Dion Prusieus, Sophista & philosophus, cognomento Chrysostomus, prodibat in publicum amictus pelle leonis. Apud Traianũ plerúque vixit, cui⁹ fuit familiaris, eodémque curru dignatus. Scripsit pro Homero cõtra Platonẽ libros I I I I. De virtutib⁹ Alexãdri

Magni decem. Præterea an mũdus esset interiturus. De comæ laudibus. De laudibus Herculis. Hæc Suidas.

Dione, mater Veneris. Vnde Dionæus dicitur. Virgil. Ecloga 9, Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum.

Dionysiopolis, vel Dionysopolis, vt scribit Plinius cap. 11. lib. 4, vrbs est Thraciæ, authore eodem Plinio, & Pomponio Mela lib. 2.

Dionysios, Siciliæ tyrannos, patrem & filiũ, Trogus lib. XXXI describit, ac prius patrem, in hanc sententiam: Dionysius è Sicilia, Carthaginensibus pulsis, occupatóque totius insulæ imperio, grauẽ hostem, otium, regno suo, periculosámque desidiã tãti exercitus ratus, copias in Italiã traiecit, vt & militũ vires cõtinuo labore acuerẽtur, & regni fines propagarẽtur. Prima illi militia aduersus Græcos, qui proxima Italiæ litora tenebant, fuit: quibus deuictis finitimos quosque aggreditur, omnésque Græci nominis Italiam possidentes, hostes sibi destinat: quæ gentes non partem, sed vniuersam fere Italiam ea tempestate occupauerant. Itaque Dionysius Locros prius expugnat, deinde Crotoniatas aggreditur, qui Locris auxiliũ tulerant. Is itaque Dionysius, quem paulo ante non Italia, nõ Sicilia capiebat, assiduis belli certaminibus, à Carthaginensibus demũ victus, insidiis suorũ interficitur. Hæc Iustinus ex Trogo. Dionysius filius, natu maior inter fratres, patri militum fauore succedit, qui initio tyrannidis populũ sibi liberalitate concilians, tria milia captiuorum è vinculis exire permittit. Tributa insuper populo per trienniũ remittit, sublatísque fratribus, ac propinquis quos metuebat, paulatim in cæteros grassatur. Itaque ob crudelitatem inuisus Syracusanis bello expugnari cœptus, in arcem se recepit. Legatos etiam Syracusanos de pace, cõtra ius gentium retinuit. Tãdem vi pulsus ex arce, profugit clàm in Italiam: Locros cõcessit, qui sub eius erant potestate. A Locrensibus verò ignaris, quòd exul, exceptus, solitã quoque in eos exercuit sæuitiam, sex annis rapinis, stuprísque omnia complendo. Deinde Locrensium conspiratione ciuitate eiectus, in Siciliã rediit: ibi Syracusas securis omnibus, post lõgum pacis interuallum per proditionẽ recepit. Cúmque grauior esset, iterata cõspiratione, duce Dione Syracusano, quũ Corinthiorum auxilio obsideretur: tũc deposito imperio arcem Syracusanis tradidit: atque in exilium Corinthum proficiscitur, ibíque ludimagistrum agens, pueros in triuiis docebat. Author Trogus. Dionysius dialecticus è Bithynia cõmemoratur Straboni lib. 11. Dionysius Corinthius, vt Suidas scribit: vt alii, Afer, ex Bysanthe ciuitate temporibus Augusti, scripsit geographiam versibus hexametris. Dionysius Alexandrinus grammaticus, peruenit ad Traiani

tempora, cuius bibliothecæ & epistolis præfuit: præceptorē habuit Chæremonem philosophum. Cui scholæ Alexandrinæ olim successit. Author Suidas. Dionysius Milesius, historicus, scripsit res Persicas, & quæ post Darium secuta sunt, aliáque à Suida commemorata. Philostratus hūc pluribus verbis inter sophistas scribit: cū dicit Adriano principi, ob ingenium acceptum fuisse, à quo Satrapes factus, adscriptúsque inter equites. Dionysius Halicarnasseus, Augusti temporibus Romanam scripsit historiam, vt Suidas testatur: scripsit etiam de characteribus antiquorū oratorum. Præterea de compositione orationis, & elocutione, quomodo fiant Epithalamia, Epitaphia, Panegyrica, quæ Theodorus Gaza in Latinam orationem conuertit. Dionysius, Heraclionis filius, tyrannus, apud Heracleam & Antiochiam regnauit, vt author est Strabo lib. 16.

Dionysius Areopagita, præsul Atheniensis, Pauli discipulus, vt scribitur in actis Apostolorum, solus Paulo concionante è philosophis qui aderant credidit. Hic quum esset in AEgypto, quò se disciplinæ causa contulerat, viderétque Eclipsim nulla ratione, cum CHRISTVS passus est, vnà cum Apollophane sophista præceptore suo dixit, Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina dissoluetur. Scripsit ad Timotheū præsulem Ephesi, de diuinis nominibus lib. XII. de hierarchia cælesti, de cælestibus ordinibus: præterea alia complura opuscula, vt author est Suidas. Dionysius, Corinthiorum præsul sub M. L. Antonini doctrina, sanctitatéque clarus, scripsit epistolas quasdam valde laudatas, vt author est Hieronymus. Dionysius, præsul Alexandrinus, Origenis discipulus, cuius operū meminit Hieronymus. Dionysius dicitur Bacchus, quasi Iouis filius. Hinc Dionysia, Liberalia, Bacchanalia.

Diophanes, Mitylenæus rhetor, Gracchi præceptor, vt scribit Cicero in Bruto: Fuit (inquit) Gracchus diligentia Corneliæ matris à puero doctus, & Græcis literis eruditus. Nam semper habuit exquisitos è Græcia magistros: in eis iam adolescēns Diophanem Mitylenæum Græciæ temporibus illis disertissimum: sed & breue tēpus ingenii augendi & declarandi fuit.

Dipœnus & Scyllis, Cretenses, ante quàm Cyrus apud Persas regnaret, Sicyonem se contulere, quæ diu fuit officinarum omniū metallorum patria, sculpendóque marmori claruerunt. Ex Plinio lib. 36. cap. 4.

Dioscorides Anazarbeus, medicus, M. Antonii & Cleopatræ familiaris, scripsit libros XXIIII. περὶ τῆς ἁπλῶν φαρμάκων, id est, de simplicibus medicamentis. Suidas.

Dioscorius Miræus, grāmaticus, præfectus prætorii Leonis im-

peratoris,ac præceptor filiorum eius.Author Suidas.

Διόσκουροι, id est Dioscuri, apud Græcos (inquit Cicero lib. 3. de natura deorũ) multis modis nominantur.Primi tres qui appellãtur Anaces,Athenis ex rege Ioue antiquissimo & Proserpina nati,Tritopatreus,Eubuleus, Dionysius.Secundi Ioue tertio nati ex Leda, Castor & Pollux.Tertii dicuntur à nonnullis Aleo & Melampus, Emolus,Atrei filii,qui Pelope natus fuit.

Diores,propriũ viri,quẽ Turnus interemit,apud Virgiliũ lib.12,
Turnus equo deiectum Amycum fratrémque Diorem
Congressus pedes,hunc venientem cuspide longa,
Hunc mucrone ferit,currúque abscissa duorum
Suspendit capita,& rorantia sanguine portat.

Dioxippus,nobilis athleta,cuius meminit Plinius. Alius eiusdẽ nominis poeta comicus,cuius fabulas cõmemorat Suidas. Alius miles Alexandri Magni, mira fortitudine prouocatus à Corrago milite,item Macedone,claua eum cecidit.Author AElianus.

Dirce,mulier Babylonia & formosa, quæ quoniam Palladi conuitiata fuerat,cum se lauaret,versa est in piscem. Alia fuit Dirce, vxor Lyci regis Thebarum, quam accepit repudiata Antiopa Zethi,& Amphionis matre.'Hi ad vlciscendam iniuriam matri factã, tauro indomito Dircem alligauerunt,eámque sic extinxerũt,vt est apud Propertium lib.3, Tu reddis pueris matrẽ,puerique trahẽdã
Vinxerunt Dircem sub trucis ora bouis.

Dipœnus,Scyllis frater,qui ambo,teste Plinio,in Creta insula geniti, Medis imperantibus, priúsque quàm Cyrus apud Persas regnare inciperet,Olympiade circiter quinquagesima secunda primi omnium marmore sculpendo inclaruere,lib.36.cap.4.

Dipsas,nomen est lenæ, quã Ouidius suis carminibus insectatur, quòd puellam suam meretricia arte instrueret.Sic enim scribit,
Est quædam (quicunque volet cognoscere lenam,
Audiat) est quædam nomine Dipsas anus.

D O

Doclea,Liburniæ vrbs Ptolemæo,hodie Antibaris.

Dodona, vrbs in Chaonia,Epiri regione,iuxta quam insigne nemus vbi Iouis Dodonæi templum fuisse narratur, in quo oraculũ omnium quæ apud Græcos sunt vetustissimum. Vide historiam hanc apud Herodotum lib.2.

Dolon, Troianus, speculator missus in castra Græcorum à Diomede & Vlysse interfectus est,qui & ipsi speculatum venerant.Author Seruius.de Dolone vide in dictione R H OE S V S.

Dolopes, Pyrrhi socii, vt Myrmidones Achillis apud Troiam.

Author Seruius enarrãs illud Virgilii, Myrmidonum Dolopũmve,&c.

Domitii,plures fuerũt apud Romanos.Cn.Domitius, L.Domitius,Domitius Nero,Domitius AEnobarbus: de quibus apud Plinium,Liuium,& Plutarchum.

Donysa, insula Cycladarũ vna,cuius meminit Virgil.lib.AEn.3,
Linquimus Ortygiæ portus,pelagóque volamus,
Baccatámque iugis Naxon,viridémque Donysam.

Doris Doridos,nympha Oceani,& Tethyos filia,& vxor Nerei. Ponitur etiam pro mari.Virgilius,
Doris amara suam nõ intermiserat vndam. Doris item,siue Dorica,Græciæ pars est circa Thessaliam.

Doriscus,Thraciæ locus est,de quo sic Plinius,Doriscus (inquit) C X X mille hominũ capax, ita Xerxes ibi dinumerauit exercitũ. Fuit igitur tabulatu cuipiã adsimilis,quo cõferto quãtũ militũ esset dignosci potuit.Alia enim ratio tantã multitudinem numerãdi nõ suppetebat.Id quod pluribus lib.7.Herodotus prosequitur.

Dorius,Lusitaniæ fluuius, ad quem portus est, & ciuitas,Vulgo Portugallo,vt est apud Ptolemæum.

Dorus, Neptuni filius,qui regnauit in parte Græciæ,à quo Dori dicti,authore Seruio apud Virgilium AEneid.2,
-iuuat ire,& Dorica castra,
Desertósque videre locos, littúsque relictum. Meminit & Dori cuiusdam Diodorus lib.6: à quo Dorienses dictos ait.

Doryclus,filius nothus Priami,quem Aiax in bello Troiano interfecit,vt scribit Homerus lib.11. Iliados.

Dorylas,ponitur ab Ouidio lib.5.Metamorph.ditissimus agrestis opulentiæ,vbi ait,
Et Nasamoniaci Dorylas ditissimus agri,
Diues agri Dorylas:quo non possederat alter
Latius:aut totidem tollebat farris aceruos.

D R

Draccus,Achæorum dux,L.Mumio Romanorum duce victus. de quo Liuius sic scribit,Cum Achæis (inquit) qui in auxiliũ Bœotios & Chalcidenses habebant, Q. Cæc.Metellus ad Thermopylas bello conflixit,quibus victis,dux eorum Critolaus,veneno sibi mortem cõsciuit.In cuius locum Draccus dux creatus,apud Isthmon à L.Mumio victus est,&c.Hæc Liuius lib.52.

Draco,antiquissimus Atheniensium legislator,ante Solonem,cuius leges Solon ipse, præter quàm quæ de cæde erant cõstitutæ,abrogãdas curauit,propter seueritatẽ.Nã vna omnib9 pœna cõstituta

erat, vt etiã qui desidiæ damnati essent, aut qui olera surripuissent, capite plecterentur. Ob quã causam Demades dicere solebat, Draconem non atramento,sed sanguine leges scripsisse. Vide Gellium cap.18.lib.12.

Drausi,Thraciæ sunt populi,qui,vt scribit Herodotus libro 5, ad editum puerorum sedentes plorant, & quascunque necesse sit illi, qui vitam ingressus est,perpeti humanas calamitates recẽsent. Fatò functos magna lætitia sepeliunt.Vide Herodotum.

Drepanum, Siciliæ promõtorium, à curuo situ sic dictum instar falcis.δρέπανος enim falx dicitur. Ouid.de Fastis,

Quíque locus curuæ nomina falcis habet. Drepanum, seu Drepana,Vulgo Trapani.

Druidæ,Gallorum magi,de quibus sic Cæsar lib.6, Druidæ (inquit) rebus diuinis intersunt,sacrificia publica ac priuata procurãt, religiones interpretantur. Ad hos magnus adolescẽtium numerus disciplinæ causa cõcurrit,magnóque sunt in honore. Nam ferè de omnibus controuersiis, publicis priuatísque constituunt,&c. De his etiã Cicero lib.primo de Diuinatione, Siquidẽ (inquit)& Gallia Druidæ sunt,è quibus ipse Diuitiacum Heduum cognoui,qui & naturæ rationem, quam Physiologiam Græci appellant, notam esse sibi profitebatur:& partim auguriis,partim coniectura,quæ essent futura,dicebat.Hæc Cicero.

Drusomagus,Ptolemæo vrbs Rhetiæ.hodie Campidona,vulgo Rempten.

Drusus, Romanus genere,& eloquentia clarus,Catonis auus. de quo sic Cicero lib. 4. de finib. bonorum & malorum, Conferam autem (inquit) auum tuum Drusum cum C.Graccho eius fere æquali. Fuit & Drusus, Ciceronis sodalis. Cur sodalis meus (inquit de Natura deorum lib.3,) interfectus domi suæ Drusus? &c.

Dryades,nymphæ sunt (inquit Seruius) quæ inter arbores habitant. Hamadryades autem,nymphæ sunt quæ cum arboribus nascuntur,& pereunt.Seruius.

Drymæ, Achiuorum colonia,teste Herodoto.

Dryopes, populi sunt Epirotici, de quibus Plinius scribit in præfatione lib.4. Sunt & Dryopes,authore Seruio,populi iuxta Parnassum.Virgilius 4.AEneidos,

Cretésque,Dryopésque fremunt,pictíque Agathyrsi.

Drysus,vir Troianus apud Homerum in Iliade.

D V

Dubis, Ptolemæo,Galliæ vrbs.Vulgo Le Doux. aliis dictus Alduasdusius.

Ducona Ptolemæo, Cadurcorum in Gallia vrbs. Vulgo Cahors.

Duillius Romanus, qui primus Romæ nauali certamine triumphauit. Is iam senex & trementi corpore in quodam iurgio audiuit exprobrari sibi os fœtidũ, tristisque se domum cõtulit. Quúmque vxori questus esset quare nunquã se monuisset, vt huic vitio mederetur: Fecissem, inquit illa, nisi putassem omnibus viris sic os olere.

Dulychium (inquit Seruius) insula est, vbi mons est, in quo fertur habitasse Vlysses, eóque & ipse Dulychius & Dulychias habuisse rates dicitur. Hæc Seruius. Dulychium, inquit Vadianus, Melæ interpres, Vlyssi paruit, à quo ipse Dulychius cognominat⁹: Ithacensis à patria. Horatius,

Remigium vitiosum Ithacensis Vlyssi.

Dunium, Ptolemæo authore, vrbs insulæ Britanniæ: alio nomine Dorkinga. Vulgo Dorcestre.

Durias, Hispaniæ fluuius circa Numantiã per Vacceos fluens, qui Galleciam separat à Lusitania. Hermolaus Turiam legi oportere contendit apud Plinium cap.3.lib.3. Ex Sallustio, Phoca grammatico, & cæteris. Ptolemæo Durius dicitur, & Silio libro primo,

Hic certãt Pactole tibi, Duriúsque, Tagúsque. Durius, vulgo Duero.

Durocottorũ, Galliæ vrbs in Belgica, authore Ptolemæo. Vulgo Reins.

D Y

Dyrrhachium, Istriæ nobilis ciuitas & portus, authore Põponio Mela. Dyrrhachiũ sibi delegit exilio Cicero, vt scribit Epist. lib 14, Dyrrhachium (inquit) veni, quòd & libera ciuitas est, & in me officiosa, & proxima Italiæ. Rursum, Sum Dyrrhachii hoc tẽpore, vt quàm celerrime quid agatur audiam, & sum tutò. Ciuitas enim hæc semper à me defensa est. Hæc ille ad Terentiam. Dyrrhachium, vulgo Durazo Italis.

E A

EASO, ciuitas Hispaniæ Tarraconẽsis, Ptolemæo. Vulgo S. Sebastianus.

E B

Eboracum, Britanniæ ciuitas Ptolemæo. Vulgo Iork.

Ebudæ, quinque insulæ quæ Hyberniæ subiacent, Ptolemæo authore. Plinius Hæbudes scribit.

Ebura, Lusitaniæ vrbs, Ptolemæo: hodie Ebora.

Eburones, Galliæ Belgicæ populi, qui nũc Leodienses appellãtur. Horũ meminit Cæsar in cõmentariis. Aulerci, Eburones cognominãtur, vt scribit Plinius lib.4. in descriptione Galliæ Lugdunẽsis.

Eburum, Ptolemæo vrbs Germaniæ, vulgo Olmuntz Morauiæ

regia.

E C

Ecameda, fuit magnanimi Arsinoi filia, forma deabus æquanda, quam à cæteris Græcis electã, Nestor quòd consilio reliquos antecelleret, sibi donatã è Tenedo ad Græcorũ castra deportauit, cui illa decorè & iucundè ministrabat, teste Homero Iliad.11.

Ecbatana, vrbs Medorũ, caput regni. Reges enim Persarum regias habuerũt Susis & Ecbatanis, vt scribit Arist.in lib. De mũdo.

Echemon, Priami filius, à Diomede occisus, Homerus Iliad.5.

Echenes, omnium Phæacũ generosissimus, teste Homero lib.7. Odysseæ.

Echinades, insulæ sunt in Epiro, contra Ambracium sinum natæ Acheloi impetu, arenáque limo conuectis, sicut pars AEgypti Nili cœno. Lege Pliniũ lib.2. quib9 locis maria cesserint. De Echinadibus pulchrè Thucydides lib.2. vbi de Acheloo. Ouidius lib.Metamor. 8. inuolucro fabulæ verũ occuluit, & ex Naiadibus factas insulas tradidit, quoniam hæ terræ fluuio aggestæ fuerunt.

Echinon, Thraciæ vrbs est ad Pegaseum sinũ. Pomponius Mela libro 2. in Thraciæ descriptione.

Echion, vnus fuit è sociis Cadmi, primi regis Thebarum, & pater Penthei regis: qui ab eo dicitur Echionides & Echionius, id est Thebanus, vt notat Seruius. Virgilius AEneid.12,

Nomen Echionium, matrísque genus Peridiæ.

E D

Edessa, Arabiæ ciuitas, antea Antiochia dicta, vt scribit Plinius capite 24. lib.5.

Edri, Ptolemæo, insula est iuxta Orientalem plagam, Hyberniæ Andros Plinio dicta.

Edyia, nympha Oceani & Tethyos filia, teste Hesiodo in Theogonia.

E E

Eetion, pater Andromachæ, vxoris Hectoris, Homero lib.6. Iliad.

E G

Egeria, nympha cui sacrificabant prægnantes, quòd eam putabant facilem conceptum aluum egerere. Festus.

Egesinus, philosophus, Euandri auditor, cuius meminit Cicero Acad.quæst.lib.4.

Egestha, filia Hippotis Troiani, quam ne marinæ belluæ ob periuria Laomedontis secundũ Apollinis respõsa traderetur, pater impositã nauiculæ misit quò sors tulisset. quæ tandẽ ad Siciliã delata, à Crinifo fluuio in canem conuerso compressa, Acestem edidit.

Egnatia, Ptolemæo, Apulorũ vrbs Ionio pelago. hodie Iuuenatiũ.

E I

Eioneus, vnus è Græcorum principibus qui ad Troiam profecti sunt, ab Hectore interfectus, teste Homero. Alter fuit eiusdem nominis Thrax, & pater Rhœsi regis, qui noctu à Diomede & Vlysse interfectus est, eodem Homero teste lib. Iliad. 10.

E L

Elamitæ, Arabiæ populi, de quibus Plinius cap. 28. lib. 6.

Elcebus, Ptolemæo, Galliæ vrbs. Vulgo hodie Schelestad.

Eldana, Ptolemæo, Hispaniæ vrbs, Donia alio nomine. Vulgo Duennes.

Elea, AEolidis vrbs, vt scribit Pomponius Mela lib. 2. In ea natus est Zeno philosophus qui Eleates dicitur: & eius philosophia, Eleatica, vt scribit Aristoteles.

Electra, Agamemnonis filia, prius Laodice appellata, Argeis ita cognominantibus eã post patris mortem, quòd quasi ἄλεκτρα, id est sine lecto & matrimonio ad senectutẽ peruenerit. Author AElianus de varia historia. Apud Sophoclem est eius nominis tragœdia scripta.

Electrides, maris Adriatici insulæ, sic à Græcis appellatæ, quòd electrũ in illis prouenire putarũt, vanitatis Græcæ certissimo documẽto, vt scribit Plinius. Cuius lib. 37. ca. 2. hæc verba sunt, Phaetontis (inquit) fulmine icti, sorores fletu mutatas in arbores populos, lachrymis electrũ omnibus annis fundere iuxta Eridanum amnẽ, quẽ Padum vocamus: & Electrum appellatum, quoniam sol vocitatus sit Elector, plurimi poetæ dixere. Hactenus Plinius. Sed fabulosa secutus pro argumento operis. Ouid. lib. Metamorph. 2,

Inde fluunt lachrymæ, stillatáque sole rigescunt
De ramis electra nouis, &c.

Electrion, Amphitryonis pater & filius Alcei, vt testis est Hesiodus in Aspide.

Elephantis, Nili insula est, de qua sic Plinius lib. 5. scribit, Elephãtis (inquit) insula infra nouissimum cataracten, nauigationis AEgyptiæ finis. Ibi AEthiopicæ cõueniunt naues. nãque eas plicatiles humeris transferunt, quoties ad cataractas ventum est. Hæc Plinius. Est & Elephantis, viri poetæ nomen, cuius meminit Martialis, Nec molles Elephantidis libelli.

Eleus, Eleũtis, vt Trapezus, Cerasus, &c. Thraciæ vrbs est. de qua Thucydides lib. 8, Peloponenses (inquit) subeũtes Chersonesum nauigarũt in Eleuntẽ. Meminit eius lib. 7. Herodotus. Ab ea Eleũtii dicti, Thucydides eodẽ libro. Nã cæteras Eleũtii concremarant.

Eleusin, Atticæ oppidũ nõ procul Athenis, vbi fiebant sacra Cereris. Cicero lib.1.de nat.deo.citans Ennium poetam,
Omitto Eleusinem sanctam illam & augustam,
Vbi initiantur gentes orarum vltimæ.

Eleusius, nomen viri, quem Ceres docuit omnẽ agriculturam: à quo Eleusis, ciuitas nominata est.

Elice, stella maris, vel sydus iuxta polum Arcticum. Lucanus,
Parrhasis obliquos Elice cum verteret axes.

Elis, Arcadiæ vrbs, vbi curule certamẽ exercebatur in honorem Iouis Olympici. De Elide scribit Plinius in descriptione Achaiæ lib.5. Ab Elide dicitur Eleus, Elea, Eleum. Virgilius 3.Georg.
Hic vel ad Elei metas, & maxima campi
Sudabit spatia, & spumas aget ore cruentas.

Elisa, nomen fuit Didonis. Nam Dido lingua Phœnicum virago interpretatur, vt notat Seruius.

Elpenor, vnus è sociis Vlyssis, quẽ Circe mutauit in porcum. Homerus tamen in Odyssea scribit, quòd de scalis cadẽs interfectus sit.

Elysium, secundum poetas, est locus inferorum, voluptatibus plenus: vbi dicuntur esse animæ bonorum. Virgilius,
-sed amœna piorum
Concilia, Elysiúmque colo. Hinc adiectiuũ Elysius, Elysia, Elysiũ.

E M

Emathia (inquit Seruius) Thessalia est, ab Emathio rege dicta. Virgil.1.Georg. Nec fuit indignum superis, bis sanguine nostro Emathiam, & latos AEmi pinguescere campos.

Emerita Augusta, vrbs Hispaniæ Lusitaniæ. Strabo Augustam Emeritã vocat, Est hæc vrbs cocco celebris, quod est rubrũ granũ, cuius succo vellera tingũtur, Tyrio splendori neutiquam cedentia, vt Plinius scribit cap.41.lib.9.

Emmaus, Ptolemæo Iudææ vrbs, eidem alio nomine Nicopolis, vbi cognitus CHRISTVS in fractione panis.

Empedocles, philosophus & poeta Agrigentinus de rerũ natura versibus scripsit, vt apud Romanos Lucretius. Discipulus fuit Pythagoræ, & inuentor Rhetoricæ. Is noctu à sociis clàm discedẽs, in ardentem caminum montis AEtnæ se demisit, vt deus immortalis haberetur: sed ferreæ eius crepidæ ex camino per flammam reiectæ, rem patefecerunt. Horatius,
-deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem feruidus AEtnam Insiluit.

Emporiæ, vrbs Hispaniæ Tarraconensis Ptolemæo. Vulgo Castellon Dempurias.

Enceladus, Gigas, Terræ filius, fulmine ictus à Ioue, & sub AEtna monte sepultus. Virgil. lib. 3. AEneid.

Fama est, Enceladi semustum fulmine corpus
Vrgeri mole hac: ingentémque insuper AEtnam
Impositam, ruptis flammam expirare caminis, &c.

Endymion, multa ad Lunæ motum pertinentia primus deprehẽdit, vt tradit Plinius cap. 9. lib. 2. & ob id amore eius captus fama traditur. Ouidius libro de arte amandi tertio,

Latmius Endymion non est tibi Luna pudori. Endymionis meminit & Cicero Tuscul. quæst. lib. 1.

Enipeus, auriga Hectoris à Diomede occisus, apud Homerum.

Enipheus, mons Thessaliæ. De quo scribit Lucanus,

Sanguine Romano quàm turbidus ibit Enipheus.

Enna, oppidum, Siciliæ vmbilicus. De qua Cicero in Verrem, Vetus est (inquit) opinio, Iudices, quæ constat ex antiquissimis Græcorum literis atque monimentis, Insulam Siciliam totã esse Cereri & Liberæ consecratam. Hoc cum cæteræ gentes sic arbitrantur, tũ ipsis Siculis tã persuasum est, vt animis eorũ insitum, atque innatũ esse videatur. nam & natas esse has in his terris deas, & fruges in ea terra primùm repertas arbitrantur: & raptam esse Liberam, quã eandem Proserpinam vocant, ex Ennensiũ nemore: qui locus quòd in media est insula situs, vmbilicus Siciliæ nominatur. Hactenus Cicero. Habuit igitur iuxta Ennam, augustissimũ templum Ceres, à quo Ennæa dicta. Silius lib. primo,

Nec Cerere Ennæa, Phario nec dicta colono. Ennææ Cereris simulachrum tale fuit; vt homines cũ viderent, aut ipsam videre se Cererem, aut effigiem Cereris non humana manu factã esse, sed cælo delapsum arbitrarentur. Author in 7. actione contra Verrem Cicero. Enna vulgo, hodie Anna. Vnde Proserpina à Plutone rapta.

Ennius poeta, quem Rudiæ genuere vetustæ, vt ait Silius. Rudiæ, ciuitas est Calabriæ: sed Eusebius Tarentinũ eũ facit, dicitque à Catone Quæstore Romam translatum, in Auentino habitasse, ac vnius ancillæ ministerio contentũ fuisse. Scipionis etiã Africani familiaris erat, quẽ in bellis semper comitabatur, & in sepulchro Scipionũ putatur esse constitutus. Sequutus est M. Fuluiũ nobiliorem ab bellum AEtoliũ, cuius filiũ erudiit. Ab hoc & Cato senex dicitur Græcas literas didicisse. Scripsit plurima, inter quæ Annales: Bellũ Punicũ secundũ hexametris, quæ sanè non extant. ex iis nonnulla Macrobius, quæ Virgilius ab eo est mutuatus, manifestat. Nã dicere solebat, se aurum ex Ennii sterquilinio colligere. Elogium

eius sepulchri scribit Cicero in primo Tuscul.quæst.

Aspicite ô ciues, senis Ennii imaginis formam.

Hic vestrum panxit maxima facta patrum. Mercedem gloriæ flagitat ab iis, quorum patres affecerat gloria. Idémque,

Nemo me lachrymis decoret, nec funera fletu

Faxit. cur? volito viuu' per ora virum. Ennius alter fuit grammaticus qui duos libros de literis ac syllabis & metris cõscripsit, vt author est Tranquillus.

Ennosigæus, Neptuni epitheton apud poetas, quasi terram concutiens. Iuuenalis, Ipsum compedibus qui vinxerat Ennosigæum.

Enona, Ptolemæo, vrbs Dalmatiæ. hodie Nona.

Enope, vrbs propinqua Pylo sub ditione Agamemnonis.

E O

Eous, est oriens, vel Aurora. Virgil. Aut cũ sole nouo terras irrorat Eous. Accipitur etiã adiectiuè. Lucanus, Tradimus Hesperias gẽtes, aperimus Eoas. Id est orientales. Scribitur etiam quandoque per diphthongum æ. Virgil. AEoásque domos Arabum.

E P

Epaminondas, Thebanorum dux præstantissimus, cum quo (inquit Trogus) Thebanorum gloria & nata est & extincta. Tandem apud Mantineam cum Lacedæmoniis cõgressus, vicit, & cecidit, vt scribit Cicero in epistola ad Luceium: Quem enim nostrũ (inquit) ille moriens apud Mantineam, Epaminondas, non cum quadã miseratione delectat? qui tũ denique sibi auelli iubet spiculum postea quam ei percontanti dictũ est clypeum esse saluum: vt etiã in vulneris dolore æquo animo cum laude moreretur. Hæc Cicero. De Epaminonda Trogus lib. 6, & Plutarchus in Parallelis.

Epaphus, Iouis & Isidis vel Ius filius, cuius meminit Ouidius in metamorphosi.

Epeus, Troiani equi faber, dicente Virgilio AEneid. 2, Et ipse doli fabricator Epeus.

Ephesus, Ioniæ vrbs, insignis quõdam famæ, & Dianæ spectatissimo templo, tum & clarorum virorum, quorum genitrix fuit, dignitate, ab Androcho Codri Atheniensium regis filio condita, vt ex Pherecide scribit Strabo. Iustinus lib. 2. ab Amazonibus conditam scribit. quod ipsum & Plinius lib. 5. confirmat. Eius alũmnus Heraclitus fuit cognomento Scotinus. hoc ipso cõmendabilis, quod cum Hermodorum virum probatissimũ in exilium ob iustitiæ & virtutis amorẽ, actũ vidisset, omnes Ephesios dignos esse dixit qui strangularentur, vt scribit Strabo.

Ephialtes & OEtus, Neptuni filii (inquit Seruius) nouem digi-

tis singulis crescebant mensibus,qua freti altitudine cælum voluerunt euertere:sed confixi sunt sagittis Apollinis & Dianæ. De quibus Virgilius 1.Georgic. Et coniuratos cælum rescindere fratres Ter sunt conati imponere Pelio Ossam,
Scilicet atque Ossæ frondosum inuoluere Olympum.

Ephyra,nympha Oceani & Tethyos filia. De qua Virgilius lib. 4.Georgic.meminit. Ephyra item,vrbs Achaiæ,quæ postea Corinthus dicta est,in qua pulcherrima & artificiosissima ex ære fiebant vasa.Virg.1.Georg.Illusásque auro vestes,Ephyreiáque æra.

Ephyris, vrbs Laconiæ,teste Herodoto.

Epicharmus,Siculus poeta comicus & philosophus, Pythagoræ auditor,scripsit de natura rerum & medicina cõmentarios. Epicharmi sententiam de morte refert Cicero libro primo Tuscul. quæst.Sed tu mihi videris (inquit) Epicharmi acuti, nec insulsi hominis, vt Siculi,sententiam sequi. Sed quæ tandem est Epicharmi ista sententia? Emori nolo,sed me esse mortuum nihil existimo.

Epicurus Atheniẽsis,ãnos natus quatuordecim,philosophari cœpit in hortis,vt est author Demetrius Magnesius:summum bonũ nõ vt Aristippus in voluptate corporis, sed in doloris vacuitate ponebat. Dialecticam damnabat, quando philosophia simplicibus ac propriis rerum vocabulis comprehendi posset. Deos & prouidentiam & officiũ in vita tollebat.Metrodorum Lampsacenum vnicũ in vita comitem & familiarissimũ habuit. Auditor fuit Xenocratis.Author Diogenes Laertius.

Epidamnum,vrbs:postea Dyrrhachium dicta.

Epidaurum, Achaiæ vrbs,supra Corinthum sita. de qua Plinius lib.4.cap.quinto, In Saronico (inquit) Epidaurum oppidum, AEsculapii delubro celebre. Fuit hic Podalirii & Machaonis parens medicus maximus & doctissimus, óbque artis præstãtiam in deorum numerum relatus,cum Apollinis filius existimatus esset.Vetustas ei dicauit anguem, quòd multa huic animali remedia insint, vt scribit Plinius libro 29. cap.4, Atqui anguis AEsculapius Epidauro Romam aduectus est. de quo Valerius in miraculis lib. 1. scribit.Epidaurus hodie,vulgo Ragusia.

Epii,populi sunt qui Elidentes postea dicti sunt,authore Tortelio.

Epiteon,Nelei filius,vt est in Græcis commentariis Apollonii.

Epimethus,filius Iapeti, & frater Promethei,pater Pyrrhæ.

Epimenides Cretensis, tempore Pythagoræ, vt Apuleius scribit 2.Floridorum,missus à patre Agisarcho in agrum ad custodiẽdum pecus, in quodã antro obdormiuit annos L X X V. Tandẽ à somno excitatus, cum videret omnia mutata,domũ reuersus,à fratre om-

nia didicit. Quamobrem pro deo est habitus. Idem Atheniensibus pestilentia laborãtibus dixit ciuitatem purgari, expiaríque oportere. Itaque cum rogatus eò venisset, iussit oues albas atque nigras apud Areopagum immolari. Reuertens deinde domum, oblatam ab eis pecuniam renuit. Meminit huius Plato in primo & tertio de legibus. Suidas item de ipsius somno mentionem facit, indéque manasse prouerbium.

Epirus, regio inter Illyricum & Macedoniam: à qua populi Epirotæ dicti. De ea multa Strabo lib. 8.

Epistropus, Phocidis rex, vnus ex Græcorum ducibus qui venerunt ad Troiam, vt scribit Homerus lib. Iliad. 2.

Eporedia, Salasiorum vrbs, authore Ptolemæo: hodie Hiaurea.

Epy, vrbis nomen, de qua Statius, Et summis ingestum montibus Epy.

EQ

Equestris Ptolemæo, Sequanorũ ciuitas in Gallia: vulgo Neufchastel.

ER

Erasinus, Achaiæ fluuius, in sinu Argolico, vt scribit Mela. Is terras subit, rursúmque redditur: sicut in Asia Lycus, in Mesopotamia Tigris, Plinio. Ouidius lib. Metamorph. 15,

Sic modo combibitur recto quoque gurgite lapsus,
Redditur Argolicis ingens Erasinus. Lege Herodotum lib. 6. vbi de Cleomene.

Erate, nympha, Oceani filia.

Erato, a correpta, est vna musarum, & interpretari potest amabilis. Nonnunquam pro Calliope ponitur. vt Virgilio lib 7. AEneid. Nunc age qui reges Erato, &c. Seruius.

Eratosthenes Cyrenæus, Aristonis Chii & Callimachi poetæ discipulus, Plato minor à quibusdã ob doctrinam vocitatus, præfuit bibliothecæ regiæ. scripsit præter philosophiam poemata, historias, Astronomica, de sectis dialogos. Author Suidas.

Erebus (inquit Seruius apud Virgilium in 6.) pars est inferorum in qua hi, qui bene vixerunt, morantur. Nam ad Elysium nonnisi purgati perueniunt. Virgilius, Ad genitorem imas Erebi descendit ad vmbras.

Erembi, populus ferus in finibus Arabiæ, in specubus montium nudus, & sine opibus degens, vt scribit Strabo.

Eretria, Eubœæ insulæ vrbs clarissima, vt scribit Põponius Mela lib. 2. Huius etiam meminit Homerus lib. 2. in catalogo nauium.

Ereuthalion, viri proprium quem Nestor interemit, dixítque il-

lum cum miraculo corporis, tum excellentia armorum præcipuũ in bello Pyliorum & Arcadum fuisse.

Erganica Ptolemæo, Hispaniæ vrbs, Erganicium hodie.

Ergasylus, nomen viri proprium Tortelio.

Erginus, Thraciæ fluuius, authoribus Plinio & Pomponio Mela lib.2.in descriptione Thraciæ.

Eribœa, Macedoniæ vrbs Ptolemæo, vulgò Pressa. Euribœa item dicitur Iuno, Mercurii nouerca, apud Homerum lib.5. Iliad.

Ericis, portus Ptolemæo, Liguriæ oppidum, Plinio Delphini portus. Vulgò Finus port.

Ericthæus, idem Erichthonius. de quo sic Seruius scribit, Vulcanus (inquit) impetrato à Ioue Mineruæ coniugio, illa reluctãte, effectum libidinis proiecit in terram: inde natus est puer draconteis pedibus, qui appellatus est Erichthonius, quasi de terra & lite procreatus. nam ἔρις, est lis: & χθὼν, terra. Hic ad tegendam pedum fœditatem, iunctis equis vsus est curru, quo tegeret sui corporis turpitudinem. Virgilius 3. Georgic.

Primus Erichthonius currus, & quattuor ausus
Iungere equos: rapidísque rotis insistere victor.

Idem fuit Athenarum rex, & argenti inuentor secundum Plinium.

Eridanus (inquit Seruius) Solis filius fuit: hic à patre impetratum currum agitare non potuit. Et cum eius errore mundus arderet, fulminatus, in Italiæ fluuium cecidit: & tunc à luce ardoris sui Phaeton appellatus est, & pristinum nomẽ fluuio dedit. Vnde mixta hæc duo nomina inter Solis filium & fluuium inuenimus. Postea eius sorores flendo in populos versæ sunt. Hæc Seruius, & alia præterea multa de Eridano, explicans illud Virgilii in 6,

Inter odoratum lauri nemus, vnde supernè
Plurimus Eridani per syluam voluitur amnis.

Eridanum in cælo etiam Aratus esse dixit, stellam Arieti proximam,

Nanque etiam Eridanum cernes in parte locatum
Cæli, funestum magnis cum viribus amnem,
Quem lachrymis mœstæ Phaetontis sæpe sorores
Sparserunt, lætum mœrent voce canentes.

Erigone, filia Icarii, & soror Penelopes: quæ patrem suum à rusticis ebriis occisum ita luxit, vt seipsum præ dolore suspenderit. Sed miseratione deorum mutata fuit in cæleste signum, quod virgo dicitur. Virgilius 1. Georg.

Qua locus Erigonem inter, Chelásque sequentes
Panditur, &c.

Eriphia, venefica fuit & fascinatrix: quæ siquod animal aspexit-

ſet, illi protinus aliquid mali accidebat. De qua vide Eraſmum in prouerbiis.

Eriphyle(inquit Seruius) Amphiarai auguris, Argiui vxor fuit, quæ latentē bello Thebano maritū Polynici prodidit: monili accepto, quod antè vxori dederat: qui ductus ad præliū hiatu terræ periit:cuius filius Alcmeon poſtea matrem necauit,& eſt Oreſtis furore correptus.Hæc Seruius,enarrans illud Virgilii in 6,

His Phædram,Procrimque locis,mœſtámque Eriphylen,
Crudelis nati monſtrantem vulnera cernit,
Euadnénque & Paſiphaen.

Ereſichthon,Theſſalus fuit,qui Cererem ſpernens,& eius lucum ſuccidens,tam famelicus factus eſt, vt propria membra præ fame comedere coactus ſit.vide apud Ouidium lib.8.Metam.

Eriphyſa,inſula vna ex AEoliis.

Eriſitos, nomen viri qui Cererem prorſus aſpernabatur.

Eros,comœdus fuit,cuius meminit Cic. in oratione pro Roſcio Comœdo,Quod item nuper(inquit)in Erote Comœdo vſu venit: qui poſtea quàm è ſcena non modo ſibilis , ſed etiam conuitio explodebatur, ſicut in aram confugit in huius domum, diſciplinam, patrocinium,nomen.Hæc Cicero.

Erycina,Veneris epithetō:ſic enim dicta eſt ab Eryce Siciliæ mōte in quo celebre tēplū habuit. Horat.Siue tu mauis Erycina ridēs.

Erymanthus, eſt mons ſyluoſus Arcadiæ, vbi ingentem aprum Hercules cepit.Eſt etiam fluuius ab illo monte defluens. Erymāthi meminit Virgilius lib.6.AEneid.

Fixerit æripedem ceruā licet,aut Erymāthi Placarit nemora,&c.

Erythræum mare,id eſt rubrum mare. Nam ἐρυθρὸς Græcè ruber dicitur. Eryx vide ſuprà in dictione ERYCINA.

E S

Eſis,Italiæ fluuius non procul à Rauenna.de quo Plinius cap.13. lib.3,In ora(inquit)flumen Eſis, Senogallia,Metaurus fluuius,&c.

Eſſedones, in Aſia populi: hi Scythiam vtranque incolunt,ſuper Mæotin habitantes,non procul à Riphæis montibus, vt author eſt Plinius cap.12.lib.4.

E T

Etearchus, rex fuit Oaxis vrbis Cretæ.

Eteocles,filius OEdipi regis Thebarū,qui cū Polynice fratre ſuo ita conuenerat,vt alternis annisregnarent.Sed Eteocles anno finito fratri regno cedere noluit.QuarePolynices Adraſtū regē Argiuum ſocerū ſuū,& alios principes Achaiæ armauit cōtra Eteoclē.In quo bello cū multi vtrinque occiſi eſſent,tādē fratres ipſi mutuis ſe vulnerib⁹ cōfecerūt. Quorū cadauera cū rogo eſſent impoſita, flāmæ

diuisæ sunt,tanquã illorũ nondũ cessarẽt odia.Statius in Thebaide.

Ethemon,nomẽ viri proprium,de quo Virgilius lib. AEneid.10. meminit, cum ait, Et clarus Ethemon Lycia comitatur ab alta.

E V

Euan,Bacchus dicitur (inquit Seruius) enarrans illud Virg.in 6, Illa chorum simulans,Euanteis orgia circum Ducebat Phrygias.

Euãder,Mercurii filius,domi seditionib⁹ excitatis impulsus,Arcadia relicta Italiã petiit, Pallãteúmq; cõdidit à Pallãte filio, qui pro AEnea contra Turnum pugnans occubuit.Pallanteum autem,siue Pallantea in eo loco extructa est,vbi nunc Romæ palatium,Virgilio authore, Tum rex Euandrus Romanæ conditor arcis.

Euadne, Martis filia ex Thebe vxore Asopi, vxor Capanei ducis,quem adeò dilexit,vt in rogum eius se miserit,& cum illius cadauere fuerit exusta.Huius meminit Virgilius in 6,
His Phædram,Procrímque locis,mœstámque Eriphylen
Crudelis nati,monstrantem vulnera cernit,
Euadnénque & Pasiphaen.

Eubœa (inquit Plinius cap.12. lib.4.) insula auulsa Bœotiæ,tam modico interfluente Euripo vt põte iungatur,ad meridiẽ promontoriis duobus,Geresto ad Atticam vergente,& ad Hellespõtum Caphareo insignis, à Septentrione Ceneo nusquam latitudinem vltra X L M passus extendit,&c.Hæc Plinius. De Eubœa vide Solinum cap.18. Eubœa hodie Nigri ponti insula dicitur.

Eubulus,Atheniensis ciuis,Demostheni sæpe aduersatus,vt ex ipsius in Midiam oratione notum est. Fuit & Eubulus,mediæ Comœdiæ poeta,vt scribit Suidas.

Euchion,Bacchum cognominant poetæ, ἀπὸ τῆς εὐχῆς,id est à voto,vt notant grammatici,inter quos Sipontinus.

Euclides Megarẽsis,philosophus,auditor Socratis,& insignis geometra qui è patria Athenas veniebat,vt Socratẽ audiret,& tempore belli veſtitu muliebri induebatur ne nosceretur. Huius meminit Cicero in Academ.quæst.lib.4,Pòst Euclides(inquit)Socratis discipulus Megareus,à quo iidem illi Megarici dicti,qui id bonum solum esse dicebant,quod esset bonum & simile,& semper idem.

Eudæmon Arabia,fœlix Arabia dicitur apud Pomponium lib.2. εὐδαίμων enim fœlicem significat.

Eudæmonidas,nomen viri proprium Tortelio.

Eudamidas,Archidami fili⁹,& frater Alcidis,authore Plutarcho.

Eudemus,orator Megalopolitanus, Philopœmenis ducis præceptor,vt scribit Plutarchus in Philopœmene.

Eudora,nympha Oceani & Tethyos filia,teste Hesiodo.

Eudorus, Mercurii filius, & Polymelæ filiæ Phylantis, vt scribit Homerus in Iliade.

Eudoxus Gnidius, astrologus nobilis, cuius meminit Cicero in lib. de diuin. 2, Ad Chaldæorum (inquit) monstra veniamus, de quibus Eudoxus, Platonis auditor, in astrologia iudicio doctissimorū hominum facile princeps, sic opinatur: id quod scriptum reliquit Chaldæis in prædictione & notatione cuiusque vitæ ex natali die, minime esse credendum. Hæc Cicero.

Euemenius, vir Cardianus magnæ virtutis, qui ad amicitiam Philippi Macedonis accessit, & breui tempore in intimam familiaritatem eius peruenit, quam cum Alexandro continuauit. De hoc multa in Græcorum historiis.

Euenetus, Lacedæmoniorum dux, qui ad custodiendū introitum Thessaliæ contra Xerxem vnà cum Themistocle Atheniēsium duce à Græcis constitutus est, vt scribit Herodotus lib. 2.

Euenus, philosophus, qui ignem, optimum ciborum condimentum esse dicere solebat, vt refert Plutarchus. Euenus item, AEtoliæ fluuius est, non procul à Calydone, vt author est Plinius lib. 4.

Euganei, Italiæ populi, à Venetis suis sedibus pulsi. Euganei traxerunt nomen à generis præstantia, vt scribit Plinius cap. 20. lib. 3.

Euhyus, Bacchus cognominatur poetis, & interpretatur bonus filius. Horatius, Curas edaces dissipat Euhyus.

Eumæus, subulcus qui Vlyssem post longos labores in domum patris conduxit, Homero authore.

Eumenides (inquit Seruius) per antiphrasim dicūtur, cum sint immites: furiæ sunt infernales, Noctis filiæ, & Terræ sorores. Author Virgilius 6. AEneid.

-ipse atri velleris agnam
AEneas matri Eumenidum, magnæque sorori
Ense ferit: sterilémque tibi Proserpina vaccam.

Eumilus, vnus fuit ex Græcis ducibus, qui ad Troianum bellum profecti sunt.

Eumolpus, nomen Atheniensis viri, quem Suidas Musæi poetæ filium fuisse scribit: versificator ante Homerum fuisse traditur, ab hoc Eumolpidas, sacrorum quorundā præsides dictos volunt, quorum meminit AEschines in oratione contra Ctesiphontem.

Euphorbus Troianus, Panthi filius, qui Patroclū vulnerauit, interfectus ab Achille, vt est apud Homerum.

Euphorion, poeta antiquus, valde obscurus, cuius meminit Cicero lib. de natura deorū 2, Quid (inquit) poeta nemo: nemo Physicus obscurus: ille verò nimis etiā obscurus Euphorion, at nō Homerus.

Euphranor, ſtatuarius & pictor inſignis apud Plinium. volumina quoque compoſuit de ſymmetria & coloribus:opera eius commemorat Plinius.

Euphrates,philoſophus grauiſſimus temporibus Adriani principis,voluntaria morte exceſſit è vita,veniam ei dãte Adriano, vt citra ignominiam & infamiam, cum propter ſenectutẽ, tum etiam propter grauem morbum,cicutam bibere poſſet,authore in Adriani vita Dione. Euphrátes,fluuius Aſiæ,media producta,cõtra vulgi vſum.Extat diſtichon elegans in verſificatorem qui edito carmine penultimam corripuerat,

Venit ad Euphraten,vndis perterritus hæſit:

Vt cito tranſiret,corripuit fluuium. De Euphrate vide Plinium cap.24.lib.5.Pomponiũ lib.3.& Solinum cap.50. Euphrates Meſopotamiam fertilem efficit,in quam quotannis quaſi nouos agros inuehit.Hæc Cicero de natura deorum lib.2. Euphrates,Aſſyriorum lingua,Almachar dicitur.

Euphroſyne,vna de tribus Gratiis,& interpretatur lætitia.

Euproſopon, promontorium Phœniciæ ad Byblon vrbem. Nomen habet ab inſigni aſpectu. nam Græcis εὐπρόσωπος dicitur, qui bello eſt aſpectu.Vadianus.

Euripides,Athenienſis poeta Tragicus, natus quo die Xerxes rex ab Athenienſibus fugatus eſt.Fuit primùm in Rhetorica Prodici diſcipulus, deinde Socratis in philoſophia,ad Tragœdiam cõuerſus: ſecutus eſt Anaxagoram: Athenis diſcedens venit ad Archelaum, Macedoniæ regem,apud quẽ in honore fuit,à Venere omnino abſtinẽs, ex quo μισογύνης,id eſt oſor mulierũ,dictus eſt. duxit tamen vxores duas.Exceſſit noctu,diſcerptus à canib',annũ agẽs LXXV. Eius oſſa Pellam tranſlata.iuſſu regis ſcripſit fabulas LXXV: vicit quinque,vt eſt author Suidas. De eius genere,vita,moribus,morte,& ſepulchro ſcribit Gellius cap.20.lib.15.

Euripus, media producta, eſt pars maris inter Eretriam & Oropũ Bœotiæ,vbi fluctus ſepties quotidie ſic reflectitur,vt plenis velis currẽtes retrahat ſecum. vide Liuium lib.8.Decad.3.Thucydidem lib.8. De Euripo ſic Pomponius Mela lib.2,Euripum(inquit)vocant rapidum mare, & alterno curſu ſepties die ac ſepties nocte fluctibus inuicem verſis,adeò immodicè fluens,vt ventos etiã ac plenis velis nauigia fruſtretur.Hæc Mela. Euripi pro ductib' aquarũ accipiuntur,vt eſt apud Ciceronem lib.1.de legibus:Ductus verò aquarum(inquit)quos iſti Nilos & Euripos vocant,&c.

Eurus,ventus eſt flans ab Oriente,vt notat Seruius apud Virgilium lib.AEneid.2,

Aduersi rupto ceu quondam turbine venti
Confligunt, Zephyrúsque, Notúsque, & lætus Eois Eurus equis.

Eurotas (inquit Seruius) fluuius Laconū qui ab Apolline instructus suas edocet lauros, quibus eius plenæ sunt ripæ. Hæc ille, enarrans illud Virgilii in Sileno,

Omnia, quæ Phœbo quondam meditante beatus
Audiit Eurotas, iussitque ediscere lauros.

Eurôpa, o longa, filia Agenoris, regis Phœnicum, quam Iupiter forma bouis, aut vituli, raptam abduxit in Cretam. Est etiā tertia pars orbis, incipiens à Tanai vel Hellesponto, & desinens in Atlanticum fretum. Eam Plinius lib.3, altricem victoris omniū gentium populi, terrarúmque pulcherrimā nominat, Asiæ & Africæ aliquando non magnitudine, sed virtute cōparatā. Vnde huic terræ nomen accesserit, aut quis eius extiterit author, à nemine mortaliū cōpertū esse ait lib.4. Herodotus. De Europæ laudib9 Strabonē legito li.3.

Eurydice, vxor Orphei, pro qua recuperanda ferunt Orpheum ad inferos descendisse.

Eurystheus, rex fuit Græciæ, Persei genus, qui Iunonis instinctu imperabat Herculi, vt varia monstra superaret, quibus posset perire. vnde eum durum appellauit Virgilius, qui potuit ad complendum odiū nouercale sufficere. Hæc Seruius enarrās illud poetæ 3. Georg.

Omnia iam vulgata. Quis aut Eurysthea durum,
Aut illaudati nescit Busiridis aras?

Eurythus, rex OEchaliæ, Ionen filiā denegauit Herculi antè promissam, ideo quòd eum fuerat filius dehortatus, dicens ab Hercule & Megæram vxorē, & ex ea filios interemptos: quod factum fuerat Iunonis instinctu. Vnde iratus Hercules propter nuptias sibi denegatas, euersa ciuitate interemit Eurythum, & Ionen filiam sustulit. Hæc Seruius apud Virgilium lib.8. de Hercule,

Vt bello egregias idem disiecerit vrbes:
Troiámque, OEchaliámque: vt duros mille labores
Rege sub Eurystheo fatis Iunonis iniquæ Pertulerit.

Eurytion, artificis nomen est apud Virgilium in 10. Is Pallantis, Euandri filii, arma fabricauerat, vt est author Virgilius,

Quæ bonus Eurytion multo cælauerat auro.

Euterpe, vna est Musarum, sic dicta παρὰ τὸ ἀτέρπειν, quod est delectare.

Euxinus pontus (inquit Plinius) antea ab inhospitali feritate Axenos appellatus est. Ouidius lib. Tristium 4,

Frigida me cohibent Euxini littora ponti:
Dictus ab antiquis Axenus ille fuit. Euxenus, Græcis ἄξενος

inhospitalis dicitur. Ἄξενον pontum dixere mutatis nominibus hospitaliorem factum. Ammianus lib.2, Heniochi (inquit) Sindi & Achæi intendente sæuitiam licentia diuturna, indidere mari nomen inhospitali: & à contrario per cauillationem, pontus Euxinus appellatur. Ouidius,

Quem tenet Euxini mendax cognomine pontus.

E X

Exampeus, Scythiæ fons inter Borysthenen & Hypanim flumina, de quo Herodotus lib.4: sic scribit, Inter Borysthenen (inquit) & Hypanim flumina, locus est nomine Exampeus, ex quo hic amarus fons ortum habet & nomen.

Exquiliæ, multitudinis numero tantum, mons erat Romæ ab excubiis regis: vel quòd excultæ fuerint à Tullo rege, sic dictæ. Author Ouidius libro primo Fastorum,

Adde quòd excubias vbi rex Romanus agebat,
Qui nunc Exquilias nomine collis habet.

F A

FABARIS (inquit Seruius) Italiæ fluuius, qui per Sabinos transit. Virgilius,

Qui Tyberim, Fabarímque bibunt: &c. Fabaris, eodem Seruio authore, etiam Farfarus dicitur. Plautus,

Dissipabo te tanquam folia Farfari. Ouidius,

Et amœnæ Farfarus vmbræ.

Fabius: Trecenti (inquit Seruius) in Fabiorũ familia fuerũt, qui cõiurati cũ seruis & cliẽtibus suis, cõtra Veientes dimicarũt, & insidiis apud Cremerã fluuiũ interempti sunt. vnus tantũ superfuit Fabius Maximus, qui propter teneram adhuc pueritiã in ciuitate remãserat. Hic postea cũ Annibalis impetum ferre non posset, mora eum elusit, & ad Campaniam traxit, vbi deliciis eius virtus obtorpuit. Ille est de quo ait Ennius,

Vnus homo nobis cunctando restituit rem. Hæc Seruius grammaticus, illud Virgilii libro AEneid.6. explicans,

Quò fessum rapitis Fabii? tu maximus ille es:
Vnus, qui nobis cunctando restituis rem. Fabius pictor, homo nobilissimus, iuris & literarũ antiquitatis benè peritus, vt est author Cicero in Bruto.

Fabritius, consul Romanus, qui cõtra Samnites & Pyrrhum regem bella gessit, valde sobrius & fidelis. Nam munera hostium spreuit, & regis medicum ei pollicentem necem domini sui, ligatum remisit ad regem, scribens etiam quid ille facere voluisset. Vide Ciceronem libro tertio Officiorum.

Fabritianus, matrem Fabiam interfecit, quòd illa Fabium Fabritianum maritum suum occidisset, vt liberius adulterium cum Petronio adolescẽte committeret. Author Dositheus apud Plutarchũ.

Fadius, Pompeianus miles, cuius meminit Asinius Pollio lib. Epistolarum 10.

Falacrium, promontoriũ Siciliæ, teste Ptolemæo: hodie Melazo.

Falernus, regio Campaniæ est, in qua colles vitiferi sunt, generosissima vina proferentes. Author Varro. Vulgò Montflascon.

Falisci, populi sunt Hetruriæ, quos Virgilius æquos appellauit. Quia populus Romanus (inquit Seruius) missis decẽ viris inde multa iura collegit: & nonnulla supplementa duodecim tabularum accepit. Nam ab Atheniensibus decem habuerunt tabulas. Hæc Seruius explicans illud Virgilii,

Hi Fescenninas acies, æquósque Faliscos. Falisci habuerunt vrbem Falerios, quam Camillus dux obsedit. Author Liuius.

Fanestris, Colonia Pomponio est, quam Plinius Fanum fortunæ appellat, cap. 14. lib. 3. & item Ptolemæus lib. 3. Porrò ea colonia sita est non procul à flumine Metauro, vt idem Plinius author est eodem capite 14. lib. 3.

Fannii, inter oratores Ciceroni numerantur in Bruto, Horum (inquit) ætatibus adiuncti duo C. Fannii, C. Marci filii fuerũt: quorum C. Fannius, qui C O S. cum Domitio fuit, vnam orationẽ de sociis & nomine Latino, contra Gracchum reliquit, sanè & bonam & nobilem. Alter autem C. Fannius M. F. C. Lælii gener, & moribus, & ipso dicendi genere durior. De his plura apud Ciceronẽ in Bruto.

Fanum fortunæ, vrbs Senonum in Italia, authore Ptolemæo. Fano vulgó.

Fanus, deus qui eũtibus præerat, vel deus anni. Cuius imaginem cum Phœnices vellent exprimere, draconem finxerunt in orbem redactum, caudámque suam deuorantem, vt appareat mundum in se resolui. Macrobius.

Fauentia, Hispaniæ oppidum, vt author est Plinius cap. 1. *lib. 3.*

Fauentini, Italiæ populi in octaua regione Fidẽtinis vicini, vt scribit Plinius cap. 15. lib. 3.

Faunus, antiquissimus Aboriginum rex in Latio, filius Pici, deus habitus post mortem. Item Fauni dicũtur à poetis dii agrorum, & syluarum, quorum voces sæpe exauditas esse scribit Cicero lib. 2. de natura deorum.

Fauonius, vide infra in dictione Z E P H Y R V S.

Fauorinus, philosophus Arelate oriundus, Dionis auditor fuit, præterea eunuchus, & Adriano principi infesus. Ideo tria de se mi-

ra narrare solebat,se Gallum græcissare,eunuchum mœchum putari, & inimicum imperatori viuere.Ob quam causam statua eius disiecta Athenis,vbi viuebat. Hunc Herodes Atticus patrē solebat appellare, hæresque librorū ab eo factus est. Hæc ex Philostrato. Gellius huius sæpe meminit.AElianus de varia historia,dicit hunc quandoque in disputatione quadam Adriano cessisse, admirātibúsque proximis,Nónne cedam (inquit) ei qui X X habeat legiones?

Faustulus pastor,Accæ Laurētiæ maritus,quæ Romulum & Remum inuentos à Faustulo,aluit,vt scribit Seruius in 1.AEneid.

Faustus,Syllæ filius. Faustus item Quintilius senator tēpore Iuliani principis. Faustorum Catalogum require apud Volaterranū.

F E

Felsina,vrbs Italiæ,postea Bononia appellata,vt scribit Plinius capite 15.lib.3. in descriptione octauæ regionis Italiæ: Intus (inquit) colonia Bononia,Felsina vocitata,cum princeps Hetruriæ esset.

L. Fenestella, historicus, sæpe à Plinio citatur testis. mortuus est Cumis Augusti tempore,vt tradit Eusebius.

Ferentum,oppidū Sabinorum in Italia,à quibus Ferentani dicti.

Feronia,nemoris dea,à ferendis arboribus.Tradunt enim cū nemus eius aliquādo fortuitò arsisset incēdio, & ob id transferre inde simulachrum incolæ vellent,subito nemus euiruisse. Virgilius, Et viridi gaudens Feronia luco. Fuit & Feronia, Campaniæ oppidū sub monte Soracte iuxta Tarracinam,vt notat Perottus.

Ferentia,Tuscorum vrbs,Ptolemæo,hodie Ferentium.

Ferraria,vrbs Italiæ,ad Padū fluuiū sita. Est & Ferraria,Hispaniæ promontorium,Carthaginem versus, sic ab accolis cognominatum, quòd ferrarias effossiones admodum feraces habeat. Vide Pomponium Melam in descriptione Hispaniæ lib.2.

Fescennina,Plinio ciuitas est Hetruriæ,vbi epithalamia,id est nuptialia carmina dicuntur primùm inuēta, quæ ideo Fescennina vocantur.Author Seruius.

Festus,Domitiani amicus, qui dum mentagra vsque ad desperationem laboraret,gladio se traiecit,prius tamen amicos consolatus.Eius mortem Martialis lib.1.sic describit,

Indignas premeret pestis cum tabida fauces,
Inque ipsos vultus serperet atra lues,
Siccis ipse genis flentes hortatus amicos,
Decreuit Stygios Festus adire lacus.
Nec tamen obscuro pia polluit ora veneno,
Aut torsit lenta tristia fata fame:
Sancta Romanam vitam sed morte peregit,

Dimisitque animam nobiliore via.
Hanc mortem fatis magni præferre Catonis
Fama potest, huius Cæsar amicus erat.

Fesulæ Fesularum, vrbs olim Hetruriæ, non procul à Florentia. Nunc vicus modicus, licet episcopalem sedem retineat.

F I

Fidenates, populi Sabinorum in Italia, authore Plinio lib.3.ca.12.

Fidiculanus Falcula, senator, populi Romani splendor, ordinis decus iudiciorum, exemplar antiquæ religionis. Author Cicero pro Cecinna.

Fidius deus, Iouis filius, à fide dictus, vt nonnullis placet. Plautus, Per deum Fidiũ credis iurato mihi. Fuit apud veteres Romanos in honore maximo, adeò vt templa cũ sacrificiis meruerit. Cultus est à veteribus in Quirinali iugo Nonis Iunii. Ouidius 6. Fastorũ,
Quærebam Nonas Sanco, Fidióve referrem,
An tibi semicaper: tunc mihi Sancus ait,
Cuicunque ex istis dederis, ego munus habebo:.
Nomina terna fero: sic voluere Cures..

Fimbria Romanus, homo longè audacissimus, vt scribit Cicero pro Roscio Amerino: Hominem longè audacissimum (inquit) nuper habuimus in ciuitate C. Fimbriã: & quod inter omnes constat, nisi inter eos qui ipsi quoque insaniunt, insanissimum &c. Is diem Scæuolæ dixit, quòd nõ totũ telum corpore recepisset. Hæc Cicero.

Firmum castellum, Pomponio & Straboni: Firmium, Ptolemæo: Plinio Firmanorum castellum, vrbs est Italiæ in Piceno. Vulgo Ferino.

F L

Flaminia via, à Flaminio consule dicta, quam strauit lapidibus à Roma Ariminum vsque.

Flaminius, is qui viam Flaminiam strauit, consul cum Annibale pugnans, ad Thrasimenum interfectus est: eius cadauer inter mortuos ab Annibale quæsitum, nec inuentum. Author Liuius lib.22.

T. Q. Flaminius superioris filius annos natus XXX, COS. cũ Sex. Aelio factus, Philippũ Macedoniæ regem prælio fudit, castris exuit. Deinde Thessaliã, quæ est vicina Macedoniæ, iuuãtibus AEtolis & Acarnanibus, vexauit: ciuitates quoq; Græciæ, quæ sub rege Philippo erant, per præconem liberas esse pronũtiauit. Demetrium filium obsidem accepit, quem postea pecunia mulctatum restituit. Ex Plutarcho. L. Flaminius huius frater, vir consularis quidem, sed libidini deditus, is puerum ardebat adeò, vt siue prouincias adiret, siue exercitus duceret, nunquam ab eius latere discederet, cõ-

que quondam in conuiuio aliquem coram se necari cupere dicēte, statim vnum è damnatis securi percuti iussit. Liuius scriptum esse dicit in Catonis oratione, Gallum transfugam cum liberis & vxore venisse, & ab eo epulis exceptum, mox vt scorto quod amabat, obsequeretur, propria manu confossum. Cuius etiam sceleris meminit Cicero de Senectute.

Flauinium, locus est in Italia, vt ait Seruius enarrans illum Virgilii locum,

Hi Soractis habent arces, Flauiniáque arua,
Et Cymini cum monte lacum, lucósque Capenos.

Flauius erat nomen familiæ Romanæ, ex qua erāt Vespasianus, & filius eius Titus, & Domitianus, qui à Ioue dicitur Flauius. Flauiorum gentis historiam require apud Tranquillum.

Fleuo, Rheni fluminis ostium, vt scribit Pomponius Mela lib. tertio. Plinius cap. decimoquinto libri quarti, alterum ostiorum Rheni, Fleuum, alterum Helinum appellatum scribit. Cornelius Tacitus lib. 3, Fleuum castellum esse ait prope Rheni in Oceanum exitum, à quo aut sumptum nomen quod alueo daretur, aut certe mox ab alueo natum retentum est.

Flora, meretrix, quæ hæredem pop. Ro. reliquit: vnde Floralia, in eius honorem. Huius meminit Cicero, Habeo (inquit) rationem quid à populo Ro. acceperim, mihi ludos sanctissimos, maxima cerimonia Cereri, Libero, Liberǽque faciendos: mihi Florammatrē populo plebíque Rom. ludorum celebritate placandam. Hæc ille in Verrem actione 10. lib. 7.

Florentia, in Hetruria hodie clarissima, aliquando Fluentia, quòd ad Arni fluenta extructa sit, dicta: & Florentini illic populi Catoni & Plinio, qui nunc Florentini nomine magis auspicato vocantur, vt in quadam ad Scalam suum epistola Politianus scribit. Vulgo Fiorenze, Italis. Florence.

Florianus, imperator qui Tacito successit, dolens Probum militiæ peritum à magna exercitus parte esse electum, sibiipsi venas incidit, effusóque sanguine consumptus est. Author Aurelius.

Florius, fluuius est Galliæ in Hispania. Plinius lib. 4. cap. 20.

Fluonia, Iuno, quam mulieres colebant, quòd sanguinis fluorē in conceptu retinere putabatur. Bocatius.

F O

Focunates Plinio populi sunt in Alpibus, lib. 3. cap. 20.

Fœlicitas, ponitur pro dea quam Romani venerabantur. Augustinus lib. 4. de ciuitate Dei, Quid Fœlicitas? dea est: ædem accepit, aram meruit, sacra ei congrua persoluta sunt.

Fonteia, virgo Vestalis, Fonteii soror cui⁹ meminit Cicero. Prospicite (inquit) ne ignis ille æternus nocturnis Fonteiæ laboribus, vigiliisque seruatus, sacerdotis Vestæ lachrymis extinctus esse dicatur. Hæc Cicero in oratione pro Fonteio.

Fons Solis, in Cyrenaica sic dictus, quòd Solis per cardines motu, calore & algore variatur. Meminere Diodorus, Arrianus, & Herodotus. Ouidius lib. Metamorph. 15,

-medio tua corniger Ammon
Vnda die gelida est, ortúque, obitúque calescit.

Hermolaus duos fontes huiusce ingenii illic esse credidit, Plinii authoritate motus, Iouis (inquit) Ammonis fons interdiu frigidus, noctibus feruet. In Troglodytis fons Solis appellatur dulcis, & circa meridiem maximè frigidus: mox paulatim tepescens, ad noctis media, feruore & amaritudine infestatur. Hæc Plinius lib. 2, cap. 103. Silius lib. 3,

Stat fano vicina, nouum & memorabile, lympha,
Quæ nascente die, quæ deficiente tepescit:
Quæque riget, medium cum sol ascendit Olympum,
Atque eadem rursus nocturnis feruet in vmbris.

Foriculus, deus putabatur qui foribus præerat: sicut Cardinea dea, quæ cardinibus: Limentinus deus, qui limini.

Formiæ, Campaniæ vrbs, sedes olim Læstrigonum, quorũ memoria à nonnullis horridæ dictæ sunt. Nam hi ab humanis visceribus non abstinuerunt, vt eleganter scribit Ouidius lib. Metamor. 14. Formiæ (inquit Seruius) quæ ante Hormiæ, ἀπὸ τῆς ὁρμῆς, id est ab impetu dictæ. Formiæ, Ptolemæo Formæ: hodie Nola.

Formio, Ptolemæo Istriæ fluuius: hodie Cisanus. Vulgo Cesano.

Fortunatæ insulæ, à fructuũ hubertate dictæ sunt. de quibus Strabo lib. 1, sic inquit, Fortunatæ insulæ contra Mauritaniæ finem ad Occidentem sunt. Quam quidẽ ad partẽ & Hispaniæ terminus cõcurrit. Ex ipso autem nomine manifestum est, quoniã & has ipsas fœlices existimabant, quia huiusmodi locis propinquæ forẽt. Hactenus Strabo. Fuerũt autem sex numero, vt tradit Plinius lib. 6, quarum prima Ombrion, secunda Iunonia, tertia eodem nomine, quarta Capraria, quinta Niuaria, à perpetua niue nebulosa, sexta Canaria plena canibus ingentibus.

Forum Bibalorum, Ptolemæo Hispaniæ vrbs, vulgo Fomillan.

Forum Claudii, Centronum ciuitas in Alpibus Ptolemæo, hodie Tarantesa ducis Sabaudiæ. Forum item Claudii, est Tuscorum vrbs Ptolemæo. vulgo Tolfa. Forum Cornelii, Galliæ Togatæ vrbs, authore Ptolemæo, lib. tertio, cap. primo. vulgo Imola.

Forum Cornelium,ciuitas est in Flaminia,quæ & Forum Syllæ, & vulgò vocatur Imola. Forocorneliēsis agri meminit Plinius lib. 3.cap.16. Forum Egurrorum , Ptolemæo, vrbs Hispaniæ Tarraconensis. vulgò Medina de Ruiseco. Forum Iulii,Galliæ Narbonensis vrbs,non longè distans à Massilia,& Octauianorum colonia, vt scribit Pomponius Mela lib.2. Sunt & Foroiulienses,& Foroflaminiēses, populi Italiæ,quorum meminit Plinius libro 3.cap.14.in descriptione sextæ regionis. Forum item Clodii in Hetruria,apud Plinium cap.15.lib.3. Forum Iulium,Carnorum colonia,authore Ptolemæo. hodie Frigoli. Forum Iulium , Narbonensis Galliæ vrbs apud Ptolemæum.vulgò Freius. Forum Liuii,Galliæ Togatæ vrbs Ptolemæo. hodie Forliuio, Forli. Forum Segusianorum, oppidum Galliæ Ptolemæo.vulgò Bourg en Bresse. Forum Sempronii,Vmbrorum ciuitas,Ptolemæo authore. vulgo Fossembrone. Forum Tyberii, Heluetiorū ciuitas in Gallia iuxta Rhenum, apud Ptolemæum.vulgò Schuuitz.

Fossæ Marianæ, Ptolemæo,Galliæ Narbonensis vrbs.vulgo Aigues mortes.

Fossæ Papyrianæ, Tuscorum ciuitas authore Ptolemæo. hodie Fossonouum.

F R

Francones,Germaniæ populi sunt, qui à meridie Sueuos & Bauaros habent: ab occasu Rhenum, ab ortu Boemos. Alluitur regio flumine Megano,Ptolemæo Menio vocato. Franconum meminit Cicero in Epistolis ad Atticum lib.14.

Fraterculus , Verris consors in furtis. Cicero, Volo Fraterculo tuo credas,consorti quidem in lucris atque furtis,gemino & simillimo nequitia.Hæc ille in Verrem lib.5.act. 8.

Fregellæ, vetus Italiæ vrbs, olim florentissima, cum à Romanis defecisset diruta,& ad vicum iam vsque à Strabonis tempore redacta. Silius,

Et quæ fumantem texêre giganta Fregellæ. Inde Fregellani, populi dicti,quorum meminit Plinius lib.3.cap.5.

Fregellanus,proditoris nomen,cuius meminit Cicero libro 5. de finibus bon.& mal.Quis (inquit) Fregellanum proditorem,quanquam Reipub. nostræ profuit,non odit?

Frentani,Italici populi,Daunis & Picētibus vicini.Alii à Ferentinis qui in Tuscia sunt,& Ferentinatibus qui Latium habitarunt.de quibus disputat Hermolaus cap.5.lib.3.Plinii. Illorum regio Frentana Plinio dicitur.

Frisii,populi sunt protinus vltra Rhenum,Oceano adpositi,vt Pto

lemæus ait.

Fronto, philosophiæ simul, & dicēdi præceptor M. Antonini principis, adeò ab illo dilectus, vt ille statuam ei à senatu statui peteret. Author Capitolinus. Frōtonis alterius sub Nerone meminere Tacitus, Iuuenalis. Martialis, Clarū militiæ Fronto togǽque decus.

Frusino, ciuitas Campaniæ, à qua Frusinates populi ad Falernum, quorum meminit Plinius cap. 5. lib. 3.

Frusinum, Latinorum oppidum Ptolemæo. hodie Frusinona.

Frutinal, dictum est templum Veneris frutæ. Sipontiuus.

F V

Fusidius, oratoris nomen, cuius meminit Cicero in Bruto, Fusidius (inquit) in aliquo patronorum numero fuit.

Fulco, Andegauensium princeps, quintus rex Ierosolymorum, equo in caput verso occubuit, quum regnasset annis vndecim. Volaterranus.

Fulginates, populi sunt Vmbriæ in Italia, vt scribit Plinius capite 14. libri tertii.

Fulsinates, populi sunt Illyrici, vt scribit Plinius cap. 21. libri 4. in descriptione Illyrici.

Fuluius Flaccus censor tectum marmoreum Iunonis Laciniæ spoliauit, vt ædem quam dedicauerat equestri fortunæ, tegeret. Author Liuius lib. 42.

Fundi, oppidum Italiæ prope Caietā, quod intercidit, iuxta quod Lacus est Fundanus, cuius meminit Plinius cap. 5. lib. 3. Inde generosa vina Fundana scriptoribus commendata.

Furiæ (inquit Seruius) Diræ in cælo, furiæ in terris, Eumenides apud inferos, vnde & tres esse dicuntur. Canes etiam vocantur, vt est apud Virgilium in 6. AEneid.

-visǽque canes vlulare per vmbram
Aduentante dea. Lucanus,
-Stygiásque canes in luce superna
Destituunt. Furiarum meminit Cicero lib. 3. de natura deorum, Furiæ (inquit) deæ sunt speculatrices, credo, & vindices facinorum & sceleris. De furiis impiorum disserit Cicero in Pisonem.

Fusidius, fœneratoris nomen apud Horatium,

Fusidius vappæ famam timet, ac nebulonis,
Diues agris, diues positis in fœnore nummis.
Quinas hic capiti mercedes exigit, atque
Quanto perditior quisque est, tanto acrius vrget.

Fusius, oratoris nomen, cuius meminit Cicero libro secundo de Oratore, Fusius (inquit) neruos in dicendo C. Fimbriæ, quos tamen

habuit ille, non assequitur: oris prauitatem, & verborum latitudinem imitatur, &c.

F Y

Fyternus Ptolemæo, Frentanorum fluuius: Typhernus aliis, vulgò Bisano.

G A

GABA, Galilææ oppidum est, vt ait Iosephus lib. quinto Antiquitatum Iudaicarum.

Gabaa, Syriæ vrbs Vide interpretationē nominū Hebraicorū.

Gabales, apud Plinium, Aquitanicæ Galliæ populi. Plinius libr 4. cap. 19.

Gabalum, penultima communi, oppidum Auernorum in Gallia Aquitana, Narbonensi terræ proximum. Hinc Gabalici populi apud quos olim fiebat optimus caseus. Calepinus.

Gabalus, Romanus fuit imperator (inquit Seruius) qui se solem dici voluit: quare Heliogabalus dictus est.

Gabii, populi in Latio, qui Gabios vrbē condiderunt, authore Seruio: Gabii (inquit) diu in agris morati, tandē Gabios condiderunt.

Gabinius Romanus qui Ptolemæum in regnum reduxit, vt est apud Ciceronem libro primo Epistolarum.

Gades Gadium, insula est Oceani, vltra Bæticam Hispaniam, circa columnas Herculis, longitudinis XII. millia passuum, lata trium mil. vt ex Polybio Plinius in fine quarti tradit. Idem libro 4. duarum videtur meminisse exiguo interuallo distantium, quarum maior Erythræa dicta sit ob Tyrios, quorum origo ad Erythræum mare relata est: tum & Cotinusa, ab oleastri copia, qui à Græcis κότινος dicitur: à Gadibus, Gaditanus dictus. Hæc etiam Gadir est appellata, quòd Gadira lingua Punica sepem, vel septum significat. Hermolaus non Gadira, sed Gadiruta legit apud Plinium.

Gaddir, n. g. vrbs opulenta in Gadibus, de qua Priscianus libro 5: ait, Vt alii tradiderunt Tartessum, Hispaniæ ciuitatem, quam nunc Tyrii mutato nomine Gaddir habent. Calepinus.

Gaderes, ciuitas Syriæ nō longe ab Ascalone, ex qua Theodorus Rhetoricæ præceptor, qui Strabonis ætate floruit, Gadareus dictus est. Calepinus.

Gadira, locus iuxta Hispaniam extremam, ad quem profectus Hercules, & pertransire non valens, columnas ab incolis sumptas infixit. Calepinus.

Gæon à Iosepho dicitur esse Nilus. Rectius scripseris Gehon.

Galata, insulæ nomen nō procul à Melita, vt scribit Pomponius

Mela libro secundo.

Galatea, fuit nympha, filia Nerei & Doridis, vt est apud Ouidium lib. 13. Metamor.

At mihi cui patrem Nereus, & Dædala Doris
Enixa est, &c.

Galatia, regio Troadi contermina, vt scribit Plinius cap. 32. lib. 5.

Galba Sergius, vir consularis, temporum suorum eloquentissimus, quem Tranquillus scribit ex prætura Hispaniam obtinentem X X X Lusitanorū millia perfidia trucidatis, viriatim belli causam extitisse. Valerius autem dicit, eum trium Lusitaniæ ciuitatum conuocato populo, tanquam de commodis eius acturum, nouem millia hominum trucidasse. Pædianus ait, eum pro direptis Lusitanis accusatum à Catone, duósque amplexum filios prætextatos, absolutum propterea misericordia fuisse. Huius Galbæ multam mentionem facit Cicero in Bruto.

Galenus, Pergamenus medicus è Pergamo ciuitate Asiæ, emicuit Traiani temporibus: vsque ad Antonium Pium scripsit volumina X V. Author Suidas. Scripsit præterea in opera Hippocratis dictionarium ex ordine literarum.

Galesus, fluuius est Calabriæ, qui iuxta ciuitatem labitur Tarentinam. Hæc Seruius enarrans illud Virgilii Georg. 4,

Nanque sub OEbaliæ memini me turribus altis,
Qua niger humectat flauentia culta Galesus,
Corycium vidisse senem, &c.

Galilæa, pars Iudææ, coniuncta Syriæ. Plinius.

Gallecia, citerioris Hispaniæ regio est, vt scribit Plinius lib. 4. cap. 20. in descriptione citerioris Hispaniæ.

Gallia, regio est Europæ inter Hispaniam & Germaniam sita. Diuiditur in tres partes, quarum prima dicitur Belgica, altera vocatur Celtica vel Lugdunensis, tertia verò Aquitania. Galliam describit Cæsar libro primo. Galliæ vt multæ sunt regiones, ita multa cognomina. Comata enim dicitur apud scriptores, Braccata, Celtica, seu Lugdunensis, Narbonensis, Aquitanica, Belgica, Transpadana, Cispadana.

Gallogræci, iidem sunt qui Galatæ, ad quos Pauli epistolæ extāt: eorum regio Galatia, quam Gallorum aliquot populos insedisse, Plinius cap. 32. lib. 5. testatur: & Ptolemæus libro 5. tabula Asiæ prima. Strabo quoque 4. libro, Tectosages è Narbonēsi, Tœlistobosgios & Trocinos, è Celticis Galliæ profectos, Phrygiā Cappadociæ & Paphlagoniæ vicinā occupasse scribit: tāto olim hominū robore Galli valuerunt. Meminit & Liuius pluribus quartæ Decados libro 8.

Gallus, fluuius Phrygiæ,cuius aqua potãtes facit furere. Ouid. Amnis it insana nomine Gallus aqua. Hinc dicebantur sacerdotes Cybeles deæ Phrygiæ qui se castrabant, & inter sacrificandum furiose se gerebant. Lucanus,

-crinémque rotantes
Sanguinei populis vlularunt tristia Galli.

Gamphasantes, AEthiopiæ populi, de quibus Pomponius lib.1. Nudi (inquit) sunt Gamphasantes,armorúmque omnium ignari: nec vitare sciunt tela,nec iacere,ideóque obuios fugiunt: neque aliorum quàm quibus idẽ ingenii est, aut congressus,aut colloquia patiuntur. Hactenus Mela. Plinius,Gamphasantes (inquit) nudi, præliorum expertes,nulli externo congregantur. Solinus & Martianus eadem ex Plinio mutuati.

Gandari,populi sunt interioris Asiæ Põponio,quos Plinius trans Margianam in ortũ ponit. Sunt & Gandaræ populi,quos Ptolemæus lib.7.in India ad ipsum Indum sitos esse ait.

Gangaridæ, populi sunt inter Assyrios & Indos iuxta Gangem fluuium. Author Curtius.

Ganges, Indiæ fluuius maximus,qui vniuersam circuit Indiam secum arenas aureas trahẽs,è paradiso exiẽs. Alii incertis fontibus vt Nilum, rigantémque vicina eodem modo ferunt. Alii in Scythicis nasci, ipsámque Indiã secare dixerunt. Dictus est Ganges, à Gange AEthiopum rege,vt ait Suidas. Ouidius lib. Metamor.4, Decolor extremo qua cingitur India Gange. Inde Gangeticus dicitur,id est Indicus. Lucanus,

Et quas sentit Arabs,& quas Gangetica tellus.

Ganyctor,nomen est viri proprium Tortelio.

Ganymedes, filius Trois regis Troiæ raptus à Ioue,non ob formam corporis,sed ob præstans ingenium, Xenophon in Symposio est author.

Garamantes,populi sunt Africæ extremi,& quasi à consortio humanitatis remoti. Hæc Seruius apud Virgilium Ecloga 8,

Nunc scio quid sit amor:duris in cotibus illum
Ismarus,aut Rhodope,aut extremi Garamantes,
Nec nostri generis puerum,nec sanguinis edunt.

Garganus,celebris mons Apuliæ, subtus quẽ habitantes proprie Apuli dicuntur. De quo Silius,

In nemore aut agitet Gargano terga ferarum. Hodie mons dicitur S. Angeli.

Gargara,multitudinis numero montes sunt Phrygiæ,iuxta quos solum frugum feracissimarũ est.quod etiam testatur Virgilius lib.

Georg.1, Et ipſa ſuas mirantur Gargara meſſes. Vide Macrobiũ libro quinto.

Gargarus, lacus eſt Phrygiæ, iuxta Idam montem, ex quo lacu Scamander & Simois fluuii decurrunt.

Gargittius, canis cuiuſdam generoſi nomen qui Geryonis boues cuſtodiebat, & leonibus inſultabat: quẽ tunc Hercules interfecit cũ illius armenta abduxit: fuitque Cerberi Epirotici frater, vt ſcribit Iulius Pollux lib.5.de vocabulis rerum ad Cõmodum Cæſarem.

Garumna, Galliæ fluuius ex Pyrenæo monte delapſus, qui Celtas ab Aquitania ſeparat. De eo nemo diligentius Mela ſcripſit.

Gaurus, mons Campaniæ non procul ab Auerno.

Gaza, Iudææ Palæſtinæ vrbs quondam munitiſſima, vt Alexander bimeſtri obſidione obſeſſam ægrè ceperit, vt libro 17 Diodorus ſcribit.

G E

Gebenna, Galliæ oppidum ditionis Allobrogum ad lacũ Loſanenſem ſeu Lemanum. Numero multitudinis extulit Lucanus,
-qua montibus ardua ſummis
Gens habitat, cana pendentes rupe Gebennas.

Gedanum, Germaniæ oppidum in Viſulæ fluminis oſtio, vulgo Dantzg.

Gedroſia, Aſiæ regio Ptolemæo, hodie Tarſe regnũ Haithono & Sabellico, & ſunt populi Chriſtiani.

Gehon, fluuius qui è paradiſo terreſtri labitur: Ioſephus Nilum eſſe exiſtimat.

Gela, vrbs Siciliæ, cuius meminit Plutarchus in vita Timoleonis. Vulgo Cherza.

Gelon, Pyrrhũ veneno necare eſt aggreſſus, vt ſcribit Plutarchus in vita Pyrrhi. Fuit & Gelon, Siciliæ rex, quem Dionyſius, γέλωτα, id eſt riſum eſſe dicebat, vt ſcribit Plutarchus in Dione.

Geloni, populi ſunt Scythici, quorum meminit Põponius Mela lib. primo & ſecundo. De quibus Virgilius AEneid. lib. 9,
Hic Lelegas, Caráſque, ſagittiferóſque Gelonos Finxerat.

Gelos, Cariæ portus eſt, vt ſcribit Pomponius lib. primo in deſcriptione Cariæ.

Geneſara, Galilææ lacus circunſeptus vrbibus plurimis, & celebribus. Author Solinus cap. 48.

Genua, Liguriæ metropolis, vetuſtæ potentiæ nobilis, vt eſt apud Melam lib. 2. Vulgo Genoua.

Georgi, Aſiæ populi ab agricultura nomẽ ſortiti, quibus vicinos Corſitas, Phoriſtas, & Riphaces Mela facit. Conſtat etiã Tauricam

Cherſoneſum Georgiam cognominatam propter memorabilem in ea frumenti copiam, vt notat Vadianus.

Geræa, Luſitaniæ vrbs apud Ptolemæum, Caceres vulgo.

Germania, Europæ regio, quæ à Galliis, Rhetiiſque & Pannoniis, Rheno & Danubio fluminibus: à Sarmatis, Daciſque mutuo metu & montibus ſeparatur. Author Tacitus. Quòd ſi proprios limites obſeruare libet, intra Rhenum, Danubiúmque Germania eſt. ſi gẽtiũ migrationẽ & linguæ cõmercium attẽdimus, rectius Alpibus à meridie, nec omnino ab occaſu Rheno terminabitur. Sunt qui magnam vocant eam, quæ intra Rhenum, Danubium, & Iſtulam eſt: reliquam trans Rhenum Galliæ contiguã, vt diximus, in inferiorẽ diuidunt & ſuperiorem, huic totum tractũ adnumerãtes, qui intra Alpes & Danubiũ vſque ad Pannonas protenditur. Germani autẽ dicti ſunt à Romanis, quaſi Gallorum fratres, quòd & nationẽ Gallicam feritatis abundantia imitentur, & proceritate corporũ, & colore flauo, tum etiam forma, moribus, & viuẽdi ritibus pares exiſtant. Legitimi nanque fratres Romano ſermone germani intelliguntur. Hæc Strabo lib. 7.

Germanica legio ſeptima, Ptolemæo Tarraconenſis Hiſpaniæ vrbs. Leon Hiſpanicè.

Gerrus, fluuius Scythiæ, ſeptimus ab Iſtro memoria dignus, teſte Herodoto lib 4.

Gerunda, Hiſpaniæ vrbs Ptolemæo. Vulgo Girona.

Geruſa, Sarmatiæ in Aſia ciuitas Ptolemæo. hodie S. Georgius.

Geryon, vel Geryones, rex fuit Hiſpaniæ: qui ideo trimẽbris fingitur, quia tribus inſulis præfuit, quæ adiacent Hiſpaniæ Balearicæ minori, maiori, & Ebuſæ. Fingitur etiã bicipitem canem habuiſſe, quia & nauali & terreſtri certamine plurimum potuit. Hunc Hercules vicit: qui ideo fingitur ad eum olla ærea tranſuectus, quòd habuit nauem fortem & ære munitam. Hæc Seruius apud Virgiliũ libro AEneid. 7,

-poſtquam Laurentia victor,
Geryone extincto, Tirynthius attigit arua,
Tyrrhenóque boues in flumine lauit Iberas.

Geſodunum, nomen vrbis in Norico, vt ſcribit Ptolemæus. Vulgo Saltburg.

Geſoriacum, Ptolemæo teſte, Morinorum nauale. vulgo Cales.

Geſſus, Ioniæ fluuius eſt Plinio & Straboni, qui regionem omnẽ circa Geſſum Panioniam nominant.

Getæ, populi ſunt Thraciæ, natura & moribus feroces: è mõtibus aliàs ac ſaltubus expulſi à Sarmatis ad Duriam amnem. A Roma-

nis Daci vocantur. De his Ouidius meminit cum inquit,
Nulla quidem toto gens est truculentior orbe. Quidam tamen Getas à Dacis ita distingunt: vt Getæ sint qui ad Pontum in orientem vergũt. Daci, qui in oppositum versus Germaniam, & ad Istri fontes, quos olim Dauos vocatos nonnulli volunt. Ex quo apud Athenienses Dauorum & Getarũ seruilia nomina in vsu maximè fuerunt. Getas à Lucullo victos Sallustius scribit.

Getuli, Africæ populi. Hi & Libyes, primi omniũ ex Punicorũ annalium fide Africam tenuerunt, asperi, incultique: quibus cibus erat caro ferina, atque humi pabulum vti pecoribus. Hi neque moribus, neque lege, aut imperio cuiusquam regebantur: vagi, palantes, quò nox coegerat, sedes habebant. Author in Iugurthino Sallustius.

G I

Gigantes, si ad Physica respicimus, aliud nihil sunt quàm spiritus illi terra clausi: qui dum exitum non inueniunt, vi sibi viam faciũt, montibus altissimis adeò persæpe concussis, vt aut rumpantur, aut ingentia frusta emittant contra Iouem, id est cælum versus. Hinc illa pugna Gigantum, montes in Iouem mouentium vetusta.

Gillus, vir fuit Tarentinus, de quo Herodotus nonnulla scribit.

G L

Glandomyrum, Hispaniæ Tarraconensis vrbs Ptolemæo. Vulgo hodie Mondanedo.

Glanum, Saliorum ciuitas in Gallia Ptolemæo. Vulgo Gap.

Glaucus, Hippolochi filius, Bellerophontis nepos, auxilio Troianis venit: cũ quo Diomedes memor veteris hospitii, iũctis dextris amicitiam iniuit, armáque cõmutauit ænea pretio nouem boum cum illius aureis armis, quæ centum erant boum. Author Homerus Iliados sexto. Glaucus piscator, vt habetur in fabulis, pisces captos supra ripam explicuit, donec retia siccarentur. At illi contacta herba, colligentes sese, in mare prosilierunt. Glaucus eam herbã degustans, immortalitatem adeptus est, vt est apud Ouidium lib. Metamor. 13. Glaucus, Antenoris Troiani filius, ab Agamemnone interfectus, vt est author Dictys Cretensis. Glaucus, Sisyphi filius, qui apud Potniam regnauit, equas alebat humana corpora pascentes, à quibus & ipse postremò deuoratus. Author Probus grãmaticus. Seruius verò dicit Glaucum Potniadem, sacra Veneris spernentem, ab equabus suis, quibus ad currũ vtebatur, dilaceratũ. Huius meminit Virgilius Georg. 3,
Scilicet ante omnes furor est insignis equarum:
Et mentem Venus ipsa dedit, quo tempore Glauci

Potniades mâlis membra absumpsere quadrigæ. Alius fuit Minois filius. Alius inter ministros Vulcani commemoratur ab Herodoto. Alius item Lemnius statuarius apud Stephanum.

Glycon, vir apud Horatium robustissimus, & gladiatoria quadã totius corporis firmitate:

Nec quia desperes inuicti membra Glyconis,
Nodosa corpus nolis prohibere chiragra. Fuit & Glycon, medicus Pansæ apud Romanos, qui in carcerem coniectus est ob suspicionem veneni quod ferebatur indidisse vulneri domini sui. Vnde Suetonius in Augusto, Pansæ quoque (inquit) adeò suspecta mors fuit, vt Glycon medicus custoditus sit, quasi venenum vulneri indidisset. Et Cicero in epistolis ad Brutũ, Tibi (inquit) Glycona medicũ Pansæ qui sororem nostri Achilleos in matrimoniũ habet, diligentissime commendo. Audimus enim venisse in suspicionẽ Torquato de morte Pansæ, custodiríque vt parricidam.

G N

Gnidus, vrbs Cariæ. Horatius, O Venus regina Gnidi.

Gnosus, vrbs Cretæ insulæ. inde Gnosius, id est Cretẽsis. Virgili⁹, Placemus ventos, & Gnosia regna petamus. Vulgo Ginosa.

G O

Gobæum promontorium, Galliæ oppidum apud Ptolemæum. Vulgo Le four.

Gobrias, vir Persa nobilis, vnus ex his qui cum Dario coniurarunt. Nam erat Darii socer, antequã regnum Darius ipse adipisceretur, vt ostendit Herodotus circa initium libri 7.

Gonnus, vrbs est in superiori parte Thessaliæ, vnde ad Thessaliã introitus comperitur.

Gordiani Cæsares tres fuerũt, pater, filius, & nepos, de quibus vide Volaterranum lib. 23.

Gordius, rex fuit Phrygiæ. de quo vide Erasmum in prouerbio Gordianus nodus. Gordii meminit Strabo lib. 12.

Gorgias Leontinus, Siculus rhetor, Empedoclis discipulus, Isocratis autem & aliorum philosophorum & rhetorũ præceptor, vt scribit Quintilianus lib. 3. de institutione oratoria. Huius meminit & Cicero passim in Bruto, & libris De oratore.

Gorgones tres fuerunt, Stenia, Euryale, & Medusa, Phorci filiæ: ideo Lucanus lib. 9. ait,

Finibus extremis Libyes, vbi feruida tellus
Accipit Oceanum demisso sole calentem,
Squalebántque latæ Phorcinidos arua Medusæ.

Gorgonius, viri proprium malè olẽtis. Horatius in Sermonibus,

Pastillos Ruffillus olet, Gorgonius hircum.

Gorogytion, vir Troianus, Priami & Castianiræ filius, formáque & viribus præstans, vt dicit Homerus lib. 8. Iliados.

Gortyna, vrbs Cretæ, pulchris cincta muris, teste Homero libro Iliados 2. quam teste Solino Lenæus præterfluit amnis, per quem Europam tauri dorso vsque ad eam portatam ferũt. Vulgo Cortyn.

Gothi, immanes Scythiæ populi, qui Italiam, & deinde Hispaniã inuaserunt. Gothorum historiam vide apud Volaterranum.

Gotthia, regio Europæ, contermina Daciæ & Noruegiæ.

G R

Gracchus, Gracchorũ ex Cornelia Africani sorore pater, Procõsul, Celtiberos in deditionem accepit ac monumentum operum suorum, Gracchorum oppidum in Hispania construxit, vt Liuius refert. De hoc scribit Plutarchus & Valerius. Fuerunt & Gracchi huius filii, quos constat seditiosos fuisse. Cicero libro 2. de officiis, Quid, inquit, nostros Gracchos T. Gracchi summi viri filios, Africani nepotes, nónne Agrariæ contentiones perdiderunt? Hæc Cicero. Iuuenalis,

Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?

Gradiuus Mars dicitur, cum sæuit, inquit Seruius: cum tranquillus, Quirinus. Denique in Vrbe duo eius templa sunt: vnum Quirini intra vrbem, quasi custodis & tranquilli. Alterum in Appia via, extra vrbẽ prope portam, quasi bellatoris, vel Gradiui. Hæc Seruius.

Græcia, vide infra, in dictione HELLAS.

Granicus, Bithyniæ fluuius, pugna quæ inter Persas & Alexandrũ fuit nobilis, de qua apud Diodorum lib. 17. In ea pugna sexcẽta millia hominũ cæsa, fugatáque sunt. Victa ab Alexandri exercitu non maiori XXX millibus peditũ, & equitũ millibus quatuor & quingentis: quibus omnibus nihil de fuga cogitantibus, non in pedibus spes, sed in lacertis fuit, magno fugati Darii dedecore. Authores Plutarchus & Iustinus lib. 2.

Gratidia, propriũ nomen mulieris Neapolitanæ vnguentariæ ac maleficæ, quam Horatius in Epodis Canidiam nominauit.

Grauionarium, Germaniæ vrbs Ptolemæo. Vulgo Bamberg.

Grauiscæ, Tuscorum castellum, authore Ptolemæo: mons altus hodie. Virgil. lib. 10. Et Pyrgi veteres, intempestæque Grauiscæ.

Gronii, Hispaniæ populi ad Durium amnem, vt scribit Pomponius lib. 3. quorum meminerunt Plinius & Silius.

Gryllus, Xenophontis filius, qui pro patria fortiter pugnans occu

buit.Huiꝰ laudes & epitaphia multi ſcripſere,vt ſcribit Ariſtoteles.

Grynia, vrbs AEtoliæ in confinibus Ioniæ. Inde Grynæus Apollo, & Grynæum nemus,in finibus Ioniis Apollini conſecratum, vt author eſt Seruius.

G Y

Gyarus,inſula eſt vna Cycladum,cuius meminit Ouidius lib.7. Met. Et Gyaros,nitidáque ferax Peparethos oliuæ. Et in ſatyra 10 Iuuenalis, Vt Gyaræ clauſus ſcopulis,paruáque Seripho.

Gyas,nomen proprium viri Troiani.

Gygæus,lacus eſt Lydiæ. Propertius,Lydia Gygæo tincta puella lacu.

Gygemorus,monticulus eſt non longe à Theſſalia.

Gyges,rex Lydiæ.De quo ſic Cicero lib.3.de officiis ſcribit: Hinc ille Gyges (inquit) inducitur à Platone,qui cũ terra diſceſſiſſet magnis quibuſdam imbribus, in illum hiatum deſcendit, æneúmque equum (vt ferũt fabulæ) animaduertit, cuius in lateribus fores eſſent:quibus apertis,hominis mortui corpus vidit magnitudine inuſitata,anulúmque aureum in digito. quem vt detraxit, atque ipſe induit,(erat autem regius paſtor) tum in cõſilium paſtorum ſe recepit.Ibi cum palam eius anuli ad palmam conuerterat,à nullo videbatur,ipſe autem omnia videbat: idem rurſus videbatur quũ in locũ anulum inuerterat. Itaque hac opportunitate anuli vſus, reginæ ſtuprum intulit: eáque adiutrice regem dominum interemit, ſuſtulit quos obſtare arbitrabatur.nec in his facinoribus eum quiſquam videre potuit.Sic repente anuli beneficio rex exortus eſt Lydiæ.Hæc Cicero.

Gymnoſophiſtæ, Indorum ſapientes: de quibus Cicero Tuſcul. quæſt.lib.5,Quæ barbara (inquit) India vaſtior,aut agreſtior? in ea tamẽ gente primùm hi qui ſapientes habẽtur, nudi ætatẽ agunt, & Caucaſi niues,hyemalémque vim perferũt ſine dolore. Quúmque ad flammam ſe applicauerint,ſine gemitu aduruntur. Hæc Cicero. De his antè ſcripſimus in dictione BRACHMANES.

Gyndes, Aſſyriorum fluuius maximus ſecũdũ Euphratem. De quo Seneca lib.3.de ira,ſic ſcribit,Cum Gyndes fluuius(inquit) ſecundæ poſt Euphratem magnitudinis Cyri impetũ venientis cõtra Babylonios interciperet,& quidã ex militibus ſummè dilectus regi eius moliens tranſitum rapacitate fluuii abſorptus eſſet, rex iratus amicũ vlciſci ſtatuit,iurãs vt qui nũc præclarũ equitem vorauiſſet, mox vix tingeret genua mulieris. Nec peragendo ſegnior,bellum cum flumine geſſit, & totis copiis per magnas deductum foſſas in XLVI alueos diſpartiuit.Hæc Seneca.

Gyttheum, oppidum quod Hercules & Apollo depositis eò loci simultatibus, communi opere condiderunt. De hoc Liuius in Macedonico bello, Gyttheum (inquit) omnium maritimarum rerum Lacedæmoniis receptaculum. Hinc Gyttheates dicti sunt in eo habitantes.

H A

HABESSVS, Lyciæ ciuitas, quondam sic dicta: deinde Antiphellus, vt scribit Plinius cap.27.lib.5.

Hadramitani, Siciliæ populi, vt scribit Plinius cap.8.lib.3.

Hadria, m.g. pro sinu maris, seu pro ipso mari Hadriatico. Lucanus lib. quinto, Sonat Ionio vagus Hadria ponto. Hadria f.g, est oppidum ad Ferrariam, nũc demersum, ad XXXV lapidem. Vulgo Ari. Ab eo Hadriaticum mare nomen accepit. Fuit quoque Hadria, Romanorum colonia, arduo in colle sita. Ex qua Hadrianus imperator originem duxit, qui in omni genere doctrinæ præstantissimus fuit. Sunt qui hoc nomen non aspirent.

Hæbudes, insulæ sunt. Solinus, A Calydoniæ promõtorio Thulen petentibus, bidui nauigatio est. Excipiũt Hæbudes insulæ quinque numero. Et paulo post, Secundam à continenti stationem euntibus Orcades præbent. Sed Orcades ab Hæbudibus porro absunt septem dierum, totidémque noctium cursu. Hæc Solinus.

Hædui, populi Galliæ, Aruernis finitimi, trans Ararim habitãtes, inter Burgundos nominati. Cæsar.

Hæmodes, Lyciæ mons est, vt scribit Pomponius Mela lib.1.

Hæmon, Thebanus iuuenis, qui quũ amore incredibili Antigonem OEdipi & Iocastæ filiam deperiret, ad eius tumulum mortem sibi consciuit. Fuerat autem Antigone iussu Creontis (qui vetuerat cadauera Græcorum inhumari) iugulata, quòd Polynicem fratrem mortuum noctu sepelire voluisset. De huius adolescentis morte Propertius lib.2. sic ait,

Quid, non Antigones tumulo Bœotius Hæmon
Corruit ipse suo saucius ense latus?
Et sua cum misera permiscuit ossa puella,
Qua sine Thebanam noluit ire domum?

Hæmus, Thraciæ mons. Polybius author, vt scribit Strabo, Hæmum adeò esse altum, vt vtrũque ex eo mare AEgæum & Ionium spectẽtur: quãquam falsum Strabo putat. Lege Liuium lib. 10 Decad.4. vbi de Philippo, qui Hæmum eius rei pernoscendæ gratia, ascẽdit. Ab Hæmo, accolæ Hæmimontani dicti in Latina historia.

Halcyon. Ceyx (inquit Seruius) filius Luciferi, habuit vxorem Halcyonem: à qua cum prohibitus, isset ad consulendũ Apollinem

de ftatu regni, naufragio periit.Cuius corpus cum ad vxorem delatũ fuiffet,illa fe præcipitauit in pelagus.Poftea miferatione Thetydis & Luciferi cõuerfi funt ambo in aues marinas, quæ halcyones vocãtur.Sanè fciẽdũ eft,quòd cũ de muliere dicimus,hæc Halcyone facit:cũ de auibus,hic & hæc Halcyon,hi & hæ Halcyones. Iftæ autem aues nidos faciunt in mari media hyeme:quibus diebus tanta eft tranquillitas, vt nihil penitus in mari poffit moueri. Inde etiam dies ipfi,Halcyonia nominantur.Hæc Seruius enarrãs illud Virgilii Georg.1,

Non tepidum ad folem pennas in littore pandunt
Dilectæ Thetydi halcyones.

Halefina, Siciliæ ciuitas,quæ fic à Cicerone actione 5. in Verrẽ appellatur,Siciliæ ciuitates (inquit)multæ funt Iudices,ornatæ atque honeftæ,ex quibus in primis numeranda eft ciuitas Halefina. nullam enim reperietis aut officiis fideliorem, aut copiis locupletiorem,aut authoritate grauiorem,&c.

Halefus, fluuius & mons non longe ab AEtna, vbi Proferpina flores legit cum aliis virginibus.Columella,

Et quæ Sicanii flores legiftis Halefi.

Haliacmon,fluuius eft Macedoniæ,ad quem ducebant quæ volebant candida nafci,vt refert Plinius lib.31.cap.2.

Halicarnaffus,Cariæ ciuitas,clara Herodoto,Heraclio poeta,Callimachi focio, & Dionyfio hiftorico, qui res Romanas Strabonis temporibus fcripfit. Regia olim regũ Cariæ fuit,ab Alexandro capta&Adæ reginæ Idriei coniugi,quam Pixodôrus eiecerat,regendã tribuit,vt Diodôrus lib.17,& Strabo lib.14.fcribũt. iuxta eã Salmacis fons eft,molles effœminatófque faciẽs.De quo Ouidius lib.4.Metamorph.

Halizones, populi funt Paphlagonũ, fic dicti,quòd vndiq; mari circundentur. παρὰ τὸ ἀποζώννυσθαι,id eft circundari:& ἁλὶ,id eft mari.Tortelius.

Halonefos,infula eft AEgæi maris prope Thraciam,quã aliquãdo omnibus qui mares erant cæfis,tantum fœminæ tenuiffe dicũtur,inquit Pomponius Mela lib.2.

Halys,Paphlagoniæ fluuius maximus:Crœfi fato,quod attuliffe vifus eft,nobilis. Notũ oraculum eft,Crœfus Halym penetrans, magnã peruertet opum vim.Quo deceptus,cũ regnorũ opes expectaret,fuas profligauit.Scribit in hãc fententiã Cicero li.2.de diui.

Hamadryades,Vide DRYADES.

Hamaxampeus,pars eft fluminis Hypanis,qui cum fonte Xampeo amaro commixtus eft.Tortelius.

Hamaxobitæ, populi Sarmatiæ in Europa: qui quia pro sedibus plaustra habēt, sic dicti sunt, authore Pomponio Mela lib.2. Græcis enim ἅμαξα plaustrum dicitur. Ptolemæus Hamaxobios nominat. Vadianus Melæ interpres, eos esse credit, quos hodie alibi sitos Poloni Moscouitas nominant, corrupto vocabulo.

Hamilchar. Vide AMILCHAR.

Hanapis, fluuius est Scythiæ, Herodoto teste.

Hannibal. Vide ANNIBAL.

Hanno Carthaginensis, Philippi Macedonis tēporibus, qui Carthagine priuatis opibus potens, regnū affectans: & in filiæ nuptiis principes ciuitatis veneno necare, prodito à ministris consilio frustra cogitans, alia aggressus via, seruitia cōcitat, quibus incautam vrbē opprimat: quo etiā ciuibus prouiso ac vitato periculo, ipse demū in castellū munitū sese recipiēs, Afros, Maurorúmque regem armauit. captus postremo, ac primùm virgis cæsus, deinde effossis oculis, & manibus cruribúsque fractis, cruci adfixus est: ac in cognatos omnes etiā animaduersum. Ex Trogo lib.21. Hanno itē Carthaginensis alius Agathocli cum XXX millibus Pœnorum obuius factus, conserta pugna interfectus est. Trogus lib. 22.

Hanno, factionis Barchinæ, qui cum optima consuleret Carthaginensibus de pace, nequaquam exauditus est. Author Liuius in primo & vltimo de bello Punico, apud quem prudentissimas orationes huius & Asdrubalis legere licet.

Harmodius & Aristogiton, ciues Athenienses de republica bene meriti, quorū passim mentionē facit Demosthenes in orationibus.

Harmodotus, poetæ nomē est, cuius sæpe meminit Plutarchus.

Harmonides, Troianus fuit, quē teste Homero lib.5. Iliad. præcipuo quodam amore Minerua dilexit, ideóque nihil eum fugit, quod fabrili arte effici posset. Is inter alia quæ fabrè fecerat, naues illas Alexandro ædificauit, quæ fuerūt malorū omnium, quæ Troianis contigerunt, caput: perniciosas quidem ac mortiferas, vt cæteris Troianis, ita ipsi ædificatori, quia deorū monita nō intellexisset.

Harpagiū, oppidū iuxta Parium, apud quod Ganymedem puerū Phrygium raptum Græca fabulositas ausa est asserere. Vadianus.

Harpalice, Amazonū regina. Hæc est (inquit Seruius) quæ patrē suum captū à Getis, multitudine collecta liberauit celerius, quàm de fœmina potest credi. vnde & flumina dicitur celeritate transire. Hæc Seruius Grammaticus enarrās illud Virgilii AEneid. primo,

-vel qualis equos Threissa fatigat
Harpalice, volucrémque fuga præuertitur Hebrum.

Harpalus, ab Alexandro fugitiuus, Athenas traiecit, cuius memi

nit Plutarchus in vita Phocionis.

Harpasa, penultima correpta, Oppidum Asiæ, oppositum fluuio Harpaso, vt scribit Plinius lib.5.cap.29, vbi cautes stat horrẽda vno digito mobilis: eadem si toto corpore impellatur, resistens, vt idem Plinius testatur lib.2.cap.45.

Harpe, falcat⁹ensis Persei quo Medusam & Cetũ dicitur occidisse.

Harpocrates, deus Isidis & Serapidis simulachrũ, ita apud veteres fingebatur, vt digito admoto ori, silentium indiceret, qualis & apud Romanos dea Angerona. Vnde Harpocratem reddere, pro, silentiũ imponere, prouerbiali specie dixit Catullus his verbis,

Gellius audierat patruum obiurgare solere
Siquis delicias diceret aut faceret.
Hoc ne ipsi accideret, patrui perdespuit ipsam
Vxorem, & patruum reddidit Harpocratem. &c.

Harpyiæ, dicũtur Ponti & Terræ filiæ, vt ait Seruius. vnde in insulis habitant, partem terrarum, partem maris tenentes. Alii dicunt eas Neptuni filias, qui ferè prodigiorum omnium pater est, nec immeritò. Nam secundum Milesium Thaletem, omnia ex humore procreantur, vnde est, Oceanúmque patrem rerũ. Hinc fit vt quotiescunque desunt parentes, redeatur in generalitatẽ. Sic & peregrinos, Neptuni filios dicimus, quorum ignoramus parentem. Alii autem dicũt Harpyias, filias Thaumãtis & Electræ. Has Virgilius tres esse dicit, Aello, Ocypete, Celæno.

H E

Hebe, dicitur à poetis Iunonis filia sine patre. Nam cũ grande cõuiuium Apollo in domo patris Iouis, Iunoni nouercæ parasset, & ipsa auidè lactucas comedisset agrestes, factum est vt ex illis grauida fieret, cũ vsque in id tempus sterilis fuisset, peperítque Heben: quæ quia formosa erat, ab ipso Ioue pincerna constituta est: & dea iuuentutis dicta. Quæ deinde cũ in deorum conuiuio pocula ministraret, & casu in terram caderet, vestésque subleuarentur, ita vt pudenda diis monstraret, indignatus Iupiter, eam ab officio amouit, & eius loco Ganymedem rapiens substituit: postremò Herculi in deos relato, vxor data est. Ex Seruio.

Hebrus, Thraciæ fluuius est in quẽ Orphei caput proiectũ, cum Cicones eum confecissent. Ouidius lib.2.Metam.

Membra iacent diuersa locis: caput Hebre, lyrámque Excipis.

Martianus lib.6, Hebrũ (inquit) Odrysiæ niues complẽt, qui inter diuersos Barbaros fluẽs, etiã Ciconas perluit. Hebrus hodie Mariza.

Hecale, nomen pauperrimæ fœminæ, apud Ouidium lib.2. de Remedio amoris,

Cur nemo est Hecalen,nulla est quæ nouerit Irum?
Nempe quòd alter egens,altera pauper erat.
Hecameda, vide ECAMEDA.
Hecate,ponitur pro Diana siue Luna seu Proserpina. Vnde Virgilius,Ter geminámque Hecaten,&c. Rursum AEneid.6,
Voce vocans Hecaten,cælóque Herebóque potentem. Vbi dicit Seruius,Hecate pro Proserpina dicta est:aut quòd centum victimis placetur,aut quòd centũ annos errare faciat insepultos. Hæc Seruius.
Hecatompylos, vrbs est Parthorum, regni caput. Plinius lib.6. cap.15.
Hector, Priami & Hecubæ filius ab Achille interfectus. Virgilius 1.AEneidos,
Ter circum Iliacos raptauerat Hectora muros:
Exanimúmque auro corpus vendebat Achilles.
Hecuba,vxor regis Priami,quam Homerus filiam Dymantis dixit,idque sensisse videtur Ouidius lib.13.Metamor.
Ergo aliis latrasse Dymantida flebile visum est. Euripides verò non Dymantis, sed Cissei filiam Thracum regis esse dixit: quem secutus est Virgilius lib.AEneid.10, -& face prægnans
Cisseis regina Parin creat. Quia prægnãs somniauerat se accẽsam facem parere, quæ patriam totam inflammaret. Ideo porrò in canem conuersa fingitur Hecuba, quòd cum post euersam Troiam captiua à Græcis duceretur, Polydori corpus in mare præcipitatũ agnouisset,séque in maria præcipitare vellet,nimio dolore inaniter Græcis conuitiaretur. Hæc Seruius.
Hecubæ sepulchrum,Thraciæ promontorium,de quo suprà scripsimus in dictione Cynossema.
Hedui, Vide HAEDVI.
Hegemon Characenus (Est autẽ Charax,Phrygiæ vrbs)versificator,scripsit libellũ Leuctricôn Thebanorum & Lacedæmoniorum. Author Stephanus.
Hegesias Magnesius orator egregi⁹,cuius meminit Strabo. Fuit & Hegesias alter,cuius meminit Cicero lib.primo Tuscul.quæst.
Hegesippus historiam scripsit ecclesiasticam quinque libris, quos habemus à CHRISTO passo ad sua tempora, vt scribit Suidas.
Alter eiusdẽ nominis fuit poeta comicus:inter fabulas ipsius commemorantur φιλαίτεροι. Athenæus.
Hegesipyle, fuit Holori regis Thraciæ filia,quã Milciades Atheniensium dux accepit. Tortelius.
Hegesistratus Ephesius,ob tribulis sui necẽ exul Delphos perueniens,quemnã locũ coleret, cõsuluit deum.Cui Phœb⁹,Vbi saltan-

tes videret rusticos cũ coronis oleaginis. Itaque profectus in Asiam rusticos eodem modo cernens, vrbem condidit Eleam. Author Pythocles Samius apud Plutarchum.

Hegitinatia, Ptolemæo li.2.ca.11, Germaniæ vrbs. Vulgo Lignitz.

Helena, filia Iouis ex Leda vxore Tyndari regis Laconiæ. Hæc ob eximiam pulchritudinem bis rapta fuit: primùm adhuc puella à Theseo: secũdò, iam Menelao nupta, à Paride: pro qua recuperãda Græci cum Troianis decennale bellum gesserunt. nota est historia ex Homero.

Heleus, vide ELEIS.

Heliades, Solis filiæ, Phaetontis sorores, notæ ex Ouidii libro secundo Metamorph.

Helice, vide ELICE.

Helicon, mons est Bœotiæ, vt scribit Seruius, quæ & ipsa Aonia dicitur, iuxta Thebas non procul à Parnasso: eisque æmulus & altitudine & circuitu, qui & ipse quoque Apollini musisque sacer est. Inde Heliconiades mũsæ poetis dictæ sunt, vt Hesiodo. Ibi Caballinus mons. de quo vide suo loco.

Heliogabalus Antoninus, imperator: huius mores impurissimos, gulam, libidinem omnem, apud Lampridium videre licet.

Heliopolis, ciuitas est AEgypti, quæ à Græcis, teste Diodoro Siculo, Thebe dicitur. huius ciues, teste Herodoto lib.2, apud AEgyptios omnium sapientissimi habentur. Altera est eiusdẽ nominis in Cilicia patria Chrysippi Stoici, vt author est Solinus.

Helis. Vide ELIS.

Hellas prouincia, Græcia à Latinis dicitur, vt scribit Pomponius Mela lib.2.

Helle, filia Athamantis regis Thebarum, quæ cum Phryxo fratre suo nouercales insidias fugiens, in mare iuxta Byzantium demersa est. de qua vide in dictione PHRYXVS.

Hellespontus, mare est illud strictum, quod AEgæum à Propontide separat, intermedia fauce: quod ab Europa, Chersonesus Thraciæ: ab Asia, Phrygiæ litora stringunt. sic ab Helle denominatum. Hinc Hellespõticus dicitur, & Hellespõtiacus. Virgilius Georg.3, Hellespontiaci seruet tutela Priapi. Hellespontus, vulgo Brachiũ S. Georgii.

Helõrus, penultima producta, fluuius est Siciliæ. Virgil.3. AEn. Exupero præpingue solum stagnantis Helori. Sunt etiam qui non aspirent.

Heluetii, Galliæ populi notissimi ex Cæsare. Vulgo Suisses.

Helymus & Panopes, Acestæ regis Siciliæ comites, venatores

fuerunt,teste Virgilio lib.5.AEneid.
Tum duo Trinacrii iuuenes,Helymus,Panopésque
Assueti syluis,comites senioris Acestæ.
Heraclea,Bithyniæ vrbs,clarissima ob celeberrimas quas emisit colonias,vt Strabo scribit,diu tyrannorū sæuitiam passa,mox libera facta est. Iustinus lib.15,Heracleam à Bœotiis iterū oraculo monitis in Herculis honorem conditā esse ait. Est & Heraclea in Italia ad Crotonem,vt scribit Mela lib. 2. Est item Heraclea,Siciliæ inter Pachynum & Lilybæum, vt scribit idem Mela lib.2,& Ptolemæus. Heraclea Ponti: hodie Naxio portus.
Heraclei,nomen fuit nonnullorum imperatorum Romanorum.
Heracleon,grammaticus AEgyptius,scripsit cōmentarios in Homerum & Lyricos. Suidas.
Heracleopolis,nomen trium ciuitatum. Vna est in AEgypto, ex qua Theophanes physicus:altera non longe à Pelusio:tertia secundum Nili ostium,quod Canopicum est. Ex Volaterrano.
Heraclides Lycius, domi vir clarus, sophistica facultate insignis Smyrnæ docuit,vbi in honore maximo fuit.Dicunt eum olim apud Seuerum principem, extemporali facultate dicentem aulicis præsentibus exterritū sermone, excidisse. Solus sophistarū ad hāc artem industria & labore, natura minimè iuuante contendit. Hæc ex Philostrato. Heraclides alius fuit è Mopso, ciuitate Ciliciæ, grammaticus nobilis,vt scribit Stephanus. Alius præterea pictor nobilis Macedo, qui initio naues pinxit: captóque Perseo à Paulo AEmylio Athenas commigrauit eodem tempore quo & Metrodorus philosophus & pictor. Plinius. Heraclides Ponticus philosophus,Athenas concessit,Platonem,deinde Aristotelem audiuit. Reliquit ingenii monumenta quæ non extant. Vir fuit mollioris habitus,vt pro Pontico Pōpicus vocaretur.Author Diogenes Laertius.Huius etiam meminit Cicero Tuscul.quæst. lib.5.Sunt & alii multi huius nominis apud Laertium.
Heraclitus,penultima producta,Ephesius philosophus,vt tradit Suidas,nullum inuenitur habuisse præceptorem: tātum natura & diligentia solus perfecit. quidā tamen audisse Xenocratem & Hippasum Pythagoricum volunt. Floruit tēporibus vltimi Darii:scripsit poeticè multa: ab Aristotele sæpe testis citatur. De quo sic Cicero lib.5. Tuscul. quæst.Est (inquit) apud Heraclitum physicum de principe Ephesiorum Hermodoro. Vniuersos ait Ephesios esse morte mulctandos:quod quum ciuitateexpellerēt Hermodorum, ita locuti sunt,Nemo de nobis vnus excellat: sin quis extiterit,alio in loco,& apud alios sit.Hæc ille. Hunc aiunt,cū hydropicus esset,

ſpretis medicis oblitum bubulo ſeuo, ſoli ſiccandum ſe præbuiſſe, dormientémque à canibus dilaceratum eſſe. Suidas.

Herbita, Siciliæ vrbs apud Ptolemæum. hodie S. Nicolaus.

Hercules, cognomen, vel fortaſſe potius agnomen Iouis & Alcmenæ filii, qui ob fortitudinem & gloriã creditus fuit quòd inter deos ſit relatus. Fuiſſe autem tres Hercules ſcribit Diodorus. alii ſex autumãt. Primus qui certauit cum Apolline de tripode. Alter Nilo natus AEgyptius, quem aiunt Phrygias literas cõſcripſiſſe. Tertius eſt ex Idæis digitis, cui inferias afferunt. Quartus Iouis eſt, Aſteriæ Latonæ ſororis, qui Tyri maximè colitur, cuius Carthaginem filiã ferunt. Quintus in India, qui Belus dicitur. Sextus Thebanus, ex Alcmena & Ioue tertio genitus, cui aliorum geſta aſſignãt. Ex Cicerone lib. 3. de natura deorum. Herodotus ſcribit Herculem vnũ eſſe ex duodecim diis AEgyptiorum, Græcóſque ab AEgyptiis hoc nomẽ mutuatos indidiſſe filio Amphitryonis. Varro XLIII Hercules nominat: veruntamen omnes qui robore præſtiterunt, hoc nomine ab Hercule Alcmenæ filio appellatos fuiſſe affirmat. Macrobius aſſerit Herculem eſſe Solem, quaſi Heraclen: idque ex nomine clareſcere. Hercules enim nihil aliud eſt, quàm heras, id eſt Iunonís, quod eſt aeris: cleos, id eſt gloria vel laus. Quæ porro alia eſt aeris gloria, quàm Solis illuminatio? Item dictus eſt duodecim labores confeciſſe, quia Sol annuo curſu, duodecim ſigna Zodiaci luſtrat & conficit. Ab Hercules, Hercule, & Hercle, Mehercules, & Mehercule, aduerbia iurandi. Vide Seruium in 8. AEneid.

Herculis portus Ptolemæo, vrbs Maſſilienſium. Vulgo dicitur Villa francha.

Herculis turris Ptolem. li. 4. c. 4, vrbs Cyrenes. vulgo Ziuayra.

Hercynia, maxima Germaniæ ſylua: de qua Cæſar commentariorum ſexto ſic ſcribit, Huius (inquit) Hercyniæ ſyluæ, quæ ſuprà demonſtrata eſt, latitudo nouem dierũ iter expedito patet: nõ enim aliter finiri poteſt, neque menſuras itinerum nouerunt. Oritur ab Heluetiorum & Nemetum, & Rauracorũ finibus, rectáque fluminis Danubii regione pertinet ad fines Dacorum & Anartium. Hinc ſe flectit ſiniſtrorſus, diuerſis à flumine regionibus, multarúmque gentium fines propter magnitudinem attingit. neque quiſquam eſt huius Germaniæ, qui ſe aut audiſſe, aut adiſſe ad initiũ eius ſyluæ dicat, cũ dierũ iter XL. proceſſerit, aut quo ex loco oriatur, acceperit. Hactenus Cæſar, apud quem præpoſtero characterum ordine XL. pro LX. legi videtur. iudicio Vadiani.

Hermæa extrema, Ptolemæo vrbs Africæ minoris: Mercurii promontorium Pomponio Melæ. Vulgo Cabo Denubia.

Hermagoras AEolides, Carion cognominatus, rhetor egregius, scripsit artem rhetoricam libris sex, de diligẽtia orationis, de decoro, de elocutione, de figuris. Docuit Romæ Augusti tẽporibus, decessitque senex. Fuit item Hermagoras alter Amphipolitanus philosophus, discipulus Persei, qui plures scripsit dialogos. Author Suidas.

Hermaphroditus, Mercurii & Veneris filius, vt etiã nomẽ ipsum indicat. de quo apud Ouidium lib. Metamorph. 4.

Hermeas, è Caria dux inclytus Antiochi magni, qui cum eo & Taurum pertransiit, & res magnas gessit. Ad extremum ab eo ob suspicionẽ interfectus vnà cum coniuge & liberis qui erant Apamex. Author Polybius.

Hermenii, populi Moschorum sunt prope Colchos. Perottus.

Hermes Trimegistus, philosophus AEgyptius post Mosen fuit, cuius tempore in AEgypto studia philosophiæ clarere cœperũt, cũ antea tantũ circa Astronomiã, & huius generis disciplinas versarẽtur: quæ ad exercendũ ingeniũ magis, quàm ad illustrãdum animũ valẽt. Scripsit lingua patria dialogum, in Latinũ sermonem postea conuersum, vbi Asclepius introducitur. Deum omnino vnum opinatur omnium conditorem, errorẽmque fatetur parentum suorũ, qui superstitiones idolorũ inuenerint. De hoc plura apud Suidam & Augustinum De ciuitate Dei. Hermes alter item philosophus AEgyptius, auditor Syriani sophistæ, condiscipulus Procli, sub Adriano principe, vir non minore iustitia, quàm doctrina præditus. Moriens iurauit & immortalem se esse, & incorruptibilem animũ habere. Hæc Suidas. Hermes etiam Mercurius dicitur, quòd deorum interpres sit. De quo infra in dictione MERCVRIVS.

Hermiona, Græciæ oppidum, Iunonis fano inclytum, vt notat apud Pomponium Vadianus.

Hermione, fuit Menelai filia, ex Helena cõiuge, quæ Oresti Agamemnonis filio desponsata fuit: sed cum Pyrrhus Achillis filius eã duxisset, Orestes illum occidit, & sponsam recepit. Altera Hermione filia fuit Martis & Veneris, vxor Cadmi, cuius Vulcanus pulchrum sed perniciosum monile formauit: tandem cũ marito mutata dicitur in serpentem.

Hermiones, Germaniæ populi vltimi, vt scribit Pomponius lib. 3, in fine descriptionis Germaniæ. Pomerani hodie vocãtur, vt notat Vadianus. Horum meminit Tacitus.

Hermippus, Atheniensis poeta antiquæ comœdiæ, altero captus oculo, frater Myrtili comici, scripsit fabulas XL. Fuit item alter Hermippus Berytius, discipulus Philonis Biblii, qui multa compo-

fuit sub Adriano principe. Suidas.

Hermocrates Phocensis,clarus sophistica facultate,Antipatri magistri epistolarum Seueri principis, filiā haud forma bona inuitus imperatore cogente duxit,quam postea repudiauit.Philostratus.

Hermodorus Siculus, auditor Platonis,cui vitio datū est, quòd quæstui philosophiā habuerit: dictata quæ sub præceptore audiuerat colligendo,ac dein in Sicilia venditando. Hermodorum alterum Ephesium fuisse cōstat,qui à suis expulsus est,cuius meminit Cicero Tuscul.quæst.lib.5. Vide HERACLITVS.

Hermogenes Tarsensis,annos natus X V, sophista adeò probatus est,vt fama eius ad auditorium Marcum Antoninum principē exciuerit,ab eóque munera egregia tulerit. Deinde tempore procedente,cum facultatis habitum deperdidit,nulla morbi causa.Proinde Antiochus sophista dicebat,Hermogenes in pueritia senex, & in senectute puer.Ex Volaterrano lib.15.

Hermolaus,Constantinopolitanus grammaticus, scripsit ad Iustinianum Cæsarem Epitomen in librū Stephani de vrbibus. Author Suidas. Memoratur & ante hunc alius,qui cōtra Alexandrū coniurauit. Alius item Plinio lib. 36.cap.5.statuarius,inter eos qui ædes principum signis nobilibus ornarunt.

Hermopolis, vt ait Volaterranus lib.12,vrbs AEgypti in Sebennitica præfectura vbi Pan colitur & hircus,vt ait Pindarus.

Hermus,fluuius Lydiæ trahēs aureas arenas. Virgilius 2.Georg. Nec pulcher Ganges,atque auro turbidus Hermus.

Hernici,populi sunt Italiæ in Campania,in locis asperis habitātes.Nam Hernæ,Sabinorū lingua,saxa dicuntur.Hos tamen Hernicos appellatos voluit Macrobius ab Herno quodam Pelasgo eorum duce.Horum metropolis est Anagnia.

Herodes Atticus,Athenis natus,nobilitate generis, potētia simul & sophistica facultate clarus, genus ex AEacidarū sanguine ducebat,patre Attico, cui diuitiarum initium ex thesauro prope domū reperto fuit.Huius Herodis vitam vide apud Philostratum. Herodes item alii, de quibus vide librum interpretationum propriorum nominum Biblicorum.

Herodianus,Alexandrinus grammaticus,Apollonii etiam grammatici filius & discipulus,floruit sub Marco Antonino imperatore. Scripsit de arte grammatica:præterea Cæsarum historiam quæ ad nos peruenit.Author Suidas.

Herodotus Halicarnasseus, claris ortus parentibus, nempe patre Lyxo,matre Dryone,fratrem etiam habebat Theodorum.Scripsit historiam libris nouem, quorum quilibet musæ nomine inscribi-

tur. Cœpit à Cyro Persarum rege. Secessit in Samum Lygdami tyrannide offensus, qui tunc in patria regnabat. eo expulso rediit. Postremò inuidiæ ciuium obnoxius, spōte Thurium concessit, Atheniēsium coloniā, vbi extinctus est & sepultus: licet aliqui Pellæ dicant. Author Suidas.

Heron, Atheniensis orator, scripsit commētarios in Herodotum, Xenophontem, & Thucydidem. Author Suidas.

Herostratus, fuit vir scelestus & ignauus, qui vt nomē memoria sceleris propagaret, incēdium nobilissimæ fabricæ templi Ephesiæ Dianæ manu propria struxit, sicut ipse cōfessus est, voto adipiscēdæ famæ latioris, vt scribit Strabo lib. 14.

Hersilia, Romuli vxor, cuius meminit Liuius libro primo.

Herillus, Calcedonius philosophus, Zenonis discipulus fuit, qui cū audisset sciētiā laudatā esse ab Aristotele & Theophrasto, summū bonū in ea posuit. Huius meminit Cicero li. 4. Acad. & lib. 2. de fin.

Hesiodus, poeta Ascræus, scripsit poemata, Theogoniā, ἔργα καὶ ἡμέρας, Opera & dies. quod imitatus est Virgilius. Primus agricul turæ præcepta tradidit, vt Plinius lib. 14. scribit.

Hesione, filia Laomedontis regis Troiæ, vxor fuit Telamonis, & mater Aiacis & Teucri.

Hesperiæ (inquit Seruius) duæ sunt: vna quæ Hispania dicitur, altera quæ est in Italia, quæ hac ratione discernūtur. aut enim solam Hesperiam dicis, & significas Italiam: aut addis vltimam, & significas Hispaniam, quæ in occidentis est fine. vt Horatius, Qui nunc Hesperia sospes ab vltima. Et hæc est vera Hesperia, ab Hespero dicta, id est occidentis stella. Cæterum Hesperia, Italia dicitur ab Hespero fratre Atlantis, qui pulsus à Germano, Italiam tenuit, eique nomen pristinæ regionis imposuit, vt Higinus docet. Hæc Seruius enarrans illud Virgilii AEneid. primo,

Est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt. Hesperides (inquit Seruius) Atlantis filiæ, nymphæ, secundum fabulam hortum habuerunt, in quo erant aurea mala Veneri consecrata, quæ Hercules missus ab Eurystheo, occiso peruigili dracone, sustulit. Re vera autem fuerunt nobiles puellæ, quarum greges abegit Hercules, occiso eorū custode. Vnde mala fingitur sustulisse, hoc est oues: nā μῆλα dicuntur. vnde μηλονόμος dicitur pastor ouium. Hæc Seruius apud Virgilium. De iisdem lib. 4. Silius,

Quid domus Hesperidum, aut luci iuuere dearum,
Fuluos aurifera seruantes arbore ramos?

Hesperus, Atlātis frater, à quo Italia Hesperia dicta. Scribit Diodorus Hesperum conscendisse cacumen montis Atlantis ad cursus

astrorum obseruandos,& nunquam deinceps comparuisse:cui vulgus hominum diuinos honores exhibuit, astrúmque lucidissimũ eius nomine appellauit. De quo Virgilius,

Ite domũ saturæ,venit Hesperus,ite capellæ. Hæc etiã serotina stella dicitur,vt apud eundem lib.1.Georg. Quid Vesper serus vehat.

Hesseni, Palæsthinæ populi,apud quos lege colũbis parsũ olim, & tantam earum copiam factam,vt aduenarum ora cicures petierint,vnde sunt illa Tibulli verba libro primo,

Quid referam vt volitet crebras intacta per vrbes
Alba Palæsthino sancta colũba viro? Plini⁹ lib.5.ca.17,Hesseni, gens sola, & in toto orbe præter cæteras mira, sine vlla fœmina, omni Venere abdicata,sine pecunia,socia palmarum,&c.

Hestiæa,Eubœæ insulæ oppidum,vt scribit Pomponius lib.2. De hac etiam meminit Homerus lib.Iliad.2.in Catalogo.

Hesichius, Milesius sub Anastasio principe scripsit Onomatologion,id est Catalogum nominum. Quorum epitome Suidas se fatetur vsum esse.Composuit & historiam libris VI,in quibus complectitur tam Romanorum imperatorum,quàm aliarum gentium & tyrannorum res gestas vsque ad sua tempora,vt ait Suidas.

Hetruria, Italiæ regio,ad Macram fluuium vsque protenditur, vbi Liguriæ principiũ est, quæ Varo in extimo Italiæ termino finitur. In Hetruria hodie Florentia clarissima,aliquãdo Fluentia dicta. Porro Hetruria dicta est,quòd eius fines tenebãtur olim vsque ad ripam Tyberis:& quasi ἑτερόρια, & per syncopẽ ἑτρορία. Nam ἕτερος, est alter:& ὅρος,finis vocatur. Roma enim antea vnam tantum Tyberis ripam tenebat. Iuuenalis, -& quæ
Imperii fines Tyberinum virgo natauit. Hæc Seruius apud Virgilium.

H I

Hiarbas, rex Libyæ, qui Didonem re vera voluit ducere. Et vt habet historia,cum hæc negaret, Carthagini bellum intulit: cuius timore cum cogeretur à ciuibus, petiit vt antè placaret manes mariti, & exædificata pyra se in ignem præcipitauit. Ob quam rem, Dido,id est virago dicta est,quæ virile aliquid fecit. Nã Elisa propriè appellata est. Hæc Seruius explicans illud Virgilii 4. AEneid. Non Libyæ, non antè Tyro despectus Hiarbas. Scribitur nõnullis sine aspiratione.

Hibernia, insula in mari Atlantico. Cæsar lib. quinto cõment. belli Gallici, Hibernia (inquit) dimidio minor,vt æstimatur,quàm Britannia. Huius incolæ, longe magis quàm Britanni syluestres sunt,vt scribit Strabo lib.4.

Hidruntũ, Hydrus Ptolemæo lib.3.cap.1, Calabriæ oppidũ iuxta Ionium mare. Vulgo Otronto.

Hiera, insula est maris Siculi vna ex AEoliis. Dicta autem ἱερὰ id est sacra, quòd Vulcano sacrata est, & plurimũ colle eminentissimo nocte ardet, vt scribit Solinus cap.11.

Hierapolis, Syriæ vrbs Ptolemæo lib.5. Bambycen Plinio, Syris Magog.

Hieri, populi sunt vltra Sauromatas, calui & simi à natiuitate omnes, & promiscue barbam habentes. Perottus.

Hiero Syracusanus, cũ esset ex duce rex factus, populi Romani perpetuus amicus fuit: ac cum omnis expers disciplinæ in morbũ incidisset, erudiri cœpit, ac vltro sermonibus physicis aures accõmodare, donec paulatim, dum per valetudinẽ licuit, poetis Pindaro & Simonide accersitis vsus est. Author AElianus de varia historia.

Hiero alter Ferreus cognomento Atheniensis, familiaris Niciæ ducis Atheniẽsis, vnáque cum eo disciplinis eruditus: poemata nõnulla conscripsit, quæ Plutarchus in Nicia ad ætatem suã peruenisse testatur.

Hieronymus, Siciliæ tyrannus, Hieroni patri successit admodũ puer: cui pater metuens relictis tutoribus XV I, mandauit moriens vt fidem erga Po. Ro. annos quinquaginta ab se cultam, inuiolatã seruaret. Hic postea abiecta tutela, contẽpta patris disciplina ac moderatione, luxuriosius & arrogantius agendo, à Romanis desciuit, Annibalíque adhæsit. Cúmque superbè nimis in ciues sese haberet, ab eisdem interfectus est. Author Liuius lib.4. secũdi belli Punici.

Hieronym⁹ historicus Rhodius, familiaris Demetrii Poliorcetis, relictúsq; ab eo præfectus in regione Bœotiæ, scripsit res ipsius Demetrii gestas, vt scribit Plutarchus in Demetrio.

Himera, oppidum est, & fluuius eiusdẽ nominis in Sicilia, vt scribit Plinius cap.8. lib.3.

Hipparchus, Nicæus astrologus, scripsit de Arati Phænomenis, de stellis fixis, de lunæ motu contra Platonem. Primus instrumẽta mathematica inuenit, vnde hæc sensibus deprehẽdi possent, Plinio maxime laudatus. Hipparchus itẽ alius fuit poeta comicus, cuius fabula quædam περὶ γάμων, id est de nuptiis inscribitur. Suidas. Alius propinquus Aristotelis, alius Eretriæ tyrannus. Hipparchus quoque filius Pisistrati tyrãni, qui ob libidinẽ in Harmodiũ, Aristogitonis coniurationem in se excitauit, vt est apud Thucydidem: Idem vt inuidiam tyrannidis sapiẽtiæ opinione extingueret, literas coluit, virísque doctis maximè fauit, vt est author AElianus de varia historia.

Hippaſus Metapontinus,auditor Pythagoræ,vir doctiſſimus, nihil ſcripſit,vt ait Demetrius.

Hippe,Chironis centauri filia fuit: quæ cum in monte Pelio ſeſe venando exerceret,grauida facta eſt,& ob id patris indignationem timens , deorum miſeratione in equam conuerſa eſt , & in cælum tranſlata.Perottus.

Hipperides,Athenienſis orator, æmulus quãdoque Demoſthenis, accuſatúſque ab eo ſuper rapina pecuniæ:deinde ambo dãnati iuſſu Antipatri,Hipperides aufugit in AEginam,&c.Volaterranus lib.6.

Hippias,Eleus philoſophus,diſcipulus Hegeſidemi,vt tradũt Cicero & Quintilianus, non liberalium modò artium præ ſe ſcientiã tulit, ſed earum quas Græci mechanicas vocãt,vt & veſtem,& annulum,crepidáſque,ac omnia quæ ferebat,manu faceret.Atque ita ſe comparauit,ne cuiuſquam ope egeretſummũ bonũ αὐτάρκειαν poſuit, hoc eſt,eo contentum eſſe quod ſimplici victui ſat eſſet. De quo ſic Cicero libro de Oratore 3, Hippias Eleus (inquit) cum Olympiam veniſſet, maxima illa quinquennali celebritate ludorũ gloriatus eſt cuncta pene audiente Græcia,nihil eſſe vlla in arte rerum omnium,quod ipſe neſciret: nec ſolum has artes,quibus liberales doctrinæ atque ingenuæ continerentur,geometriam,muſicã, literarum cognitionem & poetarum,atque illa,quæ de naturis rerum,quæ de hominum moribus,quæ de rebuſpublicis dicerentur: ſed annulum quem haberet, pallium quo amictus, ſoccos quibus indutus eſſet,ſe ſua manu cõfeciſſe,&c.Hacten⁹ Cicero. Fuit item Hippias,Piſiſtrati filius,de quo Cicero ad Atticum ſic ſcribit, Neſarius(inquit)Hippias,Piſiſtrati filius,qui in Marathonia pugna cecidit,arma contra patriam ferens.

Hippo duplex in Africa. Hippo regius,Hic epiſcopatu inſignis eſt diui Auguſtini,qui ſe alioqui Tagaſtanum fuiſſe,è Tagaſta Africæ oppido, libro ſecundo Confeſſionũ ſcribit. Strabo libro vltimo vtranque Hipponem regiam nominat, niſi codex vitiatus eſt. Alterum autem,Diarrhyton Græcis dictũ Plinius ſcribit, quòd paluſtri ſolo madet.Vtranque Silius lib.3.vno verſu expreſſit,

Tum vaga,& antiquis dilectus regibus Hippo. Vagã enim Diarrhyton nominat,quòd paluſtri ſolo ſita ſit,quare terræ motibus frequentius infeſtatur. Nec perperam vagam dixit fœmineo,cum ſic æquè vt maſculino proferãtur.Plini⁹cap.34.lib.6,Vtraque (inquit) Hippo . Diarrhytus memorabilis eſt Delphini mãſuetudine,ex hominis manu cibum capiẽtis,cuius cap.8.lib.9,Plinius meminit. Vtranque Hipponẽ Græcos equites condidiſſe, author eſt Solinus.

Eſt & Hippo, puellæ Bœotiæ nomẽ apud Plutarchũ in Pelopida.

Hippocẽtaurus,idem quod Centaurus.Cicero lib.primo Tuſcul. quæſt. Hippocentaurũ negat vnquam fuiſſe. Et libro ſecundo de natura deorum,Quis enim(inquit) Hippocentaurum fuiſſe,aut Chimærã putat? quǽve anus tam excors inueniri poteſt, quæ illa,quæ quondam credebantur apud inferos,portenta extimeſcat?

Hippocrates, Cous medicus,auditor Democratis,vt quidam volunt,vixit apud Perdicam Macedoniæ regem.Exceſſit è vita annos natus CIIII. ſuſcepit filios Theſſalum & Draconem. Artaxerxes rex Perſarum ad Hiſcanem Helleſponti præfectum de Hippocrate ſic ſcripſit,Rex regum magnus Artaxerxes,Hyſtani Helleſpõti præfecto ſalutẽ. Hippocratis medici AEſculapio prognati, ad me artis fama peruenit. Da igitur operam vt aurum illi tribuas quantum cupit,aliáque item quorũ indiget, & eum ad me mitte : erit enim par honore ſummis in Perſide viris, &c. Author Valerius.

Eius libri tanquam diuino emanauerint ore,vbique celebrantur. in primo enim Iuſiurandum continetur, in ſecũdo Prognoſtica,tertio Aphoriſmi, quarto illa admirabilis compoſitio LX. libris omnem ſcientiam medicinæ complectens.Hæc ex Suida. Hippocrates, præter ſuperiorem, Suidas quinque commemorat, omnéſque eiuſdem artis & familiæ, quorũ omnium excellentiſſimus fuit primus. Hippocratem alium , Athenienſium ducem ponit in bello Peloponneſiaco Thucydides.

Hippocrene, teſte Bocatio, fons eſt Bœotiæ. Hunc aliqui fingunt ob equi Pegaſii percuſſionem factum, & hinc denominatũ. Quod quidem figmentum facile detegitur,ſi ſecundum quoſdam inſpiciatur hiſtoria.Volunt quidam Cadmum equo inſidentẽ,dum ſedem ſibi ſociiſque perquireret,primo ad hunc fontem conſtitiſſe:& quia literarum Græcarum repertor fuit, quarum forſan meditationem ibidem ſumpſit,illum muſis ſacrum eſſe voluit.

Hippodame(inquit Seruius)ſeu Hippodamia,filia fuit OEnomai regis Elidis & Piſarum.hic equos habuit velociſſimos,vtpote ventorum flatu creatos,qui procos filiæ multos necauit:ſub hac conditione prouocatos ad currule certamen,vt aut victus traderet filiam, aut victos necaret.Hæc Seruius enarrans illud Virgilii lib.Georg.3,

Cui non dictus Hylas puer,& Latonia Delos,
Hippodaméque,humeróque Pelops inſignis eburno
Acer equis?&c. De hac infra in dictione OENOMAVS.

Hippodamus Mileſius,natura ſtudioſus,primus eorum qui in republica verſati non eſſent, cœpit aliquid dicere de optimo ciuitatis ſtatu. Conſtituit enim ciuitatem ex numero X millium, diuiſam in partes tres, artifices, agricolas & milites. Regiones in totidem

partes, sacram, publicam & priuatam. Erat ob ambitionem vita morosior, crinium prolixitate, ac sumptuoso ornatu. Aristoteles libro 2.Politic.

Hippopodes, populi Scythici humana forma, sed equinis pedib9 nascentes. Plinius lib.4.cap.13.

Hippodôrus, vnus Codridarum, inuidiam populi vitare cupiens, & optimam simul principis famam inter Athenienses adipisci, seueritate in suos est vsus, ac filiam cum mœcho deprehensam currui iussit adligari atque discerpi. AElianus de varia historia.

Hippodromus, Thessalus genere, patria Larissæus, circa M.Antonini principis tempora Athenis scholæ successit, vt est author Philostratus qui eum inter sophistas retulit.

Hippolochus fuit, teste Homero libro Iliados sexto, filius Bellerophontis, & Glauci pater. Alter, teste eodem, libro vndecimo, fuit Antimachi Troiani filius, qui vnà cum Pisandro fratre ab Agamemnone in Troiano bello interfectus est.

Hippolyte, vxor Acasti regis Magnesiæ, quæ Peleum falsi criminis accusauit apud virum suum, dum ille sibi consentire nollet. Alia fuit Amazonum regina, quam Hercules prælio victam Theseo dedit vxorem.

Hippolytus, filius Thesei, Phædræ nouercæ, quòd eius libidini non paruerit, insidiis petitus, discerptúsque propterea rogatu patris. Nam iratus pater Theseus inuocauit AEgeum patrem, vt Hippolyto currus agitanti immitteret Phocam: qua territi equi currum ruperunt, Hippolytúmque discerpserunt, vt author est Seruius.

Hippomachus, tibicen fuit, qui cum videret à plebe laudari discipulum, quem tamen in arte peccare cognoscebat, baculo tactum desistere iussit, dicens maximum erroris argumentum quòd ab ignara turba laudaretur. AElianus author.

Hippomenes, Neptuni nepos, ex patre Macareo, Atalantam puellam Scyriam cursu potentem vicit, & in luco matris deûm amoris impatientia cum victa cõcubuit, vt scribit Seruius. Vide ATALANTA.

Hippona, dea erat equorum, quam stabularii colebant. Eius simulachrum locabatur in stabulis. Ab hac ergo dea, Hippones dicti videntur. Solinus.

Hipponax Ephesius, scriptor Iamborum, vixit Clazomenis, expulsus patria à tyrannis. Suidas. De hoc vide Plinium lib.36. cap.5. & Solinum.

Hipponicus, Hippiæ filius Atheniensis, cum patriæ statuam dedicare decreuisset, nonnullis eam à Polycleto confici suadentibus,

illi nequaquam visum est, quòd ob operis pulchritudinem ab aspicientibus,non dedicantis,sed potius artificis virtus laudaretur. Author AElianus.

Hippus,fluuius est Moscorum in Phasin defluens. Strabo lib.11, Hanc Phasis partē illabitur ingens flumen,quod ortum ex Armenia ducens,Glaucū in se recipit, atque Hippum è vicinis montibus cadentes.

Hipsicratea, fuit vxor Mithridatis,quæ maximè virum suum dilexit. Volaterranus, Mithridates Hipsicrateam coniugem in omnibus bellis adiutricē, armatámque habuit,crudelis alioquin in suos.

Hira,fuit maritima vrbs in agro propinqua Pylo,sub Agamemnonis dominio,vt testatur Homerus lib.11. Iliad.

Hirpiæ,familiæ sunt, ait Plinius lib.7.cap.2.paucæ, haud procul vrbe Roma in Faliscorum agro. Hæ sacrificio annuo, quod fit ad montem Soracten Apollini,supra ambustam ligni struem ambulantes non aduruntur. Hirpi Solino vocantur.

Hirtius, consul, cum Pansa collega in prælio ab Antonio cæsus, vt scribit Cicero lib.Epistolarum 12.epistol.25.

Hispania,Europæ regio, ampla inter Africam & Galliam, terra, viris(nam Quintilianum,Senecam,Martialem,Silium,Lucanum, aliósque innumeros genuit)equis,ferro,plumbo,ære, argento, auróque tam abundans,& adeò fertilis,vt sicubi ob penuriam aquarū effœta,& sui dissimilis est,linum tamen, aut spartum alat.Ea in vlteriorem aliquando & citeriorem diuisa est: Vlterior in Mauritaniā & Atlanticum inclinās. Prouincias habet,Bæticam fertilissimam,à Bæti,quo irrigatur,amne dictam. Alteram Lusitaniam,à Luso comite Liberi patris sic vocatam,vt tradit Plinius lib.3.cap.1. Tarraconensem tertiam, à Tarracone, à Scipionibus condita vrbe dictam. In ea hodie regna sunt Tarraconiæ seu Aragoniæ , vel Cataloniæ, Nauarræ,Castellæ:in Bætica,Granatæ. Lusitania ferè ad Portugalliam attinet,supra quam Gallicia est, & Vasconum sedes, in septentrionem exposita . Amnes Hispaniæ clarissimi sunt, Ibērus, Bætis, Tagus, Anas, & Durius. Vide tabulam Europæ secundam Ptolemæi:& adhibe quæ scribit cap.primo lib.3. Plinius.

Hispalis, ciuitas vlterioris Hispaniæ, nunc vulgo Sibilia dicitur. Plinius lib.2.cap.97.

Histiæa, ciuitas in Eubœa,de qua meminit Homer⁹ lib. Iliad.2.

Histiæus, fuit Milesiorū tyrānus, vt scribit Herodotus lib.hist.6.

Histonium,Italiæ oppidum,non procul à mōte Gargano,vt scribit Pomponius lib.2.

Hodius, fuit teste Homero lib.9.Iliad.vnus ex Græcorum præ-

conibus in bello Troiano.

Hœtichius, Homero teste lib. 7. Iliad. vir fuit Achiuus lōge optimus artis statuariæ opifex.

Homerus, Græcorum poetarum excellentissimus, vixit ante Romam conditam annis C L X, vt Cornelius Nepos scribit. Hic fuit cæcus, & ob id Homeri nomen sortitus est, cum prius Melesigenes diceretur. Eius patria ignota fuit. Nam, vt ait Cicero, Homerum Colophonii ciuem esse dicunt suum, Chii suum vendicāt, Salaminii repetunt: Smyrnæi verò suum esse confirmant, itáque etiam delubrum eius in oppido dedicauerunt: permulti alii præterea pugnāt inter se atque cōtendunt. Et paulo pòst, Quàm multos scriptores rerum suarum magnus ille Alexander secum habuisse dicitur! atque is tamen, cum in Sigæo ad Achilis tumulum astitisset, O fortunate (inquit) adolescens, qui tuæ virtutis præconem Homerum inueneris! Et vere. Nam nisi Ilias illa extitisset, idem tumulus, qui corpus eius contexerat, nomen etiam obruisset. Hæc Cicero in oratione pro Archia poeta.

Homole, mons est Magnesiæ, siuę Thraciæ, Straboni lib. 9.

Homolium, oppidum Magnesiæ, Plinio lib. 4. cap. 9.

Horatius Cocles, Romanus vir clarissimus id cognomētum adsequutus, quòd in prælio oculum amiserit. Vnde Plautinus cauillus in seruum qui altero oculo captus erat, eum nobilem ac de Coclitum familia appellando. Horatius item Puluillus, subrogatus in locum Lucretii defuncti in cōsulatu: huic sorte euenit, vt ædem Iouis Capitolini dedicaret. Liuius lib. 2. Fuerunt præterea Horatii tres, qui cum Curiatiis, Albanis congressi sunt, vt est author Liuius. Horatius Flaccus, poeta in Venusio Apuliæ vico natus, patrem habuit libertini generis. vnde illud,

Quem rodunt omnes libertino patre natum. Eius vitam pluribus scripsit Crinitus.

Horodes, rex Parthorum qui M. Crassum occidit.

Horontes, Vide ORONTES.

Hortensia, Hortensii filia fuit eloquentissima: quæ, cum matronarum ordo graui tributo à Triumviris, Octauio M. Antonio Lepido premeretur, nec virorum quisquam ipsi adesse auderet, causam constanter egit: repræsentataque patris facundia, impetrauit vt maior pecuniæ pars eius remitteretur.

Hortensius, Romanus rhetor, qui in foro Romano causarum rex ob eloquentiam dictus est: licet eius scripta infra famam fuerint: De quo Cicero in Bruto sic refert, Primùm memoria tanta, quantam in vllo cognouisse me arbitror, vt quæ secum commen-

tatus esset, ea sine scripto verbis eisdem redderet, quibus excogitauisset. Hactenus Cicero.

Horus, Isidis filius, quem cum Isis amisisset, verita ne illi obueniret quod Osyri patri acciderat, multum fleuit: sed eo inuento, mœrorem in lætitiam conuertit. Horus item, Assyriorum rex, Plinio lib.30. cap.15. Horus etiam ab AEgyptiis dicitur Sol, apud Bocatium.

Hosa, Tuscorum fluuius, Ptolemæo: Martha hodie.

H V

Hunni, gens Scythica, & ferocissima prope Gothos. hi temporibus Valentiniani principis orbem peruagati, duce Atila, multas & maximas clades ediderunt in Gallia & Italia. Tandem cum vrbi Romæ imminerent, Leo pontifex vir sanctus Atilam adiit, & in Pannoniam redire persuasit. Hodie Vngari vocantur.

H Y

Hyacinthus, puer à Borea & Apolline adamatus, vt ait Seruius: qui cum magis Apollinis amore lætaretur, dum exercetur disco, ab irato Borea, eodem disco est interemptus, & mutatus in florem sui nominis, qui primùm de Hyacinthi sanguine natus est: deinde de Aiacis, sicut & Ouidius docet. Est autem quasi lilium rubrum designans primam Hyacinthi literam. Hæc Seruius enarrans illud Virgilii Ecloga 3, -Phœbo sua semper apud me

Munera sunt, lauri, & suaue rubens hyacinthus.

Hyades, fuerunt septem Atlantis filiæ, quæ fratrem suum (qui Hyas dictus est) à leone deuoratum ita fleuerunt, vt ab eo denominatæ sint, & ob pietatem in cælum translatæ. sunt enim septem stellæ in capite Tauri, quæ & Suculæ dicuntur & Atlantides. Ouidius lib.5. Fastorum,

At simul inducent obscura crepuscula noctem:
Pars Hyadum toto de grege nulla latet.
Ora micant Tauri septem radiantia flammis,
Nauita quas Hyadas Graius ab imbre vocat.

Hybernia, Insula inter Septentrionem & Occidentem solem, dimidio minor q̄ Britannia, cui propinqua est. Ab hyberno tempore vt quidam putant, sic appellata, propter hyemis magnitudinē. Hinc Hybernicus adiectiuum: vt Mare Hybernicum. Vide Plinium lib. quarto, cap.16.

Hybla, ciuitas est Siciliæ, & mons, abundās apibus & optimo melle: à quo Hyblæus dicitur. Virgilius,

Hyblæis apibus florem depasta salicti. Silius,

Tum quæ nectareis vocat ad certamen Hymetton

Audax Hybla fauis.

Hydarnes siue Hydarnus, fuit nobilis Persa, qui, teste Herodoto libro 3, cum Dario in Magum coniurauit. Vide Strabonem lib. 11.

Hydaspes, fluui⁹ Indiæ, dictus ab Hydaspe, antiquissimo Medorũ rege. Lucanus li.6, Qua rapidus Ganges, & qua Nissæus Hydaspes.

Hydrus Hydruntis, vrbs in litore Adriatici maris apud Strabonem: quæ & Hydruntum dicitur in Calabria.

Hydrusa, vrbs in Attica regione apud Strabonem. Est & Hydrusa, insula, alio nomine Andros dicta. Author Plinius.

Hylas, Herculis socius, qui aquatum profectus, raptus est à Nymphis in Mysia. Author Seruius.

Hymettus, mõs Atticæ regionis, floribus abundãs & apibus. Ouid. Vertice de summo semper florentis Hymetti. Ex eodem secabatur marmor, quod Hymettium dicitur.

Hyela, teste Herodoto lib. Historiarũ 1, ciuitas in agro OEnotriæ, à Phocensibus, qui Rhegium confugerant, condita. Strabo lib. 6, Alius item flectenti contiguus sinus offertur, vbi vrbs ab ædificatoribus Phocensibus Hyela nominata est.

Hygris, ciuitas Sarmatiæ apud Ptolemæum. vulgo Tabardi.

Hylæa, regio est à qua Hylæum mare coaluitur. Hieron. Traiecto Borysthene, à mari in primis est Hylæa regio. Herodotus lib. 4, Cũ abiisset in Scythiã, venit ad locũ qui dicitur Hylæa, iuxta Achillis cursum sita, vbiq; omnifariis arborib⁹ referta. Vide Volaterranũ li. 7.

Hyllus, fuit Herculis ex Deianira filius: de quo Seneca in Hercule, Si vera pietas Hylle est quærenda tibi, iam perime matrem. Hyllus item Straboni 13, fluuius est, qui nunc Phrygius appellatur.

Hylonome, fœmina Centaura & biformis, quæ mortuo marito Cyllaro, gladio suo incubuit. Ouid. lib. Metamor. 12,

Vt videt extinctum, dictis quæ clamor ad aures
Arcuit ire meas, telo quod inhæserat illi,
Incubuit, moriénsque suum complexa maritum est.

Hymantopodes, populi loripedes in AEthiopia sunt, quibus serpendo ingredi natura est. Plinius lib. 5, cap. 8.

Hymenæus (inquit Seruius) deus est nuptiarum, vt quidam volunt: vt alii, quidam iuuenis fuit, qui die nuptiarum oppressus ruina fuit. Vnde expiationis causa nominatur in nuptiis. sed falsum est. nam vitari magis debuit nomen extincti. Sed hoc habet veritas: Hymenæus quidam apud Athenas inter bella sæuissima virgines liberauit: quam ob causam nubentes, eius inuocant numen, quasi liberatoris virginitatis. Hinc etiam apud Romanos Talasio inuocatur. Cum enim in raptu Sabinarum mulierum ple-

beius quidam raptam pulcherrimam duceret: ne ei auferretur ab aliis, Talasionis eam ducis nobilis esse simulauit: cuius nomine, puellæ fuit tutata virginitas. Hæc Seruius enarrans illud Virgilii 1.AEneid.

Pergama cum peteret,inconcessósque Hymenæos,
Extulerat,matris Lædæ mirabile donum.

Hypæpa, ciuitas est Straboni lib.13, ex Tmolo in Caystri campum descendenti. Vide Ptolemæum lib.5.cap.2.

Hypanis,Sarmatiæ fluuius est, de quo Vitruuius cap.3. lib.8, In Ponto(inquit)est flumen Hypanis,qui à capite profluit circiter millia XL sapore dulcissimo: deinde cum peruenit ad locum qui est ab ostio ad millia CLX, admiscetur ei fonticulus oppidoquàm paruulus. Is cum in eum influit, tunc tantam magnitudinem fluminis facit amaram.Hactenus Vitruuius. Fonticulũ autem quem admisceri diximus, Exampeum Mela nominat, cuius meminit Herodotus lib.4.

Hypatia, mulier Alexandrina,Theonis Geometræ filia, & vxor Isidori philosophi. vixit imperante Arcadio. scripsit in Astronomiam.professa est Alexandriæ varia disciplinarum genera magno & frequenti auditorio,conuolantibus vndique discipulis.Suidas.

Hypatos,Phœniciæ amnis est, cuius meminit Plinius,& Mela libro primo in descriptione Phœniciæ.

Hypenor fuit princeps quidam Troianus, quem,teste Homero lib.5.Iliad.Diomedes in bello occidit.

Hypenus,Athleta,qui primus diaulo vicit.Pausanias.

Hyperborei(inquit Pomponius Mela)super Aquilonem Riphæósque montes sub ipso syderum cardine iacent, vbi sol non quotidie vt nobis,sed primùm verno æquinoctio exortus, autumnali demum occidit:& ideo sex mensibus dies,& totidem aliis nox vsque continua est.Terra angusta, aprica, per se fertilis: cultores iustissimi,& diutius quàm vlli mortalium,& beatius viuunt,&c. Hactenus Mela. Plinius item cap. decimoseptimo libri sexti eadem prorsus tradit.

Hyperechius, Alexandrinus grammaticus, sub Martiano principe scripsit De nominibus & verbis, & De orthographia. Author Suidas.

Hyperides Atheniensis, vnus è decem oratoribus primis, æmulus quandoque Demosthenis,accusatúsque ab eo peculatus: deinde ambo damnati iussu Antipatri. Hyperides in AEginam se contulit,ibíque ab Archia Tyrio satellite captus,& ad Antipatrum missus necatur,lingua excisa,vt testatur in Demosthene Plutarchus.

Hyperion, aliis Solis pater, aliis Sol ipse, quòd eat super terras, dicitur. Poetæ pro Sole ipso vsurpant. Ouidius lib. primo Fastorum, Placat equo Persis, radiis Hyperiona cinctũ. Diodôrus scribit Hyperiona Saturni fratrem fuisse, Cæli filium, qui Solis ac Lunæ, aliorúmque astrorum motus, horásque primum summa cura obseruationéque à se percepta, cæteris noscenda tradidit. Ideo eorum parens nominatur, veluti ipsorum naturæ contemplator. Frequẽs est Solis epitheton apud Homerum.

Hypermestra, Danai filia, sola ex Belidibus Lynceo viro suo pepercit, à quo postea Danaus, postquã annos regnasset quinquaginta, interfectus est.

Hypsenor, fuit teste Homero lib. 5. Iliad. filius magnanimi Dolopionis, qui erat sacerdos Scamandri: in tanto honore habitus ac si deus quidam esset. Illum Eurypilus in bello Troiano interemit.

Hypsicratea, vxor fuit Mithridatis regis quæ Persico habitu induta, & in habitum virilẽ reformata, tonsis capillis victum à Cn. Pompeio Mithridatem per efferas gentes fugientem, animo pariter & corpore indefessa sequuta est. Huius meminit Plutarchus in Pompeio.

Hypsiphile, filia Thoãtis regis Lemni: quæ, cũ mulieres in Lemno viros omnes communi consilio necarent, ipsa patrem seruauit, & dimisit. Ob id ipsa eiecta è Lemno, & à piratis capta, & Lycurgo regi Thraciæ diuendita fuit pro nutrice filio Ophelti. De qua vide in dictione LEMNOS.

Hyrcania, Asiatica regio est, magna ex parte plana, & præclarissimis vrbibus adornata, & adeò opulenta, vt cũ optimis terris merito sit comparanda. In ea regione sunt pantheræ, pardi, tigres, vt est Author Pomponius Mela lib. 3.

Hyrcanum, siue Caspium mare, mare Abacuc, siue mare de Sala hodie vocitant, quem Ptolemæus lacum facit.

Hyrium, Apuliæ vrbs Ptolemæo, Tirium alio nomine, vulgo Lesina.

Hyrtacus, à quo Hyrtacides Virgilio lib. 9, vir fuit Troianus ex Ida monte, qui filium habuit Nisum AEneæ comitem.

I A

IA, minor fuit Atlantis filia, soror Maiæ matris Mercurii, de qua Homerus lib. 14. Odysseæ scribit.

Iaua, Hispaniæ ciuitas, Ptolemæo. vulgo Iaca.

Iacchus, Bacchus dicitur ἀπὸ τῶ ἰαχῶ clamo, canto. nã qui Baccho sacrificabant, clamare solebant. Et duplici cc scribi debet, quanquam in verbo ἰαχῶ sit simplex c: quod ideo fit vt in Iaccho secun

da producatur. Virgilius, Gratissima vitis Iaccho. Nonnunquam etiam ponitur pro vino. Virgilius Ecloga 6,

Inflatum hesterno venas, vt semper, Iaccho.

Iadera, Illyrici oppidum, Apolloniæ & Salonæ vicinum, teste Pomponio libro 2. Iaderæ meminit & Plinius in descriptione Liburniæ.

Ialysos, Rhodi insulæ vrbs, teste Pomponio libro 2, In Rhodo (inquit) tres quondam erant, Lindos, Camiros, Ialysos. Ialysos autem hæc ipsa est, quæ Telchinas olim aluit: his qui in Creta floruere, cognomines, maleficum genus hominū, & præstigiis infame. Historiam Ouidius indicat lib. Metam. 7. Vide Plinium libro quinto, cap. 31.

Iamblicus, Pythagoricus philosophus è Chalcide Syriæ, fuit Porphyrii discipulus, Constantini magni tempore. Adeò profecit, vt secundas post præceptorem Romæ obtineret, nec ab eo quicquā differre videretur doctrina: nisi quòd ille melior facilitate candoréque orationis, hic paulo durior habebatur: ac vt de Xenocrate Plato dicebat, Venere dicendi carebat. Moribus adeò probatus, vt eius vitæ abstinentia, modestiáque ea tempestate cognita fuerit. Huius etiam meminit Hieronymus.

Iamesa, Ptolemæo lib. 2. cap. 3, æstuarium Britannici maris: Tamesis, fluuius, Cæsari. hodie Thamis dictus.

Iamno, castellum est in Palearibus minoribus, teste Pomponio Mela lib. 2: Castella (inquit) sunt in minoribus Iamno & Mago, in maioribus Palma & Polentia coloniæ. Scripsit in eandem sententiam Plinius cap. 5. lib. 3.

Ianasum, Pomponio Melæ lib. 1, oppidum Celticæ gentis.

Ianira, fuit nympha, Oceani & Tethyos filia, vt est author Hesiodus in Theogonia.

Iantha, nympha, Oceani & Tethyos filia. Hesiod' in Theogonia.

Ianus, antiquissimus Italiæ rex, Saturnum in regni societatem asciuit. Eum aiunt primùm in Italia diis templa fecisse, ritúsque sacrorum instituisse, ac ideo eum in sacrificiis præfationem meruisse perpetuam. Vide Macrobium cap. 7. & 9, libri primi. Cicero lib. 2. de natura deorum de Iano sic scribit, Qúumque (inquit) in omnibus rebus vim haberent maximā prima & extrema, principem in sacrificando Ianum esse voluerunt, quod ab eundo nomen est ductum: ex quo transitiones peruiæ Iani, foréſque in liminibus prophanarum ædium ianuæ nominantur. Hactenus Cicero. Iani templum fuit Romæ, quod belli tempore apertum, pacis clausum fuit, vt author est Seruius: Constat (inquit) templum

hoc ter esse clausum. Primùm regnante Numa: item post bellum Punicum secundum: tertio post bella Actiaca quæ confecit Augustus. quo tempore pax quidem fuit, quantum ad exteras pertinet gentes: sed bella flagrauere ciuilia. Huius autem claudendi, vel aperiendi templi ratio varia est. Alii dicunt Romulo contra Sabinos pugnante, quum in eo esset vt vinceretur, calidam aquam ex eodem loco erupisse, quæ fugauit exercitum Sabinorum. Hinc ergo tractum morem, vt pugnaturi aperirent templum, quod in eo loco fuerat constitutum, quasi ad spem pristini auxilii. Alii dicunt Tatium & Romulum facto fœdere hoc templum ædificasse. Vnde & Ianus ipse duas facies habet, quasi vt ostendat duorum regum coitionem: vel quòd ad bellum ituri debent de pace cogitare. Est alia melior ratio, quòd ad prælium ituri optent reuersionem. Hæc Seruius enarrans illud AEneid. primo apud Virgilium,

-diræ ferro,& compagibus arctis
Claudentur belli portæ,furor impius intus
Sæua sedens super arma,&c.

Ianiculum, oppidum non procul à Roma: sic dictum, quia populus Romanus per id oppidum in agrum Hetruscum transire solebat, vt notant grammatici: vel quòd à Iano sit conditum. Solinus, Quis dubitat Ianiculum à Iano fuisse conditum?

Iapetus (vt inquit Hesiodus) Cæli & Terræ filius. Hunc quidam Promethei patrem fuisse asserunt. De quo Ouidius 1. Metamorph.

Siue recens tellus, seductáque nuper ab alto
AEthere cognati retinebat semina cæli.
Quam satus Iapeto mistam fluuialibus vndis
Finxit in effigiem moderantum cuncta deorum.

Iapis Iapidis, nomen est AEtoli filii, qui cum ad eam regionem, vbi nunc est Venetia, venisset, oppidum de suo nomine condidit: à quo ea pars, vbi Timauus fluuius est, Iapidia dicitur. Seruius, explicans illud Virgilii Georg. 2,

- aerias Alpes, & Norica siquis
Castella in tumulis,& Iapidis arua Timaui.

Iapigia, Italiæ regio, Apulia dicta, quam Messapiam Græci vocant. Iuncta porrò est Calabriæ & Salentinis, vt scribit Strabo lib. 6.& Plinius cap.11.lib.3.

Iapyx, ventus est ex Apuliæ ora proficiscẽs, quem eundem Caurum Gellius libro secundo esse iudicat. est enim Occidentalis, & vtilis Græciam petentibus ex Italia, vt testatur Horatius libro primo Carminum,

Sic te diua potens Cypri,

Sic fratres Helenæ,lucida ſydera,
Ventorúmque regat pater,
Obſtrictis aliis,præter Iapyga
Nauis,&c.

Iarbas,Vide HYARBAS.

Iarcas, Indorum philoſophorū princeps, cuius meminit Philoſtratus in vita Apollonii Tyanei.

Iaſius,Dardani frater.Nam Dardanus (inquit Seruius) & Iaſius fratres fuerūt, Electræ filii: ſed Dardanus de Ioue,Iaſius de Corito procreatus eſt.Hæc Seruius apud Virgilium lib.AEneid.3,
Hæ nobis propriæ ſedes,hinc Dardanus ortus
Iaſiúſque pater, genus à quo principe noſtrum.

Iaſon, AEſonis filius, quem Pelias patruus Colchos proficiſci iuſſit cum Argonautis ad vellus aureum rapiendum.Fabula ex Apollonio Rhodio & Valerio Flacco notiſſima.

Iaſonium,promontorium Cappadociæ, hodie S.Thomas. Ptolemæus lib.5.cap.6.

Iaſus,Cariæ oppidum,teſte Plinio lib.5. cap. 29. A quo Iaſius ſinus dictus, in quo eſt oppidum: vt eſt apud eundem Plinium cap. eodem.

Iatinum,Ptolemæo authore lib.2.cap.8,Meldenſium ciuitas,vulgò Meaulx.

Iaxamathæ,populi ſunt iuxta Tanaim, de quibus Pomponius Mela libro primo meminit.

Iaxartes,Scythiæ fluuius in Aſia,amniū ab Oriente in Caſpium influentium vel maximus: nam multos ſecum rapit, & immani vndarum copia extumeſcit: oritur in vltimis Sogdianorum finibus ex montibus,quos Sogdios Ptolemæus vocat. Alexander militéſque eius Tanaim putauerunt, cum ſit alius. trans amnem Apollini Didymæo aras olim ſtatuit nominis gratia Dæmonas Seleuci & Antiochi dux : citra vero,Herculis, Bacchi, Cyri, Semiramidis, & Alexandri quondam erectæ aræ, vt 16.cap. lib.6. Plinius refert.Strabo lib.2.meminit,& Curtius lib.6.

Iaxtes,fluuius,quem eodem cum ſuperiore,in tractu quidam locāt:cui⁹ meminit Claudian⁹,Sic nobis Scythic⁹ famuletur Iaxtes.

Iazyges Metanaſtæ apud Ptolemæum, hodie ſeptem caſtra,Germanice Sibenburgen.regio quæ partim ab Vngaris, partim à Valachis colitur.

I B

Iberus,Hiſpaniæ amnis nobiliſſimus, nauigabili commercio diues,ortus in Cantabris haud procul oppido Iuliobrica,nauium per

CCLX, paſ.mil.capax, propter quem vniuerſam Hiſpaniam Græci Iberiam appellauere. Hæc Plinius cap.3.lib.3. Sic & Iberos Hiſpanos,& Iberi accolas, quos vna ciuitate contineri per rerum Hiſpanicarum ignorantiam credidit Ioſephus in hiſtoria Iudaica. Iberus vulgo Ebro.

Ibernia, vide HIBERNIA.

Ibycus, Rheginus poeta, quem maximè omnium amore flagrauiſſe ex ipſius ſcriptis conſtare ſcribit Cicero Tuſcul. quæſt. lib.4. De quo multa,& ſuauiſſima apud Eraſmum in prouerbio, Ibyci grues.

I C

Icadius prædo fuit, de cuius fato ſic ſcribit Cicero in libro de Fato, Ne Hercule Icadii quidem prædonis video fatum vllum. Nihil enim ſcribit ei prædictum. Quid mirum igitur ex ſpelũca ſaxum in crura eius incidiſſe? Puto enim etiam ſi Icadius tum in ſpelunca non fuiſſet, ſaxum tamen illud caſurum fuiſſe. Nam aut nihil omnino eſt fortuitum, aut hoc ipſum potuit euenire fortuna.

Icarus, OEbali Laconum regis filius, fuit pater Penelopes: cuius meminit Propertius lib.2, Icare Cecropiis merito iugulate colonis. Icarus etiam dictus fuit Dædali filius, qui vnà cum patre è Creta fugiens, fretus alarum fiducia, cum vltra patris iuſſa altius euolaſſet, ſoliſque ardore cera, qua pennæ conſtabant, liquefacta eſſet, decidit in mare, quod ab illo Icarium dicitur. Ouidius, Icarus Icarias nomine fecit aquas.

Ichthyophagi, penult. correp. Qui piſcibus viuunt: quo nomine dicti ſunt quidam populi in AEthiopia interiori, qui magnum ſinũ occidentalis Oceani tenent, teſte Ptolemæo libro quarto, capite nono. De his ſic Strabo libro 15, Ichthyophagorum regio ſecus mare eſt, & magna ex parte arboribus caret. Raritas in ea palmarum, acanthi, myricæ, aquarum,& domeſtici cibi maxima eſt. Veſcuntur piſcibus tum ipſi, tum eorum pecora, & aquas pluuiales ac foſſiles potant, pecorum carnes piſcibus præbent, domicilia ex oſſibus cetorum,& oſtreorum conchis magna ex parte faciunt. Nam trabium & fulcrorum vſum coſtæ præſtant, portas maxillæ. è vertebris fiunt mortaria, in quibus piſces ſubiguntur, ad ſolem aſſantur: poſtea ex his panem conficiunt, frumenti paululum admiſcentes. Nam & molas habent, quanquam ferrum non habeant. quod nequaquam mirandum eſt, id enim aliunde afferri poteſt. concidunt eas cum attritæ ſunt lapidibus iis, quibus & ſagittas & miſſilia præuſta exacuunt: piſces partim in cupis panariis aſſant, partim (quod frequenter fit) crudos edunt. Capiunt eos retibus ex

cortice palmarum factis.

Ichthys, Elidis est promontoriũ in Achaia apud Thucydidẽ, quod Valla piscẽ transtulit, & ob id meritò reprehẽsus est ab Hermolao.

Iconium, oppidum est Ciliciæ, in quo Cicero se cõmoratum esse scribit lib. Epist.3, Cum enim Laodiceæ (inquit) cum Apameæ, cum Synadis, cum Philomeli, cum Iconii essem: quibus in oppidis omnibus commoratus sum, &c.

Icosium, Mauritaniæ Cæsariensis oppidum, ab Herculis comitibus conditum. Hercule enim illac transeunte, viginti, qui à comitatu eius desciuerant, locum deligunt, iaciunt mœnia: ac ne quis posito à se nomine gloriaretur, de condẽtium numero vrbi nomen datum. Solinus.

Ictus Tarentinus, nobilis palæstrita, toto vitæ tempore Veneris expers fuit, vt arti accommodatior esset, tanta illi gloriæ libido. Author AElianus de varia historia.

I D

Ida, mons est altissimus, & sylua Troianorum in Phrygia, quem Homerus lib.8. Iliados, ferarum parentem esse dixit, & locum continere Gargaron dictum: vnde etiam Scamander & Simois flumina defluunt, vt scribit Pomponius libro primo. Est item Ida, mons alter in Creta, authore Ouidio, Et creta nobilis Ida.

Idæus, Rhodius versificator, scripsit Rhodiorum res gestas versibus ter mille. Author Suidas.

Idalius, mons est Cypri, Veneri sacer. De quo Virgilius libro AEneid. primo,
Aut super Idalium sacrata sede recondam.

Idanthyrsus, Scytharum rex, bello res magnas gessit, bonam partem Asiæ subiugauit, vsque in AEgyptum excurrit, vt author est Strabo lib.14.

Idas, huius Idæ, fuit omnium sui seculi virorum formosissimus, & maritus Marpissæ. Is arcu, sagittisque sumptis Apollinem inuadere ausus est ob Marpissam sibi à Deo ereptam, teste Homero lib. Iliad. nono. Vide MARPISSA.

Idmon, vates inter Argonautas, Apollinis & Asteriæ filius. Ex Idmone autem & Testia, Testor: è Testore Calchas item vates, vt placet Pherecidi. Apollonius autem poeta Idmonem Abantis filium esse dicit, & item Herodotus. Volaterranus.

Idomeneus, Deucalionis filius, & nepos Minois, rex Cretensium, qui, teste Homero, populos suos ad Troiam duxit: & quũ post euersam Troiam reuerteretur, in tẽpestate deuouit diis sacrificaturum se de re, quæ ei primũ occurrisset. Cõtigit vt filius eius primus occur

reret, quem cũ, vt alii dicũt, immolaſſet: vt alii, immolare voluiſſet: à ciuibus pulſus regno, Salentinũ Calabriæ promontorium tenuit: iuxta quod condidit ciuitatem, vt ſcribit Virgilius 3. AEneid.
Et Salentinos obſedit milite campos
Lictius Idomeneus. Hæc Seruius.

Idotæa, fuit Prœti regis Argiuorum filia, Homero in Odyſſea.

Idumæa, regio eſt Syriæ, teſte Plinio lib.5, à Meridie cõtigua Arabiæ, à Septentrione verò Phœniciæ: à qua Libanus eam diuidit, habétque ciuitatem Idumen Phœniciæ coniũctam, & abundantem palmis, vt oſtendit Lucanus lib.3, dicẽs, Et arbuſto palmarum diues Idume. Vnde Idumæus, adiectiuũ, pro epitheto palmarũ ponitur à Virglio lib.3. Georg. Primus Idumæas referã tibi Mantua palmas.

I E

Ierna, Hiſpaniæ fluuius eſt, authore Mela lib.3. Strabo lib.3, Iernam his locis commemorat montem, à quo Iernam amnem potuiſſe vocari veriſimile eſt.

Ies Ietis, ciuitas eſt Achaiæ, in promontorio eiuſdẽ nominis, iuxta quod Alpheus amnis præterfluens, ſex millibus paſſuum nauigatur. Tortelius.

I L

Ilba, vel Ilua, inſula eſt in mari Tuſco, à continenti diſtans X. M. paſſuum, de hac dicit Plinius lib.34. cap.14, Ferri metalla vbique propemodum reperiũtur, quippe inſula etiam Italiæ Ilua gignẽte, minimáque difficultate cognoſcuntur ipſo colore terræ manifeſto. Virg.10. AEneid. -aſt Ilua trecentos
Inſula, inexhauſtis Chalybum generoſa metallis. Vbi Serui9 dicit, cũ in aliis regionibus effoſſis metallis terræ ſunt vacuæ, apud Iluã hoc eſſe mirũ, ꝙ ſublata renaſcuntur, & rurſum de iiſdẽ locis effodiuntur. Varro & aliud dicit, naſci quidem illic ferrũ, ſed in ſtricturam nõ poſſe cogi, niſi tranſuectũ in Populoniã Tuſciæ ciuitatem.

Ilerda, Ptolemæo lib.2. cap.6, Hiſpaniæ vrbs. Leryda & Leyda vernaculis dicitur.

Ilia, Veſtæ ſacerdos, Romuli & Remi mater à Marte compreſſa, Amuli filia, vt notat Seruius apud Virgilium lib. primo AEneid.
-donec regina ſacerdos
Marte grauis geminam partu dabit Ilia prolem.

Ilienſes, populi ſunt Corſicæ inſulæ antiquiſſimi, vt ſcribit Pomponius lib.2. Horum meminit & Pauſanias.

Ilione, filiarum Priami natu maxima, Virgilio lib.1. AEneid.
Præterea ſceptrum, Ilione quod geſſerat olim
Maxima natarum Priami.

Ilioneus, Troianus fuit, quem Virgilius non fine cauſſa vbique inducit eloquẽtem. Nam vt Homerus dicit, Phorbas, pater Ilionei, ſemper Mercurio deo eloquentiæ fauente pugnauit. Hæc Seruius apud Virgilium.

Ilithya dicitur à poetis Diana, quæ parientibus aſſiſtere putabatur. Ouid. Præpoſitam timidis parientibus Ilithyam.

Ilium (inquit Seruius) Virgilius neutro tantum genere declinat: Horatius autem fœminino: vt, Non ſemel Ilios vexata. Ilium propriè ciuitas eſt: nam regio, Troia eſt, quanuis interdum pro ciuitate, Troiam ponat Virgilius,

Et campos vbi Troia fuit.

Illiberis, ciuitas eſt Narbonenſis prouinciæ, vt Pomponius ſcribit, & Plinius cap. 4. libri 3, Magnæ (inquit) quondam vrbis tenue veſtigium. Illiberis, Ptolemæo lib. 2. cap. 4, àliis Liberia, Hiſpaniæ ciuitas: vulgo Granada, caput regni Granatæ.

Illiberis, Ptolemæo lib. 2. cap. 10, Tectoſagum ciuitas: vulgo Salſas, Hiſpanorum ditionis.

Illipula, mons Hiſpaniæ Bæticæ, authore Ptolemæo lib. 2. cap. 4. Vulgo Ilipa, Ilpa.

Illuro, Hiſpaniæ citerioris oppidum eſt paruum apud Pomponium libro ſecundo. Eſt item Plinio lib. 3. cap. 3, oppidum ciuium Romanorum.

Illyrium, ſiue Illyris, regio eſt maxima, Italiæ coniuncta, ab Illyrio (vt Appianus inquit) Polyphemi filio denominata. Huius fines ſunt latiſſimi: hinc enim Italiam, illinc Germaniam, inde Macedoniam, Thraciam, & Epirum habẽs. Inde Illyricus adiectiuum, vt eſt apud Virgiliũ, Illyricos penetrare ſinus. Hodie Illyris, Sclauonia vel Boſinenſis dicitur.

Ilorci, oppidum Plinio lib. 3. cap. 1. in Europa ſitum.

Ilua, inſula eſt adiacens Tuſciæ. Vide ILBA.

Ilus, Trois Troianorum regis filius, qui Ilium ædificauit. Vnde par eſt eum in medio campo ſepultum eſſe, quoniam prior auſus eſt in campis habitare. Hæc Strabo lib. 13.

I M

Imaus, mons Indiæ qui extenditur vſque ad fontes Gangis, vltra quem ſunt Scytharum gentes. Eſt & pars Caucaſi & Tauri, vt Plinius & Ptolemæus tradunt.

Imola, vrbs in AEmilia, quæ olim forũ Cornelii dicebatur, Ptolemæo lib. 3. cap. 1.

I N

Inachus, pater Iouis qui primus apud Argiuos regnauit, à quo

Inachius,adiectiuum. Virgilius lib.2.Georg.
Inachiæ Iuno pestem meditata iuuencæ. Est & Inachus, fluuius in agro Argiuo,cui Inachus,vetustissimus Argiuorum rex nomen dedit.Solinus.

Inarime,insula in ora Campaniæ prope Neapolim: & vt ait Plinius lib.3. cap.6,in Puteolino sinu,AEnaria à statione nauium AEneæ vocitata. Vulgo Ischia vocitant. Inarime verò ab Arimis,siue populis,siue beluis ita prisca Hetruscorũ lingua simias dictante; quas Græci pithecos vocant.vnde nomẽ insulis Pithecusis,vt Straboni placet, ex historia fabulosa quam Harpocration, Xenagoras & Suidas ita referunt:Fratres(aiunt) duo fuerunt,Candulus & Atlas,omnium scelerum,quibus humana vita damnata est, authores & inuentores. Quibus morum peruersitas, Cercopum nomen dedit(impostores enim ac planos,quales hi præcipui fuere, ita Græci vocant ab animalibus,quæ κέρκῳ,id est caudæ motu blandiuntur.) Iis summum studium fuit, appulsos & aduenas dolis quibuscunque circũuenire. Quod cum semel in ipsum Iouem tentassent, ab eo ex hominibus in simias mutati sunt, quas Græci pithecos vocant. Vnde insulis,quas tenebant,Pithecusæ vocabulũ datum. Hinc Ouidius Xenagoram secutus, XIIII Metamorph.cecinit,

Inarimen,Prochyténque legit,sterilique locatas
Colle Pithecusas,habitantum nomine dictas.
Quippe deûm genitor fraudem,& periuria quondam
Cercopum exosus,gentisque admissa dolosæ,
In deforme viros animal mutauit:vt idem
Dissimiles homini possent,similésque videri.

Quanquam Plinius lib.3.ait, Inarime dicta,Græcis Pithecusa,non à simiarũ multitudine, vt aliqui existimauere, sed à figlinis doliariorum . Cuius sententiæ rationem, quanuis properans afferre debuit.Cõtra enim ipse stat tum Græcorum, tum Latinorũ in hac re authorum iam receptam fidem. Nos de doliis ad hoc pertinentibus nusquam legimus. Illud certò scimus,à Plinii pithis,id est doliis Pithecusæ, vocabulum quatuor syllabis produci non posse, sed Pithisæ magis,si dicere liceat.

India,Orientalis Asiæ terminus,quæ tã vasta perhibetur,vt eam tradant esse tertiam partem omnium terrarum. Pomponius scribit tam latum spatium litoris occupare, quantum per sexaginta dies, noctésque velificantibus cursus est . Tradunt in ea fuisse quinque millia oppidorũ. De India diligentissimè scribit Strabo libro 15. Multa etiam in rebus Alexandri Diodôrus, Arrianus, Q.Curtius, tum & Philostratus nonnulla.

Indus, Indiæ fluuius, secundum Gangem maximus, à quo etiam India dicta est. Multos amnes in se recipit clarissimos, vt Cophen, Acesinen, Hydaspen: de quibus omnibus, cap. 20. lib. 6. Plinius abũde scribit. Hic, vt idem ait, ab incolis Sandus appellatur.

Ino, Cadmi filia, vxor Athamantis regis, quæ à Græcis Leucothea dicitur, teste Cicerone lib. de natura deorum secundo: Quid (inquit) deinde Ino dea dicetur, & Leucothea à Græcis, à nobis Matuta dicetur, quũ sit Cadmi filia? Ouidius lib. Metamor. 4. refert quemadmodum Ino cum Melicerta filio sese in mare præcipitem dederit, factíque sint ambo dii marini.

Insubres, Galliæ populi qui Mediolanum condiderunt: de quibus Strabo lib. 5. sic scribit, Insubres (inquit) hac etiam ætate sunt, qui Mediolanum metropolim habuere: ea quidem pridem vicus erat, omnes enim vicatim habitabant: hac verò tempestate, eximiæ dignitatis trans Padum ciuitas est, quodammodo Alpibus finitima. Hactenus Strabo.

Interamnia, Ptolemæo lib. 3. cap. 1, Prægutiorum ciuitas in Italia. Vulgo Teranium.

Inutriũ, Vindeliciæ vrbs Ptolemæo li. 2. cap. 13. Vulgo Inspruck.

I O

Io, filia fuit Inachi, à Ioue adamata, quam Iuno in vaccam conuertit, eíque Argum præfecit. Deinde interfecto Argo à Mercurio Isis AEgyptiorum dea facta est, vt scribit Lucianus in deorum dialogis.

Iocasta, filia Creontis, & vxor Laii regis Thebanorum: post cuius necem imprudens nupsit OEdipodi filio suo, ex quo suscepit Polynicem & Eteoclem: qui cum mutuis sese vulneribus occidissent, ipsa quoque se necauit. Statius lib. 2. Thebaidos,

Regina extulerat notum penetralibus ensem,
Ensem sceptriferi spolium lachrymabile Laii:
Multáque cum superis, & diro questa cubili,
Et nati furiis, & primi coniugis vmbris
Luctata est dextra, & prono vix pectore ferrum
Intrauit tandem, & venas prorupit aniles
Vulnus, & infœlix lustratur sanguine pectus.

Iol, Numidiæ vrbs, quæ postea Colonia Cæsarea dicta est, de quã sic Strabo libro vltimo scribit, In hac ora ciuitatem fuisse nomine Iol, quam cũ Iuba Ptolemæi pater muniret, mutato nomine Cæsaream vocauit. Cæsarea igitur dicta est non ob Claudium, cuius iussu Colonia facta est, sed in gratiam Augusti magis, cuius liberalitate, cum post victum patrem Iubam, Romæ in triumpho ductus

esset,miro in eo elucente ingenio,restitutus est in regnum.

Iolaus,Iphicli filius fuit,à quo Sardinii Iolenses Straboni lib. 5, dicti sunt:quia illam insulam ad pacem reduxit.

Iolcos,Oppidũ Thessaliæ Pomponio lib.2.& Plinio lib.4.cap.9.

Iole,Euriti AEtoliæ regis filia fuit,quam amauit Hercules.

Ion,poeta Græcus,cuius meminit Plutarchus.

Ionia,regio est Græcorũ in Asia,in qua sunt vrbes, Ephesus,Miletus,Priene,Clazomene,&c. Ab Ortu Lycaones & Lydos habet,à septentrione AEoles,vt à Meridie Cares. Ioniæ situm describit Plinius cap.29.lib.5.

Ionium mare ab Ionia regiuncula extremæ Italiæ Solinus dictum ait.Parrhasius grammaticus ex Didymi Græci scriptoris authoritate ab Ionio Dyrrhachii filio, quem Hercules ex improuiso occisum in mare proiecit,vt memoriam eius propagaret,cuius inter alios Appianus nobilis scriptor meminit.Ferè constat hoc mare violentum esse,vastũ & iactabundũ,ac supra fauces Adriatici intra Siciliam & Peloponnesum,atque Candiam expanditur.Ideo Græci partim ipsum Siculum,partim Creticum appellant,ab insulis.

Iopas,rex Aphrorum vnus ex procis Didonis,vt Punica testatur historia.

Ioppe,vrbs Iudææ maritima antiquissima,vtpote quæ ante diluuiũ sit cõdita:regia quondã fuit Cephei regis patris Andromedæ,vt scripsit Põponius Mela lib.1.& Plinius li.5.cap.13. De huius vrbis situ nemo fidelius,nec elegãtius scripsitHegesippo li.belli Iudaici 3.

Iordanis,fluuius Iudææ eximiæ suauitatis,vt scribit Plinius cap. 5.lib.5.Vide interpretationem nominum Hebraicorum.

Ios,insula vna ex Cycladibus Homeri vatis sepulchro veneranda,vt scribit Plinius cap.11.lib.4.

Iouianus,Pontanus poeta,multa scripsit tũ prosa oratione, tum carmine.

I P

Iphiclus, Amphitryonis & Alcmenæ filius, vno partu cum Hercule editus,Iolai pater: sepulchrum habet apud Pheneum Arcadiæ vrbem,vt scribit Pausanias. Seruius enarrans hunc locum Virgilii lib.8.AEneid. -vt prima nouercæ
Monstra manu,geminósque premens eliserit angues: sic ait,Hercules natus est cum Iphiclo Amphitryonis filio:sed quũ Iuno duos serpentes immisisset Herculi, Iphiclus de cunis terrore lapsus, suo vagitu excitauit parentes:qui quum surrexissent, viderunt Herculem angentem manibus angues immissos ei nouercalibus odiis.

Iphianassa,Melampodis vxor,& Præti filia,ob pulchritudinem à

Iunone in furorem versa, sed à Melampo sanata. Fuit & alia Agamemnonis ex Clytemnestra filia.

Iphicrates, teste AEmilio & Plutarcho, vir Atheniensis, non tam magnitudine rerũ gestarum, quàm disciplina militari nobilitatus.

Iphidanas, teste Homero lib.11. Iliados, Antenoris filius, corpore lato atque procero, ab Agamẽnone in bello Troiano interẽptus fuit.

Iphigenia, Agamemnonis filia, quam ad placandum numen Calchas mactandam in sacrificio apud Aulidem censuit. Agamemnon enim, quum Græci ad Aulidem venissent, Dianæ ceruum occidit ignarus. Vnde irata dea, flatus ventorum remouit. Quamobrem quum nec nauigare possent, & pestilentiam sustinerent, oracula consulta dixerunt Agamemnonio sanguine Dianam esse placandam. Ergo cum ab Vlysse per nuptiarum simulationem adducta Iphigenia in eo esset vt immolaretur, numinis miseratione sublata est, ceruáque supposita: & trãslata ad Tauricam regionem regi Thoanti tradita est, sacerdósque facta Dictynnæ Dianæ. Hæc Seruius enarrans illud Virgilii 2. AEneid.

Sanguine placastis ventos & virgine cæsa,
Cum primùm Iliacas Danai venistis ad oras,
Sanguine quærendi reditus: animáque litandum
Argolica, &c.

Iphimedia, vxor fuit Aloei, quæ compressa à Neptuno, duos peperit, OEthum & Ephialtem: qui digitis nouem per singulos menses crescebant. Hæc Seruius enarrans illud Virgilii 6. AEneid.

Hîc & Aloidas geminos, immania vidi
Corpora: qui manibus magnum rescindere cælum
Aggrẽssi, superisque Iouem detrudere regnis.

Iphinassa, Vide IPHIANASSA.

Iphis, puer liberali specie quum Anaxaretem puellam incredibili amore prosequeretur, neque tamen redamaretur ab ea, laqueo se suffocauit, atque onus infœlix elisa fauce pependit, inquit Ouidius lib.14. Matamorph.

Iphitus, vir fuit Troianus, quem Homerus lib. Iliados 8, & Virgilius lib.2. AEneidos maximum armis esse dixit.

I R

Iria flauia, Hispaniæ Tarraconensis vrbs Ptolemæo lib.2. cap.6. S.Maria finis terræ vulgo. Iria etiam, Taurinorum vrbs Ptolemæo, Trira Plinio, hodie Sartirana.

Irus, Ithacensis mẽdicus ac turpissimus, vt lib.18. Odisseæ describitur ab Homero, corpore prægrandi, sed debili & fœdo, quem Vlysses post errores domum reuersus pugno interfecit.

Is, vrbs à Babylone itinere dierum octo distans: apud quam est Is, fluuius, è quo bitumen ad totius Babylonis murum comportabatur. Herodotus lib. 1.

Isaca, fluuius Britanniæ insulæ Ptolemæo lib. 2. cap. 3. vulgo Ex.

Isæus, Assyrius rhetor, adolescẽtiam variis corporis voluptatibus tradidit: deinde vir factus, frugalissimus omniũ fuit. Characterem orationis non profusum habuit, sed parcũ castigatúmque, ac secundum naturam, qui tãtum rebus breuiter enarratis suppeteret. Nam totum quidem argumentum paucis, summáque complecti, ipsius primum inuentum est: vt Lacedæmoniis de ordinibus consultantibus ac sollicitis illud Homericum iactauerit,

Scutũ scuta premunt, galeam galeæque, virum vir. Ex Philostrato.

Isandrus, filius fuit Bellerophontis, teste Homero.

Isapis, penul. prod. fluuius propinquus Cesennæ, vt Strabo libro quinto scribit.

Isara, fluuius Galliæ, Rhodano se iungens, vbi Cemenus mons Rhodano se applicat. Vide apud Cæsarem, & Plinium lib. 3. cap. 4.

Isauria, siue Isaurica, regio est Ciliciæ proxima ad Taurum montem, quam Publius Seruilius cognomẽto Isauricus subegit, & multas piratarum munitiones, quæ in ora maritima erant, vi cepit. Hæc Strabo lib. 12, qui se Seruilium vidisse scribit. Isauri, populi Isauriam tenentes. Et Isaura, Isauriæ vrbs, vt docet idem Strabo & Ammianus.

Ischalis, Britanniæ insulæ vrbs, vt est author Ptolemæus libro 2. vulgo Ilchestre.

Ischopolis, Ptolemæo teste, Ponti Cappadocii vrbs iuxta Sidonem. Vulgo Tripolli.

Iscia, insula est è regione Veliæ: alio nomine OEnotris dicta. Plinius lib. 3. cap. 7.

Isis, dea AEgyptiorum, prius Io dicta, Inachi filia, de qua vide apud Lucianum.

Ismarus in singulari, masc. in plurali Ismara, neutrum: mons est Thraciæ, partim asper & incultus, partim fertilis vinetis & oliuetis, quẽ Orpheus incoluit, vbi Ismara Ciconum vrbs fuit. Virgilius Ecloga 6, Nec tantum Rhodope miratur, & Ismarus Orphea. Et rursum Georg. 2,

-iuuat Ismara Baccho
Conserere, atque olea magnum vestire Taburnum.

Ismene, OEdipi filia, vt asserit Statius: de qua nihil habetur, nisi quòd cuidam Athy iuueni Cyrrheo desponsata fuerit, qui ante

nuptias à Tydeo occisus est.

Ismenias, nomen Thebani optimi tibicinis. Apuleius, Nescio (inquit) vt Ismenias tibiis canere, vt Apelles pingere, vt Lisippus fingere. De hoc Plutarchus in Pericle, Cũ audisset Antisthenes Ismeniam optimum esse tibicinem, respondit, Malus igitur. Nam si probus esset, tibicen non esset.

Ismenus, penultima producta, fluuius est Bœotiæ, ab Ismeno Pelasgi filio cognominatus. Statius, Horruit ingenti venientem Ismenus aceruo.

Isocrates, orator Atheniensis vnus è decem, dulcis & numerosus in dicendo fuit: ad rempublicam non accessit, neque in concionem ascendit, deficiente pronuntiatione: tum etiam ad euitandam inuidiam eorum, qui libenter iis qui eloquentiæ honore præstant, se opponunt. Ciuitatem tamen iuuit, Philippúmque in his quæ ad illum scripsit, Atheniensibus conciliauit. Panægyricus eius omnium pulcherrimus, quem in Olympia habuit, adhortãs Græcos contra Asiam mutuis expostulationibus relictis. Gorgiã excitauit, vt idem quoque faceret. Optimæ eius orationes censentur, Archidamus & Amartyrus ad Euthymum. Decessit annos ferè centum natus, post Atheniẽsium cladem ad Cheroneam acceptam, nõ sustinens nuntium Atheniensium cladis. Ex Philostrato. Isocrates, superioris auditor, ex Apollonia Ponti, orator & ipse nobilis: reliquit orationes quinque, qui & vnà cum claris oratoribus certauit in funere Mausoli Artemisiæ viri. Suidas. Isocrates & Machaon, præfecti classis Corinthiorum in bello Peloponnesiaco contra Athenienses, à Thucydide commemorantur.

Ispalis, Bæticæ Hispaniæ vrbs clarissima, à qua etiam Ispalensis conuentus Plinio dictus: sicut Cordubensis, Astigitanus & Gaditanus. De qua vide apud Pomponium lib.2, & Strabonem lib.3. Romulea cognominata est. Hodie vulgo Seuilla dicitur, vt notatur apud Ptolemæum lib.2.

Ispolum, Vilumbrorum, qui Vmbris magis oriẽtales sunt, vrbs, teste Ptolemæo lib.3. cap.1. Ispellum hodie.

Isporis, Ptolemæo lib.4. cap.3, vicus Syrtis magnæ: Hodie Naym ciuitas.

Issa, insula est maris Adriatici iuxta Dalmatiam, cuius meminit Strabo lib.7, & Pomponius Mela lib.2.

Issus, vrbs Ciliciæ, & fluuius Syriæ.

Ister, fluuiorum Europæ maximus, qui & Danubius dicitur, de quo scripsimus antea in dictione DANVBIVS.

Istonium, Italiæ oppidum Ptolemæo, vulgo Guasto.

Istria, Liburniæ finitima, & Italiæ, cui hoc etiam hodie nomen manet. De qua Pomponius lib. 2.

Isthmos à Græcis terra inter maria angusta in vniuersum dicitur, cuiusmodi est Isthmus Corinthiacus, De quo in Corinthiacis Pausanias. Notum est adagium, Isthmum fodis, cum frustra aliquid moliri quempiam significamus. multi enim, vt tanti ambitus molestia carerent, transfodere angustias illas conati, re infecta destiterũt, vt Plinius scribit cap. 4. lib. 4. Strabo, In Isthmo (inquit) Neptuni, quem Isthmiũ vocant, templum eminet, picearum arborum luco circunclusum, vbi ludos Isthmicos Corinthii celebrare sunt soliti. Hos ludos Theseum instituisse ad horũ æmulationem, quos ad Olympiam Hercules ceperat, scribit in Theseo Plutarchus. Fuerunt & Isthmia, ludi illic Palæmoni sacri. Nam Pausanias in Corinthiacis scribit hunc in locum Melicerten puerum à delphine euectum fuisse: in eúmque illic iacentem Sisyphum incidisse, & sepeliisse in Isthmo, instituisséque in eius honorem Isthmicum certamen: Melicerten autem mutato nomine Palæmonem appellatum. Meminit horum Statius libro Thebaid. decimo.

Isus & Antiphus, Priami fuere filii: verum Antiphus ex Hecuba susceptus est, cum naturalis esset Isus: vt author est Homerus in Iliade.

I T

Italia, Europæ regio, prius Hesperia, ab Hespero Atlantis fratre, qui à fratre pulsus, & Hispaniæ & Italiæ dedit nomen. Siue (vt Macrobius inquit) ab Hespero stella, quòd occasui subiecta sit. Inde OEnotria, vel à bonitate vini quod in Italia nascitur, (nam Græci οἶνον vinum dicunt) vel ab OEnotrio Sabinorum rege. Postea Italia, ab Italo Siculorum rege, qui agriculturam Italos docuit, & leges posuit. Nam ad eam partem venit, in qua postea Turnus regnauit, & suo nomine appellauit. Virgilius 1. AEneid.

Est locus: Hesperiam Graii cognomine dicunt:
Terra antiqua, potens armis, atque hubere glebæ,
OEnotrii coluere viri: nunc fama minores
Italiam dixisse, Ducis de nomine, gentem.

Timæus & Varro à bobus vocatam dixerunt: quoniam tauri Græca veteri lingua, itali vocati sunt, à quorum multitudine & pulchritudine Italiam dixerunt. Latium verò, pars Italiæ est. Est etiam dicta Ausonia (vt Aristophanes inquit) pars ad Tyrrhenum versa. Estque in forma cruris inter Adriaticum & Tuscum mare, & à iugis Alpium, dorsóque Apennini porrecta, se paulatim attollens, vsque ad Rhegium verticem & litora Brutiorum extenditur. In vltimo sui

ſcinditur in duo cornua, quorum alterum Ionium ſpectat mare, alterum Siculum, in extremitate Rhegium oppidũ habens. Eius longitudo ab Auguſta Prætoria, quæ in Alpino fine ſita eſt, & per Romam Capuámque porrigitur, vſque ad oppidum Rhegium, Solino teſte, decies cẽtena & viginti milia paſſuum colligit: latitudo verò quadringenta decem vbi maior latitudo: vbi verò minor, centum trigintaquinque. Habétque vmbilicum in agro Reatino, quæ dudum ex latere maris ſuperi Rubiconẽ fluuium pro finibus habuit. Diuiditur autem in ſedecim regiones, ſcilicet Liguriã, Hetruriam, Latiũ, Campaniam, Lucaniã, Calabriam, Apuliam, Samniũ ſiue Aprutiũ, Picenum, Flaminiã & AEmiliam, ſeu Romãdiolam, Vmbriam (nũc ducatũ Spoletanum) Galliam Ciſalpinã, Venetiam (nunc Marchã) Taruiſanam, Iapidiã & Carniam (nũc Forũ Iulium) & Iſtriam. Ab Italia fiunt Italus & Italicus adiectiua.

Italica, ciuitas eſt Bæticæ, Ptolemæo libro 2. cap.4, patria Traiani Cæſaris.

Ithaca, Ionii maris parua inſula, Vlyſſis patria. De qua Cicero libro 1. de Oratore ſic ſcribit, Ac ſi nos id (inquit) quod maxime debet, noſtra patria delectat, cuius rei tanta eſt vis, ac tanta natura, vt Ithacam illam in aſperrimis ſaxulis tanq̃ nidulum affixam, ſapientiſſimus vir immortalitati anteponeret, quo amore tandem inflammati eſſe debemus in eiuſmodi patriam, quæ vna in omnibus terris domus eſt, virtutis, imperii, dignitatis? Hæc ille. Ab Ithaca, Vlyſſes Ithacus dicitur & Ithacenſis. Virg. lib. AEneid. 2,

Hoc Ithacus velit, & magno mercentur Atridæ. Horatius Epiſt. lib. primo, Remigium vitioſum Ithacenſis Vlyſſi.

Ithome, oppidum in Peloponneſo, itémque in Theſſalia. Author Strabo. Vnde Ithomæus Iupiter.

Ithyra, penul. corr. vrbs eſt in Tauro monte Parthiã verſus, à qua Ithyreus adiectiuũ. Eſt autem Ithyreus, epitheton arcus, vnde dicimus Ithyreos arcus, & Ithyreas ſagittas, id eſt Parthicos arcus, & Parthicas ſagittas. Virgilius lib. Georg. 2, Ithyreos taxi curuantur in arcus.

Itonia, ciuitas eſt in ſinu Maliaco, à qua Itonia Pallas cognominatur à Catullo.

Ituræa, regio eſt, à quo Ituræi populi, vt ait Probus, natio Scytharum. Strabo lib. 17, Montanam (inquit) regionem Ituræi & Arabes habent, malefici omnes. Plinius lib. 5, in parte Syriæ, quæ Cœle dicitur, ſcribit eſſe Ituræorum gentem.

Iturissa, ciuitas eſt Hiſpaniæ citerioris, cuius meminit Mela lib. 3, & Ptolemæus lib. 2.

Itymoneus, teste Homero, Hyperochi filius, vir in primis strenuus: qui in bello Pyliorum cum Helidensibus ab Nestore iaculo est interfectus.

Itys, filius Terei regis Thracum, conuersus in phasianum auem, dum epulandus patri Tereo à matre Progne apponeretur. Author Seruius apud Virgilium in Sileno.

I V

Iuba, rex Mauritaniæ, Pompeii partes secutus: quem Cæsar vicit, eiúsque filium in triumpho duxit. De quo Plutarchus in Cæsare sic scribit, De Iuba rege triumphauit: eius filius Iuba quoque nomine, puer admodũ in eo deductus est triumpho: fortunatissimam vtique captiuitatem, qua effectum est vt ex Barbaro ac Numida inter doctissimos scriptores connumeretur.

Iudæa, Syriæ regio, de qua Ptolemæus Cosmographiæ lib.4. sic scribit, Palæstina (inquit) Syriæ, quæ Iudæa Syria appellatur. Plinius lib.5, Palæstinam, Samariam, Iudæam, & Idumæam seiungit: Galilæam appellari hîc asserẽs vbi Syriæ iungitur. In occasum autem trans Iordanem, Petream, Arabiæ proximam. Omnia hæc Ptolæmeus Palæstinæ subdit, cuius tabulam Asiæ quartam diligenter inspicito.

Iuernia, Plinio Iuuerna, nunc Irlandia dicitur: eis vulgo Irelond: Anglorum regi paret. Ptolemæus lib.2.cap.2.

Iugurtha, rex Numidarum callidus, bellicosus & perfidus, victus tandem à Mario consule Romano, & Romæ in carcere necatus. Lege Salustium.

Iugula, sydus quod & Orion dicitur. Bocatius lib.4.

Iulia, Plinio lib.4.cap.34, Norici oppidum. Iulia item, Augusti filia, Solino.

Iuliobona, Galliæ Celticæ vrbs Ptolemæo libro 2. cap. 8. Vulgo Honfleur.

Iuliobriga, Ptolemæo lib.2.cap.sexto, Hispaniæ vrbs. Vulgo Logronyo.

Iuliomagus, Andium ciuitas in Gallia, Ptolemæo authore libro 2.cap.8. Vulgo Angiers.

Iulium Carnicum, Ptolemæo lib.2. cap.14, vrbs inter Italiam & Noricum. Hodie Goritia, ditionis Austriæ.

Iulius, dictus est Cæsar: quòd hoc mẽse ad quartum Idus Quintiles creatus sit dictator: seu quòd eo mense natus dicatur.

Iulus, filius Æneæ, alio nomine Ascanius. Virgilius 1. Æneid. At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo.

Iunganni, Ligures, incolæ Alphigi oppidi: distant à Monœci por-

tu stadiis quadringentis octoginta. Perottus.

Iunius Brutus. Vide BRVTVS.

Iuno, filia Saturni & Opis, Iouis item soror & coniunx. De qua sic scribit Cicero de natura deorum lib. 2, Aer, inquit, vt Stoici disputant, interiectus inter mare & cælum, Iunonis nomine consecratur, quæ est soror & cóiunx Iouis, quòd & similitudo est ætheris, & cũ eo summa coniũctio. Effœminarunt autẽ eũ, Iunoníque tribuerunt, quòd nihil eo mollius: sed Iunonẽ à iuuando credo nominatã.

Iupiter, filius Saturni & Opis, rex Cretæ summus deorum habitus. De quo sic Cicero libro 2. de natura deorum, Sed ipse Iupiter (inquit) id est, iuuans pater, quem conuersis casibus appellamus à iuuando Iouem, à poetis pater hominúmque deúmque dicitur: à maioribus autem nostris, Optimus Maximus, & quidem antè Optimus, id est beneficentissimus, quàm Maximus: quia maius est, certéque gratius prodesse omnibus, quàm opes magnas habere. Hactenus Cicero. Præter hunc alii duo sunt Ioues, authore eodem Cicerone de natura deorũ libro tertio, Principio (inquit) Ioues tres numerant ii qui theologi nominantur, ex quibus primum & secundum natos in Arcadia: alterum patre Æthere, ex quo etiam Proserpinam natam ferunt & Liberũ. Alterum patre Cælo, qui genuisse Mineruam dicitur, quam principem & inuentricem belli ferunt. Tertium Cretensem, Saturni filium, cuius in illa insula sepulchrum ostenditur.

Iura, mons est Galliæ, Sequanos ab Heluetiis diuidens. Author Cæsar in commentariis. Vogesus dicitur aliis authoribus. Vulgo Le mont des faucilles.

Iuturna, nympha Latina, soror Turni, à Ioue viatiata, cuius meminit Virgilius lib. 12. Æneid.

Disce tuum, ne me incuses Iuturna, dolorem.

Iuuerna, insula est, Britanniæ proxima, quæ hodie Hibernia dicitur. Iuuenalis Satyra 2, -arma quid vltra
Littora Iuuernæ promouimus, & modo captas
Orchades, ac minima contentos nocte Britannos? Cæsar lib. 5, Hiberniam vocat dimidio quàm Britannia minorem. Græci ἰουέρνον, Hermolao teste, quãquam & Strabo ἰέρναν dixit. Claudianus in quarto Honorii Augusti consulatu,

-maduerunt Saxone fuso
Orchades, incaluit Pictonum sanguine Thule;
Scotorum cumulos fleuit glacialis Iernæ.

I X

Ixion, rex Thessaliæ, à Ioue deorũ conuiuio adhibitus, amatã Iu-

nonē de stupro interpellauit. Illa confessa Ioui est, & eius voluntate nubem in suam formam conuersam obtulit, vnde ferūtur nati esse Centauri. Hæc Seruius. Eadem ferè de Ixione scribuntur Luciano in deorum dialogis.

L A

Labatus, viri propriū, cuius crebra mentio apud Plutarchum. Labdacus, rex Thebanus, vltimus Agenoris filius, Laium genuit Thebarum regem OEdipi patrem ex Iocasta, Creontis Thebani filia.

Labeo Antistius (inquit Gellius) iuris quidem ciuilis disciplinam principali studio exercuit, & consulentibus de iure publicè respōsitauit: cæterarum quoque bonarum artium non expers fuit, & in grammaticā sese atque dialecticam, literásque antiquiores, altiorésque penetrauerat: Latinarúmque vocū origines, rationésque percaluerat: eásque præcipuè scientia ad enodādos plerosque iuris laqueos vtebatur. Hactenus Gellius lib. 13. cap. 10. De quo rursum cap. 12. eiusdem libri scribit, In quadā epistola (inquit) Attei Capitonis scriptum legimus, Labeonem Antistiū legum atque morum Po. Ro. iurísque ciuilis doctum apprimè fuisse: Sed agitabat (inquit) hominem libertas quædam nimia, atque vecors vsque eo, vt D. Augusto iam principe, & Remp. obtinente, ratū tamen, pensúmque nihil haberet, nisi quod iustū sanctúmque esse in Romanis antiquitatibus legisset. Ac deinde narrat quid idem Labeo per viatorē à Trib. Pleb. vocatus responderit. Cum à muliere (inquit) quadā Tribuni plebis aduersum eū aditi, Gellianum ad eum misissent vt veniret, & mulieri responderet: iussit eum, qui missus erat, redire, & Tribunis dicere, ius eos nō habere neque se, neque aliū quenquā vocandi: cum moribus maiorū Trib. pleb. prehēsionem haberent, vocationē non haberent. Posse igitur eos venire, & prehendi se iubere, sed vocandi absentem ius non habere. Hæc Gellius.

Laberius, poeta mimographus, eques Romanus, cuius meminit Macrobius Saturnaliorum lib. 2. & Gellius cap. 9. lib. 11. Seneca lib. 7. declamationum, Laberium mimum diuus Iulius ludis suis produxit. deinde equestri ordini reddidit: quem quum iussisset ire sessum, omnes equites ita se coarctauerūt, vt venientē nō reciperēt.

Labienus, Cæsaris in Gallia legatus, qui magnas sub eo res gesserat: demum bello ciuili transfugit ad Pompeium, cui Cæsar bona quæ habebat in potestate remisit. Lucanus,
-dux fortis in armis
Cæsareis Labienus erat, nunc transfuga vilis. Labienus historicus, cuius scripta abolita fuere. Tranquillus in Caligula, T. La-

bieni, Cordi Cremutii,Caſſii Seueri ſcripta ſenatuſconſultis abolita,requiri,& eſſe in manibus,lectitaríque permiſit:quando maximè ſua intereſſet,vt facta quoque poſteris tradantur.

Laboriæ,Laboriarum, Italiæ pars illa quæ vulgo Terra laboris dicitur.Plinius lib.18.cap.11.

Laborinus, cāpus nobilis in Campania,in quo adeò pinguis terra eſt, vt ſtipulam tantæ craſſitudinis faciat, quòd ea incolæ pro ligno vtantur.Sic dictus,quòd ingens labor ſit in eo colendo.Plinius lib.17.cap.4.

Labynetus,filius Nictocris reginæ Babyloniæ, tandémque Babyloniorum tyrannus.Herodotum vide in primo libro.

Labyrinthus (inquit Seruius) locus apud Cretam factus à Dædalo perplexis parietibus,vbi Minotaurus incluſus eſt. Labyrinthum exprimit Virgilius lib. AEneid.5,

Vt quondam Creta fertur Labyrinthus in alta,
Parietibus textum cæcis iter,ancipitémque
Mille viis habuiſſe dolum,qua ſigna ſequendi
Falleret indeprenſus & irremeabilis error.

Quatuor autem eſſe Labyrinthos Plinius docet cap.13.lib.36,Creticum,qui arte maximè fuit ſpectabilis: cuius Ouidius lib. Metamor.3.meminit. AEgyptium,omnium maximum, & portentoſiſſimum humani ingenii opus,quem Pomponius Mela libro primo deſcribit. Lemniū,columnarū nitore inſignem: & quartum Italicum à Porſenna Hetruſcorū rege ſepulchri cauſa extructum. Creticus centeſimam tantum portionem eius qui in AEgypto eſt continet. Siquis plura noſcere cupit,Plinium adeat, qui verè veſanam illam fuiſſe dementiam ſcribit, quæſiſſe gloriam impendio nulli profuturo:præterea fatigaſſe regni vires,cum tamen laus maior artificis eſſet.

Laccobriga,Hiſpaniæ vrbs apud Ptolemæum lib.2.cap.6.alio nomine Coymbra.

Lacedæmon, nobilis vrbs Laconiæ, Menelai regia,alio nomine Sparta. Eſt præterea Iouis filius ex Taygeta,à quo hæc nomen accepit.

Lacheſis,vna eſt Parcarum.Vide PARCAE.

Laciburgium, Ptolemæo lib.2.cap.11,Germaniæ vrbs.Hodie Roſtokium.

Lacinium, promōtorium Brutiorum,Ptolemæo lib.3.cap.1.vulgo Colone. Item Lacinium,Italiæ promontorium eſt inter Adriaticum & Ionium mare ſic cognominatum, vt inquit Theocriti enarrator:& Seruius,à Lacino latrone,quem illic Hercules occi-

dit:& hoc loco expiato Iunoni templum constituit, quæ ob id Lacinia dicta est. Virgilius 3. AEneid.

Hinc sinus Herculei (si vera est fama) Tarenti
Cernitur: attollit se diua Lacinia contrà.

Lacippo, vt scribit Ptolemæus lib. 2. cap. 4, Hispaniæ ciuitas: alio nomine Lapecia dicta.

Laconia, quæ, teste Seruio, apud Virgilium in 4. Georg. OEbalia dicta est, prouincia est in Achaia, seu Peloponneso. Inde Lacon vir, & Lacæna mulier, ex Laconia.

Lacrines, fuit vir Lacedæmonius missus ad Cyrum, teste Herodoto libro primo.

Lactucinii, sunt cognomina Romanorum procerum, à lactucis deducta. Vide Plinium lib. 19. cap. 5.

Lacydes, Cyrenæus philosophus nouæ academiæ princeps, Arcesilæ auditor. Author Suidas. Huius meminit Cicero lib. 4. Academicarum quæst.

Ladas, cursor fuit Alexandri velocissimus. Martialis lib. 2;

Quid si per graciles vias Petauri
Inuitum iubeas subire Ladam?
Turpe est difficiles habere nugas.

Húc Ladam tanta fuisse aiunt pernicitate pedum, ac corporis leuitate, vt per puluerē vel arenam curreret, nullis pedum vestigiis apparentibus. Author Patritius de regno.

Ladon, Arcadiæ fluuius est, de quo Ouidius lib. primo Metam.

Donec arenosi placidum Ladonis ad amnem
Venerat.

Laertes, Acrisii filius & pater Vlyssis: à quo etiam Laertiades dictus passim apud poetas. Est item Laertes, apud Strabonem lib. 14, castellum in tumulo quodam situm, qui mammillæ speciem præbet: id stationem habet.

Laertius, nomen historici, qui de philosophorum vita scripsit.

Læstrygones fuerunt, teste Martiano lib. 7, in extremo Italiæ, versus Siciliam, gentes feritate famosæ. Ad has, teste Homero lib. x. Odyssææ, cum diuerteret Vlysses, & illos aduersos experiretur, vnica perdita naue, peruenit ad Circem. Deinde cum rediens peruenisset ad Phæacas, & in conuiuio Alcinoi hos & Cyclopas humana carne vesci narraret, tāquam fingentem & mendacem nonnulli notarunt. vt Iuuenalis,

Fingentem immanes Læstrygonas, atque Cyclopas.

Sed id verum fuisse asseruit Plinius circa initium libri septimi. Vnde Gellius cap. 21. lib. 15, Præstantissimos virtute, prudentia, viribus, Iouis

filios poetæ appellauerunt, vt AEacum, & Minoa, & Sarpedona, ferocissimos & immanes, & alienos ab omni humanitate, tanquam è mari genitos, Neptuni filios dixerunt, Cyclopa, & Cercyona, & Læstrygonas.

Lagus, Vide in dictione PTOLEMAEVS.

Lagyges, populi sunt Sarmatiæ. Perottus.

Lagyra, Ptolemæo libro 3.cap.6, vrbs est Tauricæ Chersonesi.

Lais, Corinthia meretrix, ob elegantiam, venustatémque formæ grandem pecuniam demerebat: conuentúsque ad eam ditiorum hominum ex omni Græcia celebres erant: neque admittebatur, nisi qui dabat quod popofcerat. poscebat autē illa nimiam quātitatem. Hinc ait natum esse illud frequens apud Græcos adagium, οὐ παντὸς ἀνδρὸς ἐς Κόρινθόν ἐσθ' ὁ πλοῦς, quod expressit Horatius,

Non cuiuis homini cōtingit adire Corinthum. Quòd frustra iret Corinthum ad Laidem, qui non quiret dare quod posceretur. Ad hanc ille Demosthenes clanculum adit, & vt sibi sui copiam faceret petit. At Lais μυρίας δραχμὰς ἢ τάλαντον poposcit: hoc facit numi Romani denariûm decem millia. Tali petulantia mulieris, atque pecuniæ magnitudine ictus, expauidúsq; Demosthenes auertit iter: & discedens, Ego (inquit) pœnitere tanti non emo. Sed Græca ipsa, quæ fertur dixisse, lepidiora sunt, οὐκ ὠνοῦμαι (inquit) μυρίων δραχμῶν μεταμέλειαν. Hæc Gellius cap.8.lib.1.

Laius, Thebarum rex, Labdaci filius, & OEdipi pater ex Iocasta Creontis Thebani filia. Bocatius.

Laletania, Hispaniæ regio: inde Laletani, populi: & Laletanū vinum, magis copia quàm bonitate laudatum. Plinius lib.14.cap.6.

Lambotus, fluuius est Africæ apud Strabonem.

Lambrus, fluuius in Cisalpina Gallia, qui in Padū influit, vt scribit Plinius lib.3.cap.16.& 19. A quo Lābrani, dicti sunt eius accolæ.

Lamiæ dicuntur, inquit Porphyrio apud Horatium, deuoratrices puerorum. Horatius,

Neu pransæ Lamiæ viuum puerum extrahat aluo.

Lampetia, fuit Solis filia ex Neæra, sorórque Phætusæ. Hæ transeunte Vlysse, armēta custodiebāt, vt videbimus in dictione PHAETVSA.

Lampeus, mons est Arcadiæ, teste Plinio lib.4.cap.6.

Lampîa, fluuius est Arcadiæ, cuius meminit Statius lib.4. Thebaidos, Cadénsque iugis Lampia niuosis. Est item oppidum Arcadiæ eiusdem nominis apud Lactantium.

Lampon, Panchates, Pelorus, Camphasus, nomina sunt equorum apud Silium. De Lampone scribit hoc modo,

Euolat ante omnes, rapidóque per aera cursu
Callaïcus Lampon fugit, atque ingentia tranat
Exultans spatia, & ventos post terga relinquit.
Fuit & Lampon, sacrificus vates per anserē, velut auem auguralem iurare solitus. Erasmus in prouerbiis.

Lampsacius, filius fuit Cilicis, eíque successit in regno, vt author est Paulus & Theodontius antiquissimi scriptores apud Bocatium lib.2.cap.48.

Lampsacum, antè Pityusa vocata, ciuitas est Bithyniæ in Hellesponto, nomen à splendore tractum. Nam λάμπω, idem est quod splendeo. Strabo vrbem clarissimam nobili portu esse ait, & templo Matris deûm insignem, lib.13.scribit. Cicero in Verrem actione 3, Oppidum (inquit) in Hellesponto est Lampsacum, Iudices, in primis Asiæ prouinciæ clarum & nobile: homines autem ipsi Lampsaceni, tum summè in omnes ciues Romanos officiosi, tum præterea maximè sedati & quieti, propè præter cæteros, ad summum Græcorum otium potius, quàm ad vllam vim, aut tumultum accommodati.

Lamus, equus generosus apud Silium,
Tum Lamus, & Sicoris proles bellacis Ilerdæ.

Lamyrus, filius fuit Herculis ex Iole Euryti regis filia. Bocatius.

Langîa, fons est in Nemæa sylua Arcadiæ, vt indicat Strabo lib. 4. Thebaidos. Ex hoc refectus fuit Argiuus exercitus ad Thebas vadens, cum grauiter sitisset.

Lanubium, Latinorum vrbs Ptolemæo authore lib.3.cap.1. Hodie Lauinium.

Laocoon, fuit Priami regis filius, vt nonnullis placet, Thymbræi Apollinis sacerdos. de quo Virgilius 2. AEneid.
Primus ibi ante omnes, magna comitante caterua,
Laocoon ardens summa decurrit ab arce.

Laodamas, Halius & Clytoneus, filii fuere Alcinoi regis & Aretes, vt scribit Homerus in Odyssea.

Laodamia, Protesilai, qui primus ad Troiam occubuit, vxor, in viri vmbræ apparentis amplexu expirauit. Volaterranus. Fuit & Laodamia, Bellerophontis filia, quæ à Ioue compressa, vt ait Homerus 6. Iliad. Sarpedonem dium edidit. Quare Diana irata, Laodamiæ mortem attulit.

Laodice, Homero authore, vna filiarum Priami formosa, quæque Helicaoni Antenoris regis Thraciæ filio nupsit. Altera fuit, eodem teste, Agamemnonis ex Clytemnestra filia.

Laodicea, Syriæ vrbs nobilis ad Lycum fluuium, vt scribit Pli-

nius cap.29.lib.5. Eſt & alia eiuſdē nominis ad montem Libanū.

Laodocus, teſte Homero libro Iliad.4, Antenoris Troiani filius, ſtrennuus, in cuius formam transfigurata Pallas, intulit ſe in acies Troianorum, vt Pandarum inuenire poſſet, quo ei ſuaderet, vt ſagitta Menelaum confoderet.

Laomedon, pater Priami regis Troiæ, à quo Laomedontiades dicitur. Virg.3.AEneid.

Lapethos, vrbs in Cypro, Plinio lib.5.cap.39.

Lapithæ (inquit Seruius) populi Theſſaliæ fuerunt, quibus imperabat Ixion, amiciſſimus Ioui, Phlegyæ filius, qui poſt nubis coitum fictæ in formam Iunonis, quum ſe de eius ſtupro iactaret, ab irato Ioue ad inferos truſus eſt, & illic religatus ad rotam circunfuſam ſerpentibus. Hæc Seruius enarrans illud Virgilii AEneid.6, Quid memorem Lapithas, Ixiona, Pirithoúmque?

Lara, ſiue Larunda, nympha fuit Tyberina, cui Iupiter linguam abſcidit, quòd furtiuos amores ipſius cum Iuturna Iunoni indicaſſet, & ad inferos duci iuſſit per Mercurium, vt inter nymphas Stygias conſtitueretur. Mercurius verò dum mandata exequeretur, nymphæ pulchritudine in itinere captus, cum ea concubuit. Quæ prægnans facta, peperit geminos, quos à matris nomine Lareis appellauit. Hos ergo geniales deos dixere: ſiue quòd, vt gignamur, curant, ſiue quòd vnà nobiſcum gignantur, ſeu quòd genitos ſemper tueantūr. Euclides Socraticus duplicem omnibus hominibus appoſitum eſſe genium ſcribit, hoc eſt duos Lareis. Vnde apud Florum malus genius Bruto ſeſe obtulit. Lareis dici Græcis δαίμονας, ſcribit Cicero de Vniuerſitate.

Laranda, ciuitas Lycaoniæ. vnde Ptolemæus lib.5.cap.6, Larandam in Lycaonia parte Antiochiana collocat.

Larina, vt ſcribit Seruius, nomen eſt nobiliſſimæ fœminæ in Italia. Virgilius lib. AEneid.11,

At circum lectæ comites, Larináque virgo,
Tulláque &c.

Larine, fons eſt in Attica regione, vt author eſt Plinius li.4.ca.7.

Lariſe, vrbs eſt AEoliæ, Herodoto.

Lariſſa, Theſſaliæ vrbs, patria Achillis, à qua etiam Lariſſæus à poetis dicitur. Virgilius 2.AEneid.

Quos neque Tydides, nec Lariſſæus Achilles,
Non anni domuere decem, non mille carinæ.

Larius, lacus Italiæ eſt, cuius aquas, authore Plinio, Addua fluuius præterfluens dulces facit. In hoc, vt idem teſtatur lib.15.cap.8, omnibus annis, Vergiliarū ortu exiſtunt piſces ſquamis conſpi-

cui crebris atque præacutis, clauorum cali garium effigie, nec amplius quàm circa eum mensem visuntur.

Larodii, populi sunt in Asia Scythica, Herodoto.

Larynna, oppidum Bœotiæ ad Cephisum fluuium, vt scribit Plinius, Strabo, & Pomponius Mela lib. 2.

Lasthenia, mulieris nomẽ, quã Platone præceptore vsam scribit Plutarchus: ornatúq; virili auditoriũ ingressam scribit etiã Laertius

Lasus, primus de musica scripsit, & dithyramborum certamen primus protulit: vixítque temporibus Darii Persarum regis.

Lateranus, proprium nomẽ patricii Romani qui latêre frequens in otio solebat. Hic consul designatus iussu Neronis interfectus est. AEdes eius amplissimæ datæ fuerũt à Cõstantino Imperatore pontifici maximo. Iuuenalis, -egregias Lateranorum obsidet vrbes Tota cohors. Inde Lateranense palatium, & Lateranensis basilica sancti Iohannis ædes vocata est, quæ in Lateranorum nobilissimæ gentis ædibus extructa fuit.

Latini, populi Italiæ in Latio: de quibus Salustius, Primò Italiam tenuisse quosdã, qui appellabantur Aborigines: hos postea aduentu AEneæ Phrygiis iunctos, Latinos vno nomine nuncupatos. Seruius autem ait AEneam victis Latinis, vt eorum fauorem sibi conciliaret, nomen Latinum non solum illis non sustulisse, sed etiam Troianis imposuisse.

Latinus, teste Bocatio, Laurentum rex, Fauni & Maricæ nymphæ Laurentis filius. Virgilius lib. 7. AEneid.

-rex arua Latinus & vrbes
Iam senior longa placidas in pace regebat.
Hunc Fauno & nympha genitum Laurente Marica
Accipimus, &c. Hic, vt idem testatur, AEneam profugum suscepit hospitio: & vti responso acceperat, ei Lauiniam filiam, iam Turno Dauni filio promissam dedit vxorem: quamobrem bellum ingens inter AEneam & Turnum exortum est, in quo Latinum cecidisse ex Virgilio & Seruio manifestũ est. Fuere & alii plures Latini, vt author est Higinus. Latinus Syluius, vt ait Liuius, AEneæ Syluii fuit filius, & mortuo patre Albanis imperauit, & ab eo coloniæ deductæ eorum qui prisci Latini nuncupati sunt.

Latium, vt ait Plinius lib. 3. cap. 5, ea pars Italiæ est, vbi sunt Tyberina ostia & Romana. Dictum Latium à latendo, quòd illic latuerit Saturnus, Iouem filium fugiens. Ouidius 1. Fastorum,
Dicta quoque est Latium terra latente deo. Virgilius lib. 8,
-Latiúmque vocari
Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris. Varro autem Latium

dici putat, quòd latet Italia inter præcipitia Alpium & Apennini. Est autem duplex Latium, vt dicit Seruius, Vnum à Tyberi vsque ad Fundos: aliud inde vsque ad Vulturnum. Latium verò antiquum, vt ait Plinius libro tertio, cap. quinto, à Tyberi Circeios seruatum est M. passuum L. longitudine. Tam tenues primordio imperii fuere radices. Colonis sæpe mutatis tenuere aliis alii temporibus, Aborigines, Pelasgi, Arcades, Siculi, Aurunci, Rutuli. Et vltra Circeios Volsci, Osci, Ausones, vnde nomen Latii processit ad Lirin amnem.

Latmus, Plinio, Ioniæ mons nobilis, ob Endymionis fabulam, quem aiunt à Luna adamatum in eodem obdormiuisse. Dicit tamen Cicero lib. 1. Tuscul. quæst. eum in Latmo obdormiuisse, & in somnis à Luna deosculatum.

Latona, Cei filia, à Ioue dilecta pariter & oppressa, Apollinem & Dianam peperit. Vnde Apollo Latoides, & Diana Latonia dicitur. Virgilius 9. AEneid.

Tu dea, tu præsens nostro succurre labori
Astrorum decus, & nemorum Latonia custos. Similiter Delos, vt ait Seruius, dicta est Latonia, quòd in ea Latona enixa sit Dianam & Apollinem.

Lauerna, dea fuit, quam Romani coluere, à qua Lauerniones dicti sunt fures, quòd sub tutela deæ Lauernæ essent, in cuius obscuro loco soliti erant inter se furta diuidere. Hinc Lauernalis porta, Romæ dicta est ab æde Lauernæ proxima.

Lauinia, Latini filia, vxor fuit AEneæ, propter quam Turnus iratus, tam in Latinũ quàm in AEneam bella suscepit, à Mezentio impetratis auxiliis. Author Seruius.

Laurentum, vt ait Seruius, oppidum in Latio, Latini regia, à Pico factum, sic dictum à lauro illic inuenta. Item à Lauinio Latini fratre, & Lauinium dictum: item à Lauinia AEneæ vxore Laurolauinium.

Lausus, Mezentii filius, ferarum debellator egregius. Virgilius 7. AEneid.

Lausus equûm domitor, debellatórque ferarum.

L E

Leander Abydenus, & Ero Sestia, quorum amores Musæus hexametris prosequitur, quæ adhuc extant: vnde Ouidius in epistola materiam mutuatus est.

Learchus, filius Athamantis & Inonis, quem pater in furorem versus sagitta interemit. Volaterranus.

Lebedos, Ioniæ oppidum, C X X ſtadiis diſtans à Colophone, vt au hor eſt Strabo.

Leda, vxor Tyndari regis Laconiæ, cum qua Iupiter in forma cygni dicitur congreſſus. Illa autem ex eo congreſſu oua duo enixa eſt, vt fabulantur poetæ. Ex vno nati ſunt Pollux & Helena im mortales:ex altero Caſtor & Clytemneſtra mortales. Horatius,
Nec bellum gemino Troianum orditur ab ouo.

Legæa, vna ex nymphis, à cantus ſuauitate dicta.

Legerda, ciuitas eſt Armeniæ maioris inter Euphratis & Tigridis fontes. Ptolemæus lib. 5. cap. 13.

Legio ſecunda Auguſta, Britanniæ vrbs, vt ſcribit Ptolemæus libro 2. Vulgo Leſkerd.

Leitus, vnus ex quinque Bœotorũ ducibus, qui ad Troiam profecti ſunt, teſte Homero lib. 2. Iliad.

Lelannonius, ſinus Britannicus apud Ptolemæum libro 2. cap. 3. Lemannonius tamen legitur in antiquo exemplari.

Leleges, populi ſunt, quos nonnulli ferunt alio nomine Theſſalos nũcupatos, quaſi λελογισμένους, id eſt rationales, quia cæteris Græciæ populis præſtare videantur. Lucanus de Theſſalis loquens,
Mox Lelegum dextra preſſum conſcendit aratro.

Lemanus, lacus eſt Galliæ, non longè à Rhodano, quem hodie Gebennicum & Loſanenſem vocant. De eo Lucanus lib. primo,
Deſeruere cauo tentoria fixa Lemano.

Lemnos, inſula vna Cycladum in AEgeo Vulcano ſacra in eam delapſo. Viros in Lemno à mulieribus cæſos, quòd eas ob fœtorem hircinum à Venere immiſſum contempſiſſent, ſuprà ſcripſimus. Ouidius in Epiſtolis,
Lemniadéſque viros nimium quoque vincere norunt:
Milite tam forti vita tuenda fuit. De his vide in dictione HYPSIPHILE.

Lenæus, Epitheton eſt Bacchi. ſic enim dictus eſt à dictione ληνός, id eſt torcular.

Leo Byzantius, auditor Platonis, ſophiſta nobilis, Philippo contra Byzantium venienti occurrens, Dic age (inquit) Philippe quæ te cauſa trahit oppugnatum noſtra mœnia? At ille, Amor (inquit) tuæ patriæ, qua, vti potiar, veni. Leo excipiens reſpondit, Atqui inſtrumento muſico, non bellico amantibus opus eſt. Hæc ex Philoſtrato. Suidas verò de eodem ait, quòd Philippus quum Leonem in expugnatione Byzantii præter cæteros aduerſantẽ haberet, epiſtolas ad Byzantios ſcripſit calũniæ plenas, vt ſi voluiſſet tantum dare pecuniæ Leoni quantum petebat, iandudum vrbe fuiſſet poti-

tus.Ciues hoc accepto domum eius circunstetere:ille sibi metuens laqueo vitam finiuit, parum philosophiæ præceptis obtemperans. Hæc Suidas.

Leochares,sculptor eximius,qui authore Plinio li.36.cap,5.vnus fuit eorum qui cælauere Mausolæum.

Leonides,nobilis Sparta,deinde Lacedæmonioru͂ rex qui aduersus Xerxem penè incredibilia egit. Fuit & alius Leonides,præceptor Alexandri,parum probatus Quintiliano.

Leosthenes,vt ait Suidas,dux fuit Atheniensium,qui in bello cōtra Macedones lapide ictus in caput cecidit.

Leprium,Plinio,oppidu͂ in Achaia prope Alpheum amnem. Dictum à lepra qua curabantur ibi, quodam se flumine mergentes. Hinc Lepriatæ,populi. Est & aliud Leprium in Arcadia,vt testis est Cicero lib.6.ad Atticum.

Leptis,Africæ minoris,quæ Zeugitana prouincia dicitur, duaru͂ vrbium nomen est. Est enim Leptis duplex: Minor quæ Sarrana cognominatur à Sarranis Phœniciæ.Silius lib.3,

Sabatra tu͂ Tyrium vulgus,Sarranáque Leptis. Sallustius,Duæ (inquit)sunt Syrtes inter quas Leptis.vnde Leptitani. Altera trãs Syrtim minorem sita iuxta OEam oppidum. Magnæ cognomen habet:illam Neapolim dici existimant. Hæc Vadianus Pomponii Melæ enarrator.

Lerne, oppidum est in sinu Argolico situm, vt scribit Pomponius libro secundo. A Lerne,Lernæa palus dicta,& Hydra illa Lernæa.

Leros,insula est in Icario mari,Straboni lib.4.

Lertosa,teste Ptolemæo lib.2.cap.6,Hispaniæ vrbs:Straboni Dertosa:Hodie Tortosa dicitur.

Lesbos,insula nobilis adiacens Troadi,cum soli fœcu͂ditate,tum ingeniis ad omnia olim idoneis,oppidis denique maximis, & frequentissimis nouem: amnes habet quinquaginta. Vrbium clarissimæ sunt,Eressum,Pyrrha, & Mitylene illa,cuius fuere alumni Alceus & Sappho. Ex Lesbo item Theophrastus fuit, Aristotelis discipulus,Gellio teste.

Lestorum,siue Piratarum regio, in India, authore Ptolemæo libro 7.Hodie regnum Pego dicitur.

Lethe,à poetis dicitur esse inferorum fluuius, qui obliuio interpretatur.Nam huius fluuii aqua fingitur obliuionem incutere.

Leucadia, insula est contra Ambraciu͂ sinum,vt est author Pomponius Mela libro 2. Verum opere accolarum abscisa à continenti, ac reddita ventorum flatu congeriem arenæ accumulantium, vt

Plinius cap.primo lib.4.scribit.

Leucæthiopes, vt ait Plinius, lib.5.cap.7, populi sunt qui primi omniũ cũ Libyægyptiis in interiori ambitu Africæ ad Meridiẽ vers⁹, supérq; Getulos interueniẽtibus desertis habitãt. A quibusdã Leucoæthiopes, & Libyææegyptii scribitur: quod Hermolao non placet.

Leucagus, vir interfectus, excussus curru apud Virgilium lib.10, Excussus curru, moribundus voluitur aruis.

Leucas, Leucadiæ regionis in Acarnania oppidũ, vt scribit Pomponius lib.2. Est quoque iuxta littus Leucadium, & Leucates promontorium prope Ambraciam. Virgilius 3. AEneid.

Mox & Leucatæ nimbosa cacumina montis,
Et formidatus nautis aperitur Apollo.

Leucaspis cum AEnea in Italiam nauigãs, Troia diruta, procella oborta obrutus, teste Virgilio lib.6,

Cernit ibi mœstos, & mortis honore carentes,
Leucaspim, & Lyciæ ductorem classis Orontem:
Quos simul à Troia ventosa per æquora vectos
Obruit Auster, aqua inuoluens nauémque virósque.

Leuce, authore Plinio lib.5.cap.39, oppidum est in finibus Ioniæ quod etiã insula fuit. Est præterea eodẽ lib. 4.cap.13, & Mela authoribus, insula Põti in mari Mediterraneo Borysthenis ostio obiecta, parua admodum, & quòd ibi Achilles sepultus est, Achillæa dicta: Eadem & Macaron appellata.

Leucippus philosophus qui omnia pleno & inani constare dixit, vt est apud Ciceronem Tuscul.quæst.lib.4.

Leucogæi, Plinio lib.35. cap.15, colles sunt in Italia in Neapolitano Campanóque agro, inter Puteolos & Neapolim, in quibus inuenitur alica simul & sulphur. Sunt etiã Leucogæi eidẽ Plinio lib. 31.cap.2, fontes inter Puteolos & Neapolim, qui oculorum claritati & vulneribus medentur, dentibúsque firmitatem adferunt.

Leucon, rex Ponti à fratre Oxilocho interfectus, quòd cum eius vxore adulterii & incestus cõsuetudinem haberet. Ouidius in Ibin,

Aut pia te cæso, dicatur adultera: sicut,
Qua cecidit Leucon vindice, dicta pia est.

Leucosia, insula contra Pestanũ sinũ in mari Tyrrheno Lucaniæ adiacẽs, vt Strabo lib.6.refert: paruũ ad cõtinentẽ habẽs cursũ. Dicta Leucosia, ab vna Sirenũ quæ hoc in loco periit, quũ in profundũ se abiecisset. Festus ab AEneæ consobrino, loco datũ nomẽ existimat.

Leucosyrorum cubitus, Ptolemæo lib.5.cap.6, Cappadociæ locus. Hodie Lirus.

Leucothea dicta est Ino, vxor Athamãtis Cadmi filia, de qua Ci-

t.i.

cero de natura deorũ li.3, Quid deinde Ino dea dicetur, & Leucothea à Græcis, à nobis Matuta dicetur, quum sit Cadmi filia?

Leucothoe, Ouidio lib. Meta. 4, fuit Orcami Babylonii ex Eurimone filia, quã à Phœbo grauidam factam, pater crudeliter defodit viuam. Sed Phœbus mutauit eam in arborem thus ferentem.

Leuctra, in numero multitudinis, oppidũ est Bœotiæ. Cic. Tusc. quæst. lib.1, Antè enim Salaminam ipsam Neptunus obruet, quàm Salamini trophæi memoriam: priúsque Bœotia Leuctra tollentur, quàm pugnæ Leuctricæ gloria.

Leuphana, Germaniæ vrbs apud Ptolemæum. Vulgo Hanofer.

Leutychides, vir Lacedæmonius, inimicus Demarathi, post cuius fugam cõstitutus fuit Spartorum rex, vt scribit Herodotus lib.6.

Lexubii, Ptolemæo lib.2.cap.8: Lexouii aliis, Galliæ vrbs. Vulgo Lisieux.

L I

Libanius, sophista Antiochenus, floruit temporibus Iuliani Apostatæ. Is est qui argumẽta in omnes orationes Demosthenis edidit.

Libanus, mons est inter Arabes & Phœnices, excelsas arbores habens, vt scribit Strabo lib.16.

Libarnum, Ptolemæo lib.3.cap.1. Libarna Plinio, vrbs Liguriæ: hodie Lauanium, Lauaniæ comitatus.

Liber dicitur Bacchus. multos autẽ fuisse Liberos siue Bacchos Diodorus scribit. Celebratior verò qui ex Semele & Ioue genitus fertur, quẽ tertiũ fuisse autumant, & Thebis Bœotiis natũ: qui Liber appellatus est à liberando. Nã libertatis deus est, siue quòd Bœotiæ vrbes liberas fecerit, ipse enim pro Bœotiæ libertate pugnauit: vel quia vinum curas soluat, & mentem ab illis liberet, & audaciorem in omnes conatus faciat: vt notum est ex Horatii carmine,

Ad mare cum veni, generosum & lene requiro,
Quod curas abigat &c.

Liber præterea dicitur Sol, quòd liberè per aerem vagetur. Virgilius 1. Georg.

-vos ô clarissima mundi
Lumina, labentem cælo quæ ducitis annum:
Liber & alma Ceres, vestro si munere tellus
Choaniam pingui glandem mutauit arista.

Libethris, fons Magnesiæ, sacer Musis vt Hippocrene: à quibus fontibus Musæ Libethrides dicũtur & Hippocrenides. Virg. Eclo.7,
Nymphæ noster amor, Libethrides, aut mihi carmen.

Libora, olim Elbora, Ptolemæo lib.2.cap.6, Hispaniæ vrbs: Talabrica hodie. Vulgo Taleuera.

Liburnia, propriè regio est inter Illyricum & Dalmatiã, quæ vulgò Croatia dicitur, Austriæ principum ditionis. Et Liburni populi, incolæ Liburniæ. De quibus Lucanus,

Pugnacésque mari Graiorum classe Liburnos.

Liburnus, portus Tuscorum Ptolemæo lib.3. ca.1. hodie Liuorno.

Libya, Africæ regio, quæ ab Atlãte monte Mauritaniæ incipit, & ad Canopum vsque Nili ostium panditur. sic dicta, vt plurimi afferunt, à Libya coniuge Epaphi filii Iouis.

Libyssa, Bithyniæ vrbs, Ptolemæo lib.5. cap.1. Vulgo Polmen. Bithyniæ φρέριον vocat Stephanus. nota est Annibalis interitu.

Libystinus, dictus est Apollo ab his qui Pachynum Siciliæ promontorium incolebant, eo quòd immissa Libycis, hoc est hostibus Carthaginensibus peste, pene cuncti subita morte interierint.

Ligeris, Galliæ Celticæ fluuius est, cuius multa mentio est apud Cæsarem. Vulgò Loere.

Ligures, Italiæ populi sub Apœnino, sic dicti à Liguro Phaetontis filio. Liguria, Ligurum regio, in qua sunt vrbes Genua, Sauona, Naulum, & Albigena. Ligures, vulgo Genouenses.

Ligusticum, siue vt Bocati⁹, Ligustinũ mare, est maris Tusci pars, à Liguria prouincia cui adiacet, denominatum. Hoc (vt refert Solinus) corallium procreat, quod fulminibus resistit.

Ligyes, populi sunt Asiæ qui cum Xerxe, teste Herodoto lib. historiarum quarto, contra Græcos militarunt.

Ligystus, teste Fabio pictore, Phaetontis fuit filius, à quo Liguria cognominata est.

Lilybæum, Siciliæ promõtorium est quod Africam respicit. sunt enim Siciliæ tria promõtoria, vt docet Põponius lib.2, Ipsa ingens, & tribus promontoriis in diuersa procurrens, Græcæ literæ imaginem, quæ Delta dicitur, efficit. Pachynum vocatur, quod Græciam spectat: Lilybæum, quod in Africam: Pelorum, quod in Italiã vergens, Scyllæ aduersum est.

Limiosaleũ, Ptolemæo li.2. cap.11, vrbs Germaniæ, vulgo Gnisna.

Limni, insula iuxta oriẽtalem plagam Hyberniæ, quæ deserta est, authore Ptolemæo lib.2. cap.2. Silimnus dicta Plinio.

Limonum, Pictonum oppidũ in Gallia, teste Ptolemæo lib.2. cap. 7. Vulgo Limon.

Limuici, Ptolemæo lib.2. cap.7, Galliæ populi: alio nomine Lemouices. Vulgo Limosin.

Lindos, vrbs est Rhodi insulæ. In Rhodo, inquit Pomponius, tres quondam erant vrbes, Lindos, Camiros, Ialysos.

Lindum, Ptolemæo lib.2. cap.3, vrbs est Britanniæ insulæ: alio nomine Lincolina & Lindecolinum. Vulgo Lincolon.

Lingones, populus Galliæ in prouincia Lugdunensi. Lucanus,

Pugnaces pictis cohibebant Lingones armis.

Linternum,Campaniæ vicus, vbi Scipio Africanus inuidiæ cedens obiit, ac sepultus est.De quo Silius,

Linternum,& quondam fatorum conscia Cumæ.

Linternus,Bocatio, Campaniæ fluuius est,haud longe à Vulturno fluuio & oppido.

Linus Thebanus,poeta antiquissimus,Apollinis filius,inquit Seruius apud Virgilium Ecloga 6,

Vt Linus hæc illi diuino carmine pastor. Hermodotus verò Platonicus lib.1. disciplinarũ,dicit hũc Mercurii ex musa Vrania filiũ, & Thebis genitũ.Scripsitq;,teste eodẽ Hermodoto,mũdi generationẽ,Solis itẽ & Lunæ cursus,animaliúmque & fructuũ generationes. Hic in principio sui operis omnia simul nata dixit,quẽ secutus est Anaxagoras. Occubuit in Euboea,sagitta ab Apolline trãsfixus.

Lipara,vna est ex AEoliis insulis.AEoliæ autem dictæ sunt,quòd AEolus Iliacis temporibus ibi regnabat, vt scribit Plinius. Sunt porrò VII,Lipara, Hiera,Strongyle,Didyme,Ericusa,Phoenicusa, Enonymos.Plinius,Solinus,Strabo.

Liparis,Plinio lib.5.cap.27,Ciliciæ fluuius, ἀπὸ τοῦ λιπαροῦ. quoniã scribit Vitruuius, natantes in hoc flumine, aut se lauantes, non aliter vngi ab ipsa aqua,quàm si oleo aut adipe lauarentur.

Lirimiris Ptolemæo li.2.ca.11,Germaniæ vrbs,vulgo Mulheim.

Liris,fluuius Campaniæ,Minturnas præterfluens, qui & Glanicus.Vulgò Garilianus.

Lissus,Ptolemæo,Dalmatiæ vrbs: hodie Alexium.

Lisus,fluuius est Thraciæ.Ad hũc cum venisset Xerxes,rex Persarũ,cũ exercitu nõ sufficiens ad potum defecit. vnde ait Iuuenalis, -epotáque flumina Medo Prandente.

Liuius,historicus Patauinus,res Rom.miro artificio luculẽtóque sermone perscripsit.De hoc Hieronym⁹ ad Paulinũ,At Titũ Liuiũ lacteo eloquẽtiæ fonte manantẽ de vltimis Hispaniæ Galliarúmq; finibus quosdã venisse nobiles legimus.Et quos ad cõtẽplationẽ sui Roma nõ traxerat,vnius hominis fama perduxit. Habuit illa ætas inauditũ omnibus seculis celebrãdúmque miraculũ,vt tantã vrbem ingressi,aliud extra vrbẽ quærerent. Hũc Caius princeps tanquam verbosũ insectabatur.Pollio verò tanquam Patauinitatẽ redolentẽ. Quintiliano magnopere laudatur:eúmque Herodoto comparat,in cõcionibus præsertim,suadétque pueris ediscendum vt Ciceronis imitatorem. Fuit & alius Liuius Andronicus,Liuii Salinatoris libertus,cuius filios erudiit,ab eodémque ob ingeniũ libertate donatus.Author Eusebius. Primus Romæ fabulã dedit,C.Claudio Cæci filio,& M.Tuditano COSS,anno ante natiuitatem Ennii.

Lixus,colonia à Claudio Cæsare facta in Mauritania, vel fabulosissimè ab antiquis narrata. Ibi regia Antei,certaménq; cum Hercule,& Hesperidum horti. Affunditur autẽ huic æstuarium è mari flexuoso meatu, in quo draconis custodiæ instar fuisse nunc interpretantur. Verba sunt Plinii cap.primo lib.5. Est & Lixus,amnis in eadem ora,cuius meminit ibidem Plinius, & Pomponius Mela in fine sui operis.

L O

Locoritum,authore Ptolemæo, vrbs Germaniæ.hodie Trutonia, vulgò Forchein.

Locris Locridos,regio est proxima Phocidi:dicũtur & Locri,eius regionis populi. Locri itẽ,vrbs insignis in Brutiis,à Locris Aiacis Oilei sociis,Euanthe duce,condita,qui paulo post conditam Crotonem & Syracusas, in Italiam profecti sunt è sinu Cressæo, qui in Corinthiaco est. Virgilius lib.3.AEneid.

Hic & Naritii posuerunt mœnia Locri. Notandum verò,Epicnemidios fuisse dictos,antè quàm Italiã petierint,mox Epizephyrios,vt notant Vadianus & Seruius.

Londinium,Ptolemæo, aliis Londinum,Britãniæ insulæ metropolis. Vulgò London,Londres.

Lotos,& Lotis,Lotidis,propriũ nomẽ nymphæ Neptuni filiæ,quæ Priapũ fugiens,in arborẽ sui nominis versa est. Ouid.lib.10.Meta. Amnicolǽque simul salices,& aquatica lotos. Ab hac Lotophagi,populi Africæ Minoris.Plinius quinto libro,Lotophagorũ oram citra Borion in intimo sinu Syrtis maioris statuit: Ptolemæus inter duas Syrtes ortum versus,ad Cyniphẽ fluuium. Herodotus lib.4 ad minorem Syrtim ferè, & Gindanes illos, quorum vxores adeò se Venere iactant,locat. Horum nullus Melæ conuenit, trans Borion oram eorum statuenti. Strabo certè libro vltimo, ad minorem Syrtim & insulam eius insignem,cui nomen est Meninx,Lotophagos habitasse, argumentum esse ait monimenta quædam, & Vlyssis aram, & loton arborem suauissimi fructus, à qua his nomen datum est, in ea copiosam. Quam Plinius quoque ab Eratosthene Lotophagiten dictam esse ait. Illius sentẽtiæ suffragatur Silius illo versiculo lib.3,

Neritia Meninge satus,&c. Vbi de Coaspe Afro Neritiam insulam cognominat ob Vlyssis in ea memoriam, qui Ithacã patriam habuit, in qua mons Neritos nemorosus & altus Homero ponitur lib.Odysseæ nono. Hospitales Lotophagos & appulsis mites fuisse constat,atque inde tanta eorum laus.Nam vt Strabo ex Eratosthene retulit, in his litoribus communis Barbarorum mos hospites

pellendi. De his Silius lib.3,
Spectati castris, quos succo nobilis arbor,
Et dulci pascit Lotos nimis hospita bacca. Nimis hospitam dixit, quòd vescentes, eius dulcedine adeò capiãtur, vt terrã nõ nisi inuiti deserant. Hinc illa Odysseæ lib.9. Homeri de sociis Vlyssis fabula.

Lotus, nympha fuit, quam cum amatam Priapus persequeretur: illa fugiens, & deorũ auxiliũ implorans, illorũ miseratione cõuersa est in arborem sui nominis. Vide LOTOS.

Loxa, Ptolemæo lib.2.cap.3, fluuius Britanniæ. Vulgo Fyrth.

L V

Luca, authore Strabone lib.5, vrbs est ad montes Lunæ incũbentes, vbi plerique vicatim habitant: regio tamen probitate virorum floret, & robur militare hinc magnum educitur, & equitum multitudo, ex quibus senatus militares capit ordines.

Lucani, Italiæ populi inter Calabros & Apulos siti. Ii à Samnitibus orti, duce Lucio, vt scribit Plinius cap.5.lib.3. Eorum regio opima Lucaniæ loca dicuntur, vt scribit Pomponius Mela lib.2.

Lucanus Cordubensis patria, poeta egregius, Senecæ viri grauissimi, & tragœdiarum scriptoris nepos. Hic bellum ciuile inter Cæsarẽ & Pompeium hexametris, & plura alia explanauit, in quibus maximã laudẽ adeptus est ingenii & doctrinæ. Vide Crinitum.

Lucentia, citerioris Hispaniæ vrbs, & Romanorum quondã colonia, vt scribit Pomponius Mela lib.2.

Lucentum, Hispaniæ Tarraconensis oppidum à superiore diuersum, quod Ptolemæus lib.2.cap.6, statuit supra Carthaginem, occasum versus. Vulgo Susana.

Luceres, tertia pars fuere populi Romani temporibus Romuli regis. De quibus sic scribit Seruius, Constat (inquit) primò tres partes fuisse populi Romani: vnam Tatientium, à Tito Tatio duce Sabinorum iam amico post fœdera: alteram Ramnetum à Romulo: tertiam Lucerum, quorum secundum Liuium & nomen & causa in occulto sunt. Varro tamen dicit, Romulum dimicantem contra Titum Tatium à Lucumonibus, id est Tuscis auxilia postulasse. Vnde quidem venit cum exercitu: cui recepto iam Tatio pars vrbis est data: à quo in vrbe Tuscus dictus est vicus. Horatius, Ac Tusci turba impia vici. Ergo à Lucumone Luceres dicti sunt. Sic autem in tres partes diuisum fuisse populum Romanum constat, vt etiam qui præerant singulis partibus, tribuni dicerentur. Vnde etiam sumptus quos dabant populo, tributa nominarunt. Hactenus Seruius, illud Virgilii enarrans 5. AEneid.
Tres equitum numero turmæ, ternique vagantur
Ductores, &c.

Luceria, est Dauniorum colonia in Apulia, teste Plinio libro tertio,cap.11, Hinc Apulia(inquit)Dauniorum cognomine, à duce Diomedis socero. Ibidem, Dauniorum præter suprà dicta coloniæ,Luceria,Venusia: oppida Canusiũ,Arpi, &c. Strabo quoque idem docet libro 6, dicítque fuisse Luceriæ nobile fanũ Mineruæ.

Lucina,teste Seruio,Iuno dicitur & Diana.Vt est apud Terẽt. in And.Iuno Lucina fer opẽ. Et pro Diana apud Virgil.in Pollione, Casta faue Lucina,tuus iam regnat Apollo. Cicero libro secundo de natura deorum,Luna à lucendo nominata sit:eadem est enim Lucina. Itaque vt apud Græcos Dianam,eámque luciferam,sic apud nostros Iunonem Lucinam in pariendo inuocant:quæ eadem Diana omniuaga dicitur, non à venando,sed quòd in septem numeratur tanquam vagantibus.

Lucius,prænomen eius qui primus apud Romanos ita vocatus fuit.Multi autem fuerunt,vt Lucius Portius Consul, Lucius Piso, Lucius Cæsar, & alii.

L.Ostius, tempore bellorum ciuilium patrem suũ proscriptum, quem Triumuiri ad supplicium perquirebant, latentem prodidit, vt eius bona acciperet.Author Plutarchus in Romulo.

Lucretia, nobilis Romana, quam Aruns Tarquinii superbi Romanorum regis filius stuprauit. Quod ipsa quũ patri & viro Collatino indicasset, gladio se occidit, fecítque vt populus scelus vlcisceretur,& reges exigeret.Claudianus de Lucretia,

Vulnere quæ proprio facinus testata tyranni
Armauit patriæ iustos in bella dolores
Exule Tarquinio,memorandáque concidit
Vlta pudicitiã, libertatémque cruore. Hanc historiam scribit Liuius lib.1.circa finem: & Ouidius lib.2.Fastorum.

Lucrinum,Dauniorum est oppidum in Apulia,vt scribit Strabo lib.6.& Pomponius lib.2.

Lucrinus & Auernus,lacus,vterq; in Baiano sinu est. At Lucrin⁹ populi Romani cura piscosus factus vestigalibus operã pẽsantibus, vt scribit Seruius in 2.Georg.In Baiano(inquit)sinu Cãpaniæ cõtra Puteolanã ciuitatẽ lacus sunt duo,Lucrinus & Auernus : qui olim propter copiã pisciũ vectigalia magna præstabant.Sed cũ maris impetus plerunq; irrũpens exinde pisces excluderet,& redẽptores grauia damna paterentur,supplicauerũt senatui:& præfectus C.Iulius Cæsar, ductis brachiis exclusit partẽ maris: quæ antea infesta esse consueuerat,&c.Hæc Seruius apud Virgilium 2.Georg.

An memorem portus. Lucrinóque addita claustra,
Atque indignatum magnis stridoribus æquor,

Iulia quà ponto longè ſonat vnda refuſo,
Tyrrhenúſque fretis immittitur æſtus auernis?

Luctatius Catulus, Romanus ciuis fuit, qui primo Punico bello trecentis nauibus aduerſum Pœnos profectus, ſexcentas eorũ naues commeatibus & aliis oneribus impeditas apud AEgates inter Siciliam & Africam depreſſit, finémque bello impoſuit: pacem petentibus hac conditione conceſſit, vt Sicilia, Sardinia, & cæteris inſulis intra Italiam Africámque decederent, Hiſpania circa Iberum fluuium abſtinerent.

Lucullus, nomen viri clariſſimi Romani, qui præclaras res geſſit: hic nobilis, diſertus, & diues munus quæſtorium ampliſſimum dedit. Prætor Africam iuſtiſſimè rexit. Aduerſus Mithridatẽ miſſus, collegam ſuum Cottam Chalcedone obſeſſum liberauit. Cyzicon obſidione ſoluit. Mithridatis copias ferro & fame afflixit, eúmque regno ſuo Ponto expulit, quem rurſum cum Tigrane rege Armeniæ ſubueniente, magna fœlicitate ſuperauit. Hic (vt refert Athenæus) cum Romam poſt expeditionem Ponticam rediiſſet, ad vitam ſumptuoſam & elegantem ſe coniecit. tantas enim opes ſibi parauerat, vt ædibus & Prætoriis extruendis, hortis & cœnationibus amœniſſimis, incredibilíque ſumptu paratis, & bibliotheca inſigni vtriuſque linguæ libris referta, atque omnibus obuia & patenti, opes bello quæſitas conterere non potuerit, cum interim quotidiano epularum apparatu in prouerbium pene venerit.

Lucus Auguſti Ptolemæo lib.2.cap.6, alio nomine Oluca, Hiſpaniæ Tarraconenſis vrbs: Lugo vulgo. Olucenſe epiſcopium, Aras ſextianas Plinius: Auguſti turrim Mela nominat. Lucus Feroniæ, Tuſcorum colonia, authore Ptolemæo lib.3.cap.1. Bientina hodie. Lucus item Feroniæ, promõtorium eſt Hetruriæ eidem Ptolemæo. Vulgò Petra ſancta.

Luentinum, Britanniæ inſulæ vrbs Ptolemæo teſte libro 2.cap.3. Vulgò Prouueſland.

Lugdunum, vrbs Galliæ à Plancio proconſule, vt ferunt, condita in colle vbi Arar Rhodano miſcetur. Vulgo Lion. Item Lugdunum colonia, apud Ptolemæum lib.2.cap.3. Vulgo Oloron dicitur, vt nonnullis placet.

Lugidunum, Ptolemæo lib.2.cap.11, Germaniæ vrbs. hodie Glogauia, Vulgo Glogauu.

Luna, Ligurum oppidum, portu nobile. Ennius,
Lunai portum eſt operæ cognoſcere ciues.

Lunæ montis promontorium, Ptolemæo lib.2.cap.5, Luſitaniæ

locus. Vulgò Ponte de Luna.

Lunarium, promontorium Ptolemæo lib.2.capite 6. Alio nomine, Mons Iouis, Scalæ Annibalis: nunc Mouini.

Lupercal, locus sub monte Palatino Romæ. De quo sic Seruius scribit, Sub monte Palatino est quædam spelunca, in qua de capro luebatur, id est sacrificabatur: vnde & Lupercal dictum nõnulli putant. Alii quòd illic lupa Remum & Romulum nutrierit. Alii (quod est veri similius) locum esse hunc sacratum Pani deo Arcadiæ: cui etiam mons Lycæus in Arcadia est consecratus. Et dictus est Lycæus, quòd lupos non sinat in oues sæuire. Ideo & Euander deo gentis suæ sacrauit locum, & nominauit Lupercal, quòd præsidio ipsius numinis lupi à pecudibus arcerentur. Hæc Seruius enarrans illud Virgilii 8. AEneid.

Hinc lucum ingentem, quem Romulus acer Asylum
Rettulit, & gelida monstrat sub rupe Lupercal,
Parrhasio dictum Panos de more Lycæi.

Lupercalia, celebritas erat Romæ in honorem Panos: & Luperci, qui hæc sacra faciebant. De quibus Seruius, Cum in honorem Panos Lupercaliorum solennitas celebraretur, pecora Romanorum subito à latronibus rapta sunt. Illi proiectis vestibus persecuti sunt latrones, quibus oppressis, & receptis animalibus, propter rẽ à nudis prospere gestam, consuetudo permansit vt nudi Lupercalia celebrarent. Hæc Seruius explicans illud Virgilii 8. AEneid.

Hic exultantes Salios, nudósque Lupercos. De Lupercalibus Plutarchus scribit in Romulo & Cæsare.

Lupfurdum, Ptolemæo lib.2.cap.11, Germaniæ vrbs. Hodie Mysna, vulgò Meissen.

Lupia, Germaniæ fluuius. Pomponius lib.3, Coniectura est eum esse quem hodie Neccharum vocant, qui haud longè à Danubii fontibus ortus per Vvirtembergensem ducatum lapsus, móxque in occasum versus Rhenum seorsum illabitur. Strabo longè secus quàm Pomponius Lupiam in Visurgim deferri ait, vt Lupiæ nominis non Neccharus, sed is amnis quem hodie Fuldam vocant, intelligatur. Tacitus (adeò in re tantilla variant scriptores) libro Augustæ historiæ 2, Lupiam vocat amnem, non in Rhenum, sed in Oceanum elapsum.

Lusitania, tertia Hispaniæ pars, quam Plinius cap.21.lib.4. à Durio amne finit, reliqua citeriori attribuens. In qua sententia & Ptolemæus est. At Strabo cum Mela conuenit: Huius regionis (inquit) latus Australe Tagus cingit, ab occasu verò & Septentrione Oceanus, ab aurora Carpetani, Vetiones, Vaccei, & Callaici famæ maio-

ris populi. Lusitaniæ nomen dedisse Lusum Liberi patris, ac Lysam cum eo bacchantem, Plinius author est cap.1.lib.3.

Lusius, Bocatio, siue vt quidã Lysius, Arcadiæ fluuius, quẽ penes est sepulchrum AEsculapii, Asippi & Arsinoæ filii, qui primus alui purgationem, atque dentis auulsionem adinuenisse dicitur.

Luspiæ Ptolemæo lib.3.cap.1, Calabriæ vrbs, Lupia Plinio. Vulgò, Leccio Lezo.

Lutetia, Galliæ vrbs maxima & nobilissima, magnitudine & frequentia certat cũ maximis Europæ vrbibus. Græci λευκετίαν nominant ab albedine parietum, vt quidam contendunt. Vulgò Paris.

L Y

Lyæus dicitur Bacch⁹, vt grãmaticis placet παρὰ τὸ λύειν. i. soluere quòd curas soluat, atq; discutiat. quod etiã secutus videtur Horatius,

Ad mare quum veni generosum, & bene requiro
Quod curas abigat.

Ab hoc Lyæus etiã adiectiuum: vt Lyæus latex, pro Lyæius, figuratè. Virgilius,

Vt cum te gremio accipiet lætissima Dido,
Regales inter mensas, laticémque Lyæum.

Lycæus, mons est Arcadiæ Pani consecratus. Est & Pan ipse Lycæus dictus, quòd lupos non sinat in oues sæuire, vt annotauimus in dictione LVPERCAL.

Lycambes, vir Thebanus, quem Archilochus poeta iãbis ad suspendium adegit: de quo vide in dictione ARCHILOCHVS.

Lycâon, Arcadiæ rex, filiam habuit Calistho: quam cum vitiasset Iupiter, Iuno in vrsam cõuertit: & postea Iupiter miseratus in signũ cæleste transtulit. Hæc Seruius enarrans locum Virgilii 1. Georg.

Nauta tum stellis numeros & nomina fecit:
Pleiadas, Hyadas, clarámque Lycaonis Arcton.

Vide Ouid. 1. Meta.

Lycaones, populi sunt Asiæ, Phrygibus & Gallogræcis, quos Galatas nominari antè scripsimus, vicini. Author Põponius Mela lib. 1. Sũt & lycaones, lupi ceruice iubati, & tot modis varii, vt nullũ eis abesse colorẽ dicãt. Solinus. Plinius li.8.ca.34, in Indis lycaones esse scribit. Põponius lib.3. de AEthiopia scribens, Sunt & sæuissimæ feræ omni colore varii lycaones, & quales accepim⁹ sphingas.

Lycaste, Priami filia fuit pulchritudine insignis adeò, vt captus ex ea Polydamas Antenoris & Theano sororis Hecubæ filius, illam ex concubina susceptam sumeret in vxorem. Bocatius. Fuit & alia Lycaste, quæ ob pulchritudinem Venus vocabatur.

Lycastos, vrbs Cretæ, sic à luporum multitudine dicta, quæ ibi esse creditur. Huius meminit Pomponius Mela lib.2.

Lycia, minoris Asiæ regio inter Pamphyliam & Cariam sita, cognominata est à Lyco rege Pandionis filio, atque (vt ferũt) infesta-

ta olim Chimæræ ignibus. Pomponius lib.1. Lycia propè tota Tauro mõte premitur, eius iugis bona parte clausa. Lycios autem primum Termilas dictos Herodotus lib.7.scribit. Deinde Lycios à Lyco Pandionis filio: qui quum à propriis terris exiisset, in regni partem à Sarpedone acceptus est. Vide Herodotum in septimo. De Lyciorũ laudib⁹ legito Straboné li.14. Lycia hodie Briquia dicitur.

Lycidas, centauri nomen & pastoris apud Virgilium.

Lycimnius, frater Astiochiæ, auunculus Tlepolemi, à quo & ipse interemptus est. Homerus.

Lycomedes, Creontis fuit filius teste Homero Iliados nono.

Lycon, ex Troade, Stratonis discipulus, è Theophrasti schola: huius in dicendo suauitatem nomen maxime demõstrat, quòd addita litera G, Glycon sit cognominatus. habitu fuit mollis & delicatus. Quatuor huius nominis memorantur, primus Pythagoricus, Secundus hic, Tertius versificator, Quartus epigrammaton poeta. Diogenes Laertius.

Lycophron, poeta, patria Chalcidẽsis, Soclis, seu Lyci historici filius inter septem poetas, qui Pleiades dicebãtur numero stellarum, Philadelpho Ptolemæo receptus. Erant auté hi, Theocritus, Aratus, Nicandrus, Apollonius, Philecus, Homerus iunior, Lycophron. Au thor Suidas. Fuit item Lycophron, Corinthiorum dux, Periãdri filius, cuius meminit Plutarchus in vita Niciæ.

Lycopolis, vrbs AEgypti, sic à lupis cognominata, eo quòd AEthiopes agros AEgyptios incursantes, lupi facta acie vsque ad ciuitatem Elephantinam repulerint. Sed ibidem ciuitatem construentes AEgyptii, vbi acié struxerant, à bestiis illis Lycopolim cognominarunt, ac pro diis lupos ipsos venerantur. Author Diodorus Siculus libro secundo.

Lycoris, meretrix fuit alio nomine Cytheris dicta, à Cornelio Gallo poeta adamata. De qua Virgilius sæpe in Gallo: & nos in CORN. GALLVS scripsimus.

Lyctonia, vrbs Cretæ insulæ, vt notat Tortelius.

Lyctus, oppidum Cretæ, vnde Lyctius, id est Cretensis.

Lycurgus, Lacedæmoniorũ princeps, & author legũ. De quo Valerius, Iustinus, Aristoteles, & Plutarchus multa. Lycurgus item rex Nemeæ regionis Hypsiphilé regis Thoantis filiã nato suo nutricé adhibuit. Author Statius in Thebaide. Lycurgus præterea, rex Thraciæ fuit, qui vt habet fabula, dũ cõtẽnens Liberũ, eius amputat vites, crura sua incidit. Re vera auté abstemius fuit: quos constat acrioris esse naturæ: quod etiam de Demosthene dictũ est. Hæc Seruius enarrans illud Virgilii 3. AEneid.

Thraces arant acri quondam regnata Lycurgo.



Lycus Thebanus exul,qui abſẽte Hercule reuerſus,Creõtem regem occidit,& regnum tenuit. Alter rex Thebanus, maritus Antiopæ. Fuit item Lycus, medicus Neapolitanus, cuius meminit Plinius lib.20.cap.20. Eſt præterea Lycus,amnis Syriæ ad quem Laodicea ſita eſt.Author Plinius,& Mela lib.2.

Lydda,Palæſtinæ Iudææ vrbs Ptolemæo libro 5.cap.16.Alio nomine Dioſpolis:hodie Rama.

Lydia,Aſiæ regio AEoliis & Ioniis vicina,nota eſt Crœſi fortuna & rebus geſtis, tum etiam Pactoli fluuii fama aurum trahẽtis. Vide Strabonem,& Pomponiũ lib.1.in ſumma Aſiæ deſcriptione.

Lydus, Bocatio, Herculis ex Iole filius. Alter, teſte Herodoto, Atys filius,à quo Lydia,quæ prius Mœonia vocabatur,dicta eſt.

Lygdamus,nomen eſt viri proprium.Perottus.

Lygdamum,Plinio lib.5.cap.30,oppidi nomen eſt.

Lymira,Lyciæ flumen eſt,& eodẽ nomine ciuitas,inquit Pomponius lib.1.in deſcriptione Lyciæ.

Lynceus,vir fuit acerrimi & acutiſſimi viſus,qui tãtam vim(inquit Acron apud Horatium) in acumine oculorum dicitur habuiſſe,vt trans parietem videret:& dum ſtaret in Sicilia, videret claſſes de Africa exeuntes.Horatius 1.Epiſtolarum,

Non poſſis oculo,quantum contendere Lynceus,
Non tamen idcirco contemnas lippus inungi.

Lyncus (inquit Seruius) rex Scythiæ fuit, qui miſſum à Cerere Triptolemum,vt hominibus frumenta monſtraret,ſuſceptum hoſpitio vt in ſe gloria tãta migraret,interimere cogitauit.ob quã rem irata Ceres, eum conuertit in lyncem feram varii coloris, vt ipſe variæ mentis extiterat.

Lyndus,Homero teſte,ciuitas in Rhodo inſula,in qua authore Lactantio,Herculis ſacra fiebant,quorum à cæteris longe diuerſus eſt ritus. Siquidem non εὐφημίᾳ (vt Græci appellant) ſed maledictis & execratione celebratur: eáque pro violatis habent, ſi quando inter ſolennes ritus,vel imprudenti alicui exciderit bonum verbum. Eſt & Herodoto ciuitas in Dorica regione.

Lyrneſos(inquit Seruius)ciuitas eſt Phrygiæ,vnde fuit Briſeis. Hæc ille explicans illud Virgilii lib.10,

Fert ingens toto connixus corpore ſaxum
Haud partem exiguam montis Lyrneſius Agmon.

Lyſander,dux Lacedæmoniorum inuictiſſimus, cuius ductu Athenienſes cum duce Conone illam nauali pugna cladem acceperunt. Ex quo Athenæ ſemidirutæ, impoſitúmque iugum triginta tyrannorũ fuit. Victus denique Lyſander à Conone ipſo terreſtri

pugna,& interfectus. vbi Pausanias eius collega in exercitu suspectus in exilium profectus est.Emicuit enim Lysander tēpore Pausaniæ & Agesilai Lacedæmoniorū. Lysāder & reb⁹ gestis,& animi magnitudine Syllæ ex nostris comparatur Plutarcho in Parallelis.

Lysanias,orator Græcus. Alter vir ex Arcadia qui Lycaonem regno expulit.

Lysiades Atheniēsis,Phædri philosophi filius.De quo Cicero Philippica 5.sic scribit,Lysiadē Atheniensē plerique nouimus:est enim Phædri philosophi nobilis filius, homo præterea festiuus, vt ei cū M.Curio cōsessore eodē & collusore facillime possit cōuenire, &c.

Lysias Syracusanus genere,Cephali filius,vnus è decem oratoribus,natus Athenis quò pater se transtulerat. Puer Thurion coloniam migrauit,rediit annos natus quadraginta septē, interque principes oratores habitus. De quo sic Cicero in Bruto, Tum fuit Lysias(inquit)ipse quidem in causis forensibus non versatus,sed egregiè subtilis scriptor atque elegans, quem iam propè audeas oratorem perfectum dicere:(nam planè quidem perfectum, & cui nihil admodum desit, Demosthenem facile dixeris) nihil acutè inueniri potuit in eis causis, quas scripsit, nihil (vt ita dicam) subdolè,nihil versutè,quod ille non viderit:nihil subtiliter dici, nihil pressè, nihil enucleatè,quo fieri possit aliquid limatius: nihil contrà grande, nihil incitatum, nihil ornatum, vel verborum grauitate,vel sententiarum,quo quicquam esset elatius.Hactenus Cicero.

Lysicrates, vir quidam qui capillos iam canos nigro tingebat, quo iuuenis etiamdum videretur.

Lysimachia, authore Strabone lib. decimo,vrbs AEtoliæ humi prostrata, & ipsa ad lacum adiacens,qui prius quidem Hydra, hoc vero tempore Lysimachia nominatur.Verū Iustino,vrbs est Hellesponti quæ terræ motu corruit. XXII anno postquam à Lysimacho regevno ex principibus Alexandri fuerat condita.Sed postmodum reædificata,causa fuit multarum cladum.

Lysimachus,Agathoclis filius,è successoribus Alexandri Magni Pergamo præfuit, vbi thesauri regis fuerunt. Hic illustri quidem Macedoniæ loco natus,virtute illustrior fuit: amore literarum ac philosophiæ ardebat adeò,vt Callisthenem tunc ab Alexandro afflictum,atque in vinculis habitum, de virtute disserentem sæpius audiuerit, poculúmque ei, ac remedium miseriæ optanti propinauerit.Quod egrè ferens Alexander Lysimachum leoni obiecisse dicitur:sed ille viribus fretus, rem posteris prodendam fecit, manum amiculo conuolutam in os leonis inferens, adrepta lingua feram exanimauit: quo facto vehementius postea Alexandro dilectus, &

apud eum in honore maximo fuit. Vide Trogum lib. 15. Lysimachus natione Acarnan, Alexandri pædagogus, secundas post Leonidē obtinuit, nullo vrbanitatis genere præditus, nisi quòd se Phœnicem: Alexandrum, Achillem: Philippum verò Peleum nuncupabat. Author Plutarchus in Alexandro Magno.

Lysipe, vna fuit ex natis Prœti, Argiuorum regis, quæ in vaccas commutatæ fuerunt.

Lysippus Sicyonius, nobilis sculptor, à quo tātum Alexander se fingi passus est. Cicero in Epist. Neque enim Alexander ille gratiæ causa ab Apelle potissimū pingi, & à Lysippo fingi volebat: sed quòd illorum artem cum ipsis, tum etiā sibi gloriæ fore putabat, &c. Lysippus item, poeta comicus, cuius fabulas enumerat Athenæus.

Lysistratus Sicyonius, Lysippi statuarii frater, prim⁹ statuas è gypso finxit, creuitque res in tantum, vt nulla signa, statuæve sine argilla fierent. Quo apparet antiquiorem hanc fuisse scientiam quàm fundendi æris. Verba sunt Plinii cap. 12. lib. 35.

Lysius. Vide LVSIVS.

Lyso, quidam Ciceronis hospes, vt scribit ipse Epist. lib. 16.

Lyus, fluuius est minoris Asiæ in pontum defluens.

M A

MACAE, populi sunt Arabiæ fœlicis, Carmanis oppositi eo in tractu Nardum & Myrrham ferente, vt est author Pomponius Mela lib. 3.

Macareus, filius AEoli, qui Canacē sororem suam vitiauit. Ouidius lib. 2. Tristium,

Nobilis est Canace fratris amore sui. Idem epistola Canaces,
Cur vnquam plus me frater, quàm frater, amasti?
Et tibi, non debet quod soror esse, fui?

Macaria, Herculis filia, se pro incolumitate publica deuouit inferis ad expiandū scelus, vt scribūt Cælius & Erasmus in prouerbiis.

Macarius, nomen est viri proprium apud Homerum, & interpretatur beatus.

μακάρων, id est beatorum insulæ, Asiatico litori oppositæ, & ad promontorium Tauri montis expositæ: quas quidā dici sic putauere, siue quòd fortunati admodum cæli solique sint, siue quòd eas suo suorúmque regno Macar occupauerat. Verba sunt Pomponii Melæ lib. 2.

Macedonia, Europæ prouincia, inter Thraciam & Thessaliam. Hæc, Diodoro teste, angustos initio terminos habuit, sed virtute suorū regū & gentis industria subactis finitimis ita ampliata est, vt centum quinquaginta populos tenuerit. Vide caput 10. Plinii lib. 4.

Machaon fuit,teste Homero libro Iliados 2,filius AEsculapii. Is ob præstantiam medicinæ artis cum aliis heroibus Græcorum ad Troiā è Creta conuocatus fuit. A quo Machaonius deducitur. Ouidius lib.1.de Ponto,

Vtque Machaoniis pæantius artibus heros
Lenito medicam vulnere sensit opem.

Machara,Cyprus antea dicta est.Perottus.

Macidos,vrbs Thraciæ,quam Ptolemæus Madi nominat degenere vocabulo. Vide apud Melam lib.2.in descriptione Thraciæ.

Macomaca villa,apud Ptolemæum lib.4.cap.3,vrbs Syrtis magnæ,vulgò Mesorota.

Macra,fluuius Liguriam separās ab Hetruria, vt scribit Plinius ca.5.li.3. Est & insulæ nomen in Carcinite sinu,vt scribit idem Plinius cap.13.lib.4.Ptolemæo Marcalla dicitur.

Macrobius,nomen viri proprium,Latinè longæuus dicitur. nā μακρὸς,longus: & βίος,vita dicitur.

Macrobii Meroeni supra AEgyptū populi: dicti quòd ipsorum vitæ spatium nostram ætatem dimidio exuperet. Meroenos autem intra Cancri tropicum,& æquatorem esse Ptolemæus author est.Vide Pomponium lib.3. in descriptione AEthiopiæ.

Macrocemnii,mōtes sunt propinqui Istro flumini. Plinius cap. 12.lib.4.

Macrocephali,populi sunt Pomponio ad Bosphorum.

Macyberna,teste Herodoto,vrbs est Sithoniæ.

Mæander, Cariæ prouinciæ fluui⁹ ita curuatus & flexuosus,vt in se reuerti credatur. Author Seruius, enarrans illud Virgilii lib. 5.AEneidos,

Victori chlamydem auratam,quàm plurima circum
Purpura,Mæandro duplici Melibœa cucurrit. Sed Ouidius Mæandrum Phrygiæ esse voluit lib.8.Metam.

Non secus ac liquidis Phrygius Mæander in vndis Ludit,&c.

Mædia,vide MEDIA.

Mænades,mulieres illæ dicebātur quæ Bacchi sacra capillis sparsis cursitantes hinc inde,administrabāt,sic παρὰ τὸ μαίνεσθαι,id est insanire,& furere dictæ:quare à nobis furiosæ seu insanæ dici possunt.De quibus Iuuenalis,

-crinémque rotant vlulante Priapo Mænades.

Mænalus,siue vt Priscianus Mænala,plurali numero, mōs Arcadiæ altissimus,vt author est Plini⁹ li.4.& amœnissimusad Argos, vt scribit Liuius lib.3.de bello Macedonico:& refertus pinis, vt ostendit Virgilius in Bucol.

Mænalus argutúmque nemus,pinósque loquentes

Semper habet,semper pastorum ille audit amores.

Mæonia,minoris Asiæ regio, alio nomine dicta Lydia:& Mæonidæ,Lydii,authore Seruio apud Virgilium lib.11.AEneid.
-ducis exemplum,euentúmque secuti
Mæonidæ incurrunt.

Mæotis(inquit Seruius)est Scythiæ palus frigore congelascens. Ouid.3.de Tristibus, Longior antiquis visa Mæotis hyems. Inde Mæoticus.Virgilius 3.Georg.
At non qua Scythiæ gentes,Mæoticáque vnda.

Madaurense Plinio lib.5.cap.4, oppidum in Africa liberum.

Magna Græcia dicta est,vt Plini⁹ lib.3.refert,ea pars Italiæ,quæ à Locris in tres sinus Ausonii maris recedit. Sic dicta, authore Iustino,quòd multæ magnǽq;ciuitates in ea fuerint à Græcis cōditæ.

Magnes,Atheniensis Comicus antiquæ comœdiæ,tempore Epicharmi,docuit fabulas nouem,vicit duabus. Magnes item alter Smyrnæus puer,præ cæteris mortalibus formosus:poetica insuper & musica ornatus,corona insignis aurea, ac habitu molliore indutus, ciuitates obibat multis dilectus, præsertim Gygi Lydorū regi. Parentes autem probrum huiusmodi perosi,capta occasione comam eius inciderunt: vestem,ornatúmque omnem lacerauerunt. Quare perturbatus Gyges,in Magnesios bellum mouit:quib⁹ tandem superatis reuertens, Sardib⁹ panægyricum celebrauit magnificentissimum.Suidas.

Magnesia,regio est Thessaliæ annexa,cuius populi dicūtur Magnesii vel Magnetes,docti ad certamen equestre. Est etiam Magnesia,vrbs Asiæ ad Mæandrum sita,vbi Scipio Asiaticus vicit Antiochum,& magna clade affecit, authore Stephano de vrbibus.

Magnus portus,apud Ptolemæum lib.2.cap.3, Britanniæ locus: vulgò Portismōth, vel portus Hamonis, vbi ciuitas Sonthāpton.

Magones plures fuisse constat.Primus omnium rem ac disciplinam Carthaginensium auxit. Is ante vllum Punicum bellum, vt Liuius & Trogus referunt, cum C X X nauibus bello Tarentino auxilio venit Romanis,ægrè ferens Italiā ab externis inuadi. Cui actæ à Senatu gratiæ,auxiliáque remissa.Duos moriēs filios reliquit,Asdrubalem & Annibalem,de quibus antè scripsimus. Mago, Annibalis frater, causa victoriæ apud Trebiam fuit, sed apud Locros à Manlio clausus,ab Annibale liberatur.Liuius quoque lib. 30.scribit Magonem Annibalis fratrem,in agro Insubrium vulneratum, cum in Africā per legatos reuocatus nauigaret, apud Corsicam obiisse. Mago alius, à Scipione capitur apud Carthaginem in Hispania:Romámque per Læliū mittitur. Mago denique Afer

qui de re rustica scripsit, de quo Columella libro primo sic ait, Veruntamen Carthaginensem Magonem vel rusticationis parentem veneremur. Nam huius octo & viginti memorabilia illa volumina ex Senatusconsulto in Latinũ sermonem conuersa sunt. Huius Magonis meminit & Seruius, quem Virgiliũ in Georgicis scribit imitatum. Mago item, oppidum est in minoribus Balearibus, vt scribit Pomponius in fine libri secundi.

Maia, Atlantis filia, Mercurii mater. Vnde Horatius in Odis, Mercuri facunde nepos Atlantis.

Malaca, Bætice Hispaniæ oppidum, vt scribit Pomponius lib.2.

Malchus historicus scripsit historiam à Constantino vsque ad Anastasium. Suidas.

Malêa, Laconiæ promontorium est, quod, teste Seruio, per quinquaginta miliaria in mare protenditur, vbi vnda adeò sæua est, vt persequi nauigantes appareat, dicente Statio lib.7. Thebaid. Et raucæ circum sonat ora Maleæ. Virgilius lib.5. AEneid. Ioniόque mari, Maleǽque sequacibus vndis. Lucanus lib.6, Et ratibus longè flexum donare Maleæ. Nomen à Maleo Argiuorum rege inditum est, & loci periculo locus adagio datus, Maleam legens, quæ sunt domi obliuiscere: quo in omni præsente periculo significando vtimur. Plutarchus certè in vita Arati Maleam ventis æstibúsque atrocem esse testis est.

Maleuentum, Campaniæ vrbs, quam nunc, teste Perotto, boni ominis causa Beneuentum dicimus. Vide Plinium lib.3.cap.10.

Maleus, vt refert Plinius lib.2. cap.73. in Indiæ gente Oretum mons est, iuxta quem vmbræ æstate in Austrum, hyeme in Septentrionem iaciuntur.

Maliaca, Hispaniæ Tarraconensis vrbs Ptolemæo lib.2. cap. 6: vulgo Malgrado.

Maliea, vrbs fuit iuxta Thessaliam, à qua mare Maliacum vocitatur. Vide Strabonem lib.13.

Malimnus, Siciliæ mõs Theocrito: dictus quòd malis, hoc est pomis, sit refertus.

Mallos, Ciliciæ oppidum clarissimum, vt scribit Pomponius lib. 2. Lucanus lib.3,

Mallos, & extremæ resonant naualibus AEgæ. Hodie vulgo Malo.

Mamercus, præsul fuit Viennensis, qui, teste Ptolemæo, Lucensi anno CCCCLIIII supplicationes primus instituit, quas rogationes nostri vocãt, ob frequentes terræ motus, quibus ea regio infestabatur. Volaterranus.

Mamers, lingua Oscorũ, dictus est Mars, detractione syllabæ, qui

& Mauors etiã appellatur. Mamertus, prænomen Oscũ, ab eo q̃ hi Martẽ, Mamertẽ appellãt. Apud Liuiũ, Mamertus AEmylius dictator, ex gẽte Mamerta. Quidã dicũt AEmyliã gentẽ à Mamerto appellatã, cui propter humanitatẽ ciuicã, cognomẽ fuerit AEmylio.

Mamertes Corinthius filios fratris sui Sisaponis libidine regnãdi interfecit, maximo suo malo. Nam vbi Sisapo factum resciuit, eum membratim discerpsit, vt est author Ouidius in Ibin,

Trunca geras sæuo mutilatis partibus ense,
Qualia Mamertis membra fuisse ferunt.

Mamertini, populi Campaniæ: hi cum Messanam colonos misissent, Mamertini potius, quàm Messanenses sunt vocati: & cum ager eorum vini feracissimus sit, Mamertinum vinum, non Messanense appellatum est. Martialis,

Amphora Nestorea tibi Mamertina senecta
Si detur, quoduis nomen habere potest.

Vide Pliniũ lib. 14. ca. 6. De Mamertinis & Mamertina ciuitate Cicero in Verrẽ act. 4. & 7.

Mamurra Formiis natus, eques Romanus, vt tradit Cornelius Nepos, primus Romæ in Cælio monte parietes domus suæ marmore incrustauit. Hic est qui epigrãmate Catulli proscissus est. Idẽ columnas ex Carystio marmore habuit. Plinius, Mamurra alter ante hunc apud Oscos natus tẽpore Numæ, ancilia, pluráque deorum signa ex ære cõposuit. Huius etiã meminit Ouidius in Fastis.

Mandane, Astyagis filia, quæ ei visa est per quietem tantũ vrinæ facere, vt omnem ipsius vrbẽ oppleret, atque vniuersam Asiam inundaret. Hæc Cambysi nupsit, ex quo genuit Cyrum. Herodotus.

Mandonius, dux Hispanus, partes Romanorum cum Scipione Africano in Hispania iuuit. Deinde Scipione ægrotante, seditionem agitauere, in Romanósque insurgere cœperunt. Quos quum Scipio morbo liberatus comprehendisset, veteris officii memor tantum castigatos verbis dimisit. Liuius libro 29.

Mandro, fuit nauicularius quispiã, qui aspirante fortuna, tandem factus est imperator: vnde etiã factus adagio locus in eos qui præter meritum ad opes euecti pristinæ conditionis non meminerint.

Manes, animas è corporibus egressas intelligimus, aut deos inferos, authore Seruio. Sunt autem (inquit) noxiæ, & dicuntur per antiphrasim. Nam manum, vt suprà diximus, bonum est. Alii Manes à manando dictos intelligunt. Nam Manibus plena sunt loca inter Lunarem & terrenum circulum vnde defluunt. Hæc ille. Augilæ, populi Africæ iuxta Syrtes, Manes tantum deos putãt, per eos deierant: eos, vt oracula consulunt, precatíque quæ volũt, vbi tumulis incubuere, pro responsis ferunt somnia. Verba sunt Põponii Melæ.

lib.1. Manes etiam ad genios duos, quos cum vita fortimur, authore Seruio, retulit Virgilius lib.6. AEneid. dum scriberet carmen illud, Quisque suos patimur Manes.

Manethus Mendes, AEgypti sacerdos. Alter eiusdem nominis è Diospoli AEgypti scripsit physiologiam, & apotelesmata versibus in astrologia, id est effectus astrorum. Author Suidas.

Manilius Octauius, à quo Manilii fluxere: is Tusculanorũ dux, & Tarquinii gener, ad quem ille post fugam se recepit, eiúsque auxilio Romanis intulit bella. Liuius lib.primo.

Manius Marcius ædilis plebis primùm frumento populo in modios assibus donauit, vt scribit Plinius cap.3.lib.18.

Manliana, vrbs Lusitaniæ Ptolemæo. Vulgo mõs maior. Manliana item, Tuscorum vrbs, Ptolemæo authore: hodie Mallianum.

Manlius Mathematicus apici auratã pilam addidit, cuius vertice vmbra colligeretur in semetipsam, alia atq; alia incremẽta iaculãtẽ apice, ratione, vt ferũt, à capite hominis intellecta. Plin.li.36.ca.10.

Manlius alter Antiochenus, cõditione seruus, arte astrologus ac poeta, vnà cum Plotio poeta mimorum & Taberio grãmatico conseruis, ex Asia vnà naui aduectus describitur Plinio lib.35.cap.17.

Manlius itẽ Capitolinus, ob defensum Capitoliũ dictus. De quo Plinius, de fortitudine cap.28.lib.7. sic scribit, Haud minora (inquit) forent Manlii Capitolini decora, ni perdidisset illa exitu vitæ. Ante XVII annũ bina ceperat spolia. Primus omniũ eques coronã muralẽ acceperat, sex ciuicas, XXXVII dona, XXXIII cicatrices aduerso corpore exceperat: P. Seruiliũ magistrũ equitũ seruauerat, ipse vulneratus humerũ ac femur. Super omnia, Capitoliũ, summámq; rẽ in eo solus à Gallis seruauerat, si nõ regno suo seruasset. Hactenus Plinius. Fuit enim regni affectati reus, ac de saxo Tarpeio præcipitat⁹. Hui⁹ historiã scribit Serui⁹ enarrãs illud Virgilii, In summo custos Tarpeiæ Manlius arcis. Fuit item T. Manlius Torquatus, cognomento imperiosus, ꝙ sæuissimi exempli author insignẽ crudelitatis titulũ occupaturus fuerit. Atque inde, Imperia Manliana dicta apud Liuiũ Decad. primæ lib.4. De hoc vide Gelliũ cap.13.lib.9. Manlius Torquatus is fuit, qui ob ingenii & linguæ tarditatẽ à patre in prædia rustica relegatus fuit: patrémq; iudicio exemit à Marco Põponio accusatũ, vt scribit Liuius lib.4. Decadis primæ. Manlius Volso, cuius meminit Liuius lib.8. de bello Macedonico, Cn. Mãlius Volso (inquit) cõsul in Asia acceptis à L. Scipione copiis, & exercitu lustrato, cõtra Gallogræcos bellũ gessit, eisq; superatis reuertẽs, cũ in æde Bellonæ triumphũ peteret, decem legati, qui cũ eo missi fuerant, restitere: inter quos Luc. Furius Purpurio, & L.

AEmilius Paulus dicebant se legatos, Cn.Manlio datos, pacis fœderísque cũ Antiocho ineundi gratia.Manlium autem operam dedisse,vt eam pacẽ turbaret,multósque nobiles viros in exercitu sua temeritate morti obiecisse:vicit tamen,amicis atque cognatis suffragantibus,res fœliciter gestas, & exercitum integrũ reportatum dicẽtibus. Triumphus igitur ei decretus.Hactenus Liuius. Manlius Proconsul ex Hispania reuertens,cum in æde Bellonæ triumphum ob res bene gestas peteret,exemplum obstabat,ꝙ ita comparatum more maiorũ erat,nequis qui exercitũ non deportasset triumpharet,nisi perdomitam pacatámque prouinciam tradidisset successori: medius autẽ honos Manlio habitus est, vt ouans vrbem intraret. Idem libro quinquagesimo. T.Manlius,iuris Pontificii peritus, iudex inter Macedonas accusatores & filiũ constitutus,audita causa ita pronuntiauit, Cum probatũ sit Silanũ filium meum pecuniam accepisse,ipsum republica & prole mea indignũ iudico, protinúsq; è conspectu meo abire iubeo.Silanus itaque dolore animi percitus, nocte proxima se suspẽdit:neque pater exequiis interfuit: sed dum funus duceretur, consulere se volentibus,sui copiã fecit,vacuásque præbuit aures.Author Valerius de seueritate. Manlius item Torquatus alius, Ciceronis tẽporibus,vir doctus ex Rhodia disciplina Molonis,nec natura ad dicendũ satis solutus neq; expeditus. Cui si vita suppeditauisset, sublato ambitu cõsul fact⁹ esset.Plus facultatis habuit ad dicendũ q̃ voluntatis.Itaque studio huic nõ suffecit.Hæc ex Cicerone. Fuit præter hos L.Manlius Torquatus,cui etsi non deerat(inquit Cicero) oratio,quã Græci Politicen dicunt:erant in eo plurimæ literæ,nec eæ vulgares,sed interiores quædam & reconditæ:summa verborũ & grauitas,& elegantia: atque hæc omnia vitæ decorabat grauitas: me quidem admodũ delectabat.Pædianus autẽ de eodem sic,L.Torquatus qui P.Syllam patris cõpetitorem in consulatu accusauit,qua & ipse Sylla & collega damnati sunt. Rursus eum accusauit,ꝙ in coniuratione Catilinæ fuisset: defenditur à Cicerone,cuius extat oratio. L.Manlius pictor egregius,apud quẽ quum Seruilius fortè cœnaret, filiósque suos deformes animaduerteret:Non similiter(inquit)Manli fingis & pingis. Ad quem Manlius,In tenebris(inquit)fingo,in luce pingo.Author Macrobius.

Mannus, filius fuit Teutonis dei,à quo Alemani dici gloriantur.

Mantinea, Arcadiæ vrbs, quam Epaminondas superatis secunda pugna Lacedæmoniis illustrem reddidit, in qua & ipse diem obiit. Hæc Strabo lib.8.

Mantius,Melampi filius,ex Iphianassa filia Prœti. Ex qua, teste Homero lib.Odys.5,Polyphideum & Clitum suscepit.

Manto, fuit Tiresiæ vatis Thebani filia, quæ post Thebanorum clades seruitutem primã sub Creonte: postea sub Theseo, qui post patris interitum ad diuersa loca diffugiens, primùm in Asiã venit, vbi Clarii Apollinis templum condidit. Sed quum interim ex Tyberino Tusco rege Ocnus ei nat⁹ esset, qui & Bianor deinde cognominatus fuit: & ad oppidum ipsum Tusci quoque & Veneti cõfluerent, circundedit Ocnus oppidum muris, & in aliã formam redegit. Quin à matre Mantuã appellauit, dicente Virgilio lib. AEneid. 10,

Ille etiam patriis agmen ciet Ocnus ab oris,
Fatidicæ Mantus, & Tusci filius amnis,
Qui muros, matrísque dedit tibi Mantua nomen.

Mantua, ciuitas in Venetia, condita ab Ocno, Mantus filio. Hæc versib⁹ Virgilii præallegatis notissima est. Est & Mãtua Ptolemæo, Hispaniæ oppidum, olim Viseria, vulgò Madri.

Mapalia, eadem & Magalia dicuntur. Virgilius,
Miratur molem AEneas Magalia quondam. Vbi Seruius, Magar lingua Punica villam significat: cæterum Magaria, siue Magalia, Pœni casas agrestes, & furnorum persimiles sua lingua nominant, quæ eædem & Mapalia dicuntur eidem Georg. 3,

Quid tibi pastores Libyæ, quid pascua versu
Prosequar, & raris habitata mapalia tectis?

Mapeta, Sarmatiæ in Asia vrbs, authore Ptolemæo. vulgò Copa.

Maras, apud Beroen Syriæ ciuitatẽ ditissimus, humanus & officiosus in omnes tum ciues, tum hospites, vt scribit Erasmus.

Marathon, Atticæ campus est in quo Miltiades copias funditus deleuit, quæ Datim ducem Persarum sequutæ fuerant, non expectatis Lacedæmoniorum auxiliis, quæ tardius ob plenilunium venere. Hic etiã vt poeticis fabulis traditur, Theseus Marathonium taurum mactauit. Author Strabo libro 9. & Plutarchus in Theseo. Ouid. lib. 8. Metam.

-te maxime Theseu
Mirata est Marathon Cretei sanguine Tauri. De hoc legito Herodotum lib. 6, & Pausaniam in Atticis.

Marathusa, insula & oppidum Plinio.

Marcella, nomen mulieris Romanæ, quæ quum à matre rogata esset, gauderétne se nupsisse, Ita valde, respondit, vt amplius nolim.

Marcellus, nomen viri clarissimi Romani proprium, cuius gesta & à Plutarcho & ab aliis scripta sunt. Hic Gallorum ducem singulari certamine fudit, spolia legit, Annibalem primus vinci docuit, Syracusas per tres annos expugnauit, quinquies consul. Insidiis Annibalis deceptus, magnificè sepultus fuit.

Marclylas, latro fuit insignis in sylua Dodonea, vt scribit Tortelius.

Marcomani, Germaniæ populi, de quibus Statius,
Quæ modò Marcomanos post horrida bella, vagósque
Sauromatas. Vide Strabonem li.7, qui eos vocat Marcómanos.

Mardi, Asiæ populi. Plinius cap.5. lib.6, ad Heracleum Colchidis, Achæos, Mardos, & Cercetas nominat: quanquam & apud Persas Mardi sunt, alii tamen ab his.

Mardonius, Persa, quem Xerxes apud Salaminam victus cum exercitu reliquit vt reliquias belli foueret: ab Arimnesto Spartiata saxo obrutus est. Author Plutarchus in Aristide.

Mareotis (inquit Seruius) est pars AEgypti. Virgilius li.2. Georg.
Sunt Thasiæ vites, sunt & Mareotides albæ:
Pinguibus hæ terris habiles, leuioribus illæ.

Mare rubrum (inquit Pomponius) dicitur, siue quia eius coloris est: siue quia ibi Erythras regnauit, ἐρύθραν θάλασσαν appellant, procellosum, asperum, mare profundum, & magnorum animalium magis, quàm cætera capax. Vide Pōponii enarratorem Vadianū.

Margus, Asiæ fluuius, quem Ptolemæus libro 6. cap.10, duobus montibus Seraphiis descendere tradit, & per Massagetes qui Margianis vicini sunt, ac Dorbicas in Oxum amnem deferri.

Mariaba Straboni lib.16, metropolis Sabæorum est.

Mariandini, Bithyniæ populi iuxta Pontum olim sub tyrannide Crœsi regis, vt scribit Herodotus libro primo. Vide Strabonem libro octauo.

Mariandynum, regio in Asia sita est, Bithyniæ contermina: vbi Hercules Cerberum canem tricipitem deuicit, quem ferunt virus euomuisse, eámque regionem infecisse.

Marianus, Ptolemæo Hispaniæ Bæticæ mons, vulgò Sierra Morena: saltus Castulonensis.

Maridunum, Britanniæ insulæ vrbs, vt scribit Ptolemæus lib.2. cap.3. vulgò Caermarden.

Marii multi fuerunt, quorum vnus septies fuit consul. Hæc Seruius enarrans illud Virgilii lib. Georg.2,
- Volscósque verutos
Extulit: hæc Decios, Marios, magnósque Camillos. De Mariis vide apud Volaterranum.

Maronis, Germaniæ ciuitas Ptolemæo li.2. ca.11. Vulgò Luneburg. Marionis, altera Germaniæ ciuitas Ptolemæo authore li.2. ca.11. Vulgò Sberir.

Maris, Agathyrsorum fluuius in Istrum defluens, teste Herodoto lib.4.

Marmarica, regio AEgypto & Libyæ vicina, authore Ptolemæo lib.4.cap.5.hodie Barcha.

Marmaridæ, populi sunt Africæ, AEgypto contermini, qui & vsq; ad maiores Syrtes protenduntur. Author Plinius lib.5.

Marpesus, mons est in Paro insula, à quo Marpesiam cautem, id est lapidem Parium, dixit Virgilius AEneid.6,

Nec magis incœpto vultum sermone mouetur,
Quàm si dura silex, aut stet Marpesia cautes. Hæc Seruius.

Marpissa fuit, teste Herodoto libro 9. Iliad. filia Eueni, & speciosa inter paucas nympha, vxórque Idæ, omnium illius seculi virorum formosissimi, mater Cleopatræ pulcherrimæ fœminæ & amátissimæ vxoris Meleagri. Et vt subdit idem Homerus, cum eadem raperetur ab Apolline, eius vir Idas arcu, sagittísque sumptis, Apollinem inuadere non dubitauit. Quã, postquam rapta est, parentes Halcyonem cognominauerunt: quòd mater eam domi deflebat sortita luctuosum ac flebile Halcyonis fatum.

Mars, deus belli dictus, quòd maribus in bello præsit, siue quòd à Sabinis acceptus est, apud quos Mamers vocatur: à poetis Mauors, quòd magna vertat, per epenthesim dicitur. Interdũ pro bello ponitur. Liui⁹, Aliquãdiu ibi Marte incerto, varia victoria pugnatũ fuit.

Marsi, populi in Italia nõ procul ab Vrbe inter Pelignos & Samnites. De quibus Plinius lib.7.cap.11, Simile & in Italia Marsorum gente, quos à Circes filio ortos ferũt, & ideo inesse iis vim naturalem eam. Et tamen omnibus hominibus contra serpentes inest venenum. Ferúntque ictas saliua, vt feruentis aquæ cõtactum fugere. Vide eundem in procemio libri 25. Marsi item, sunt eodem nomine populi Scythiæ in Asia, vt scribit Herodotus lib.4.

Marsyas, Peleus historicus, nutritus vnà cum Alexãdro Magno: scripsit res Macedonicas libris decem à primo rege vsque ad Alexandrum. De rebus Atticis libros duodecim. Marsyas Philippeus item historicus. Marsyas Tabenus, qui scripsit de tranquillitate libros duodecim: fabulosa libris septem, & quædam alia de patria sua. Author Suidas. Marsyas, Phryx tibicen, qui tibiis à Minerua primùm inuentis, deinde abiectis, cum Apolline certauit, à quo victus & excoriatus est, vt est testis Ouidius lib.6. Fastorum,

Prouocat & Phœbum, Phœbo superante pependit:
Cæsa recesserunt à cute mẽbra sua. Est & Marsyas, Phrygiæ fluuius, ab huius nomine dictus, quòd nympharum lachrymis Marsyam deflentium creuisset, vt est apud Ouidium.

Martia, Catonis filia minor fuit. Quæ quum quæreretur ab ea, quur post amissum maritum denuo non nuberet. Respõdit, se non inuenire virum qui se magis vellet, quàm sua. Quo dicto, ostendit diuitias magis in vxoribus eligi solere, quàm pudicitiam.

Martion Smyrnæus, teste Plinio libro 28. ca. 3, qui de simplicibus affectibus scripsit, rumpi scolopendras marinas sputo tradit: item rubetas aliásque ranas.

Marullus, tribunus plebis cum Flauio, coronas Cæsaris dictatoris statuis detraxit, eósque qui primi Cæsarem regẽ salutauerát, in vincula duci iussit. Quáobrẽ Cæsar Marullũ magistratu priuauit. Author Plutarchus in Cæsare. Marullus itẽ poeta mimographus sub Antonino principe apud Spartianũ. Põponius itẽ Marullus grammaticus Romæ profitebatur, sermonis Latini exactor molestissim⁹ cum ex oratione Tyberium reprehendisset, affirmãte Acteio Capitone & esse illud Latinum, & si non esset, futurum certe, Iá inde mẽtitur (inquit) Capito: tu enim Cæsar ciuitatẽ dare potes hominibus, verbis non potes. Pugilem olim fuisse Asinius Gallus hoc in eum epigrammate ostendit,

Qui caput ad læuam didicit, glossemata nobis
Præcipit: os nullum, vel potius pugilis. Tranquillus.

Masalia, Cretæ fluuius, Ptolemæo lib. 3. cap. 17. hodie Mesauo.

Masinissa, Numidarum rex in Africa primùm populi Romani hostis capitalis fuit, deinde amicissimus effectus, vsque ad finem vitæ perseuerauit. De quo multa Liuius de 2. bello Punico lib. 7.

Massa, Libyæ fluuius Ptolemæo, hodie Massatat.

Massagetæ, nobiles populi Scythiæ Asiaticæ orientem versus, trás Araxem, quorum studium est in sagittandi peritiá incumbere: infestissimi sunt hospitibus, neque cũ vicinis populis vllá seruare diutius amicitiá possunt, neque fidem: frumenti ac vini vsum prorsus ignorant, bibunt enim lac cum equorũ admixto sanguine, vt Dionysius scribit. Meminit item multis Herodotus lib. 3. & Strabo lib. 11. Massagetes, numero singulari dicitur. Lucanus lib. 3,

Longáque Sarmatici soluens ieiunia belli
Massagetes quo fugit equo. Claudianus,
Est qui cornipedes in pocula vulnerat audax
Massagetes.

Massagetæ Solem pro deo venerantur, quib⁹ optimũ genus mortis videtur, si senio confecti in frusta scindãtur, & cum ouillis carnibus edantur promiscuè: eos qui morbo moriuntur vt impios abiiciũt, & dignos qui à feris deuorẽtur, vt ait Strabo lib. 2.

Massica, regio Bæthicæ Tartesiis adposita. Hanc Vitruuius Maxiam appellat.

Massicus (inquit Seruius) Cãpaniæ mons est, vitibus plenus. Plinius cap.6. de vinis generosis lib.14, Certant Massica æquè ex monte Gaurano, Puteolos, Baiásq; prospectãtia. De quibus & Virgilius,
-atqui non Massica Bacchi
Munera, non illis epulæ nocuere repostæ. Horatius item in Odis,
Est qui nec veteris pocula Massici,
Nec partem solido demere de die Spernit. &c.

Massilia, Galliæ Narbonensis vrbs aliquando fama rerum gestarum, abundantia opum viriúmque & doctrinarum gloria florentissima, quæ à Cicerone lib. 2. de officiis multis verbis laudatur: tum etiam in oratione pro Flacco ait, Neque verò te Massilia prætereo, quæ L.Flaccum militem quæstorem cognouisti: cuius ego ciuitatis disciplinam atque grauitatem non solum Græciæ, sed haud scio an cunctis gentibus anteponendã iure dicam. Quæ tam procul à Græcorum omnium regionibus, disciplinis, linguísque diuisa, cũ in vltimis terris cincta Gallorum gẽtibus, Barbariæ fluctibus alluatur: sic optimatum consilio gubernatur, vt omnes eius instituta laudare facilius possint, quàm æmulari. De huius origine Iustinus, 43 libro multa. A Phocensibus Asiaticis conditam esse constat, qui rectius à Phocea illa sua Phocaenses dicerentur teste Hermolao. Ammianus lib.15, A Phocide (inquit) Asiaticus populus, Harpali inclementiam vitans Cyri regis præfecti, Italiã nauigio petit: cuius pars in Lucania Veliam, alia condidit in Viennensi Massiliam. Quæ verba ex libro decimo noctium Atticarum Gellii mutuatus est. De vrbis huius veteribus institutis multa libro secũdo Valerius. Inclytam fuisse clarissimo gymnasio in Agricolæ vita Tacitus testatur, cum socerum scribit Agricolam statim paruulum sedem ac magistram studiorum Massiliam habuisse, locum Græca comitate & prouinciali parsimonia mixtum ac bene compositum. Lege Strabonem lib.4. Massilia vulgò hodie Marseille.

Massyla (inquit Seruius) mediterranea est pars Mauritaniæ, vnde haud lõge sunt horti Hesperidũ & mõs Atlas. Virgilius 4. AEneid.
Hinc mihi Massylæ gentis monstrata sacerdos,
Hesperidum templi custos, epulásque draconi,
Quæ dabat, & sacros seruabat in arbore ramos. Et Massyli, eius regionis populi. De quibus idem 4. AEneid.
Massylique ruunt equites, & odora canum vis.

Matrona, fluuius Galliæ, ortus in finib⁹ Lingonũ, & Celtas à Belgis separans. cuius multa describũtur apud Cæsarẽ. Vulgo Marnè.

Matuta ab Homero pro Aurora ponitur: vnde, Prisciano teste, matutinus deriuatur. Seruius, Ino in matrem Matutam versa est,

quæ Græcè dicitur Leucothea. Vide INO.

Mauors (inquit Seruius) per epenthesim Mars dicitur: vt nauita, pro nauta: Induperator, pro imperator. Ouidius,

Sic eorũ, sic posita dixit mihi casside Mauors. Dictus est porro Mauors, quòd magna verteret. Author Cicero de natura deorum.

Mauri, populi sunt qui Mauritaniã Africæ regionem occidentalẽ versus Gaditanũ fretum incolunt. Eos fuisse Indos, & Hercule duce cum innumera aliarum gentium multitudine, in hæc loca peruenisse multi crediderunt, vt Strabo libro vltimo scribit. Sallustius certè in Iugurthino, Mauros & Numidas, reliquósque qui maritimam Africam cultiorem reddiderunt, Medos, Armenios, Persas, & Phœnices fuisse indicat. Hi Romanis, bellis Punicis maximè autem rebus contra Iurgurtham gestis innotuerunt. Vide Strabonem libro vltimo.

Mauritania, Maurorum regio in Africa, éstque in vltimo Africæ Hispaniam versus, à qua separatur Gaditano freto.

Mausolus fuit, vt Marcus Cicero ait, rex terræ Cariæ: vt quidam Græcarum historiarum scriptores dicunt, prouinciæ Græcæ præfectus, quem σατράπην Græci vocant. Is Mausolus vbi fato perfunctus est, & inter lamenta & manus vxoris funere magnifico sepultus est, Artemisia luctu atque desyderio mariti flagrans, ossa, cinerémque eius mista odoribus, contusáque in pulueris faciem, aquæ indidit, ebibítque: multáque alia violenti amoris indicia fecisse dicitur. Molita quoque est ingenti impetu operis, conseruandæ mariti memoriæ causa sepulchrum illud memoratissimum, dignatúmque memorari inter septem omnium terrarum spectacula. Hactenus Gellius cap. 18. lib. 10. De Mausoleo lege Plinium cap. 5. lib. penultimi, & Herodotum lib. 7.

Mazaca, ciuitas est Cappadociæ, teste Plinio libro 2. cap. 108, sub monte Argeo, quæ nunc Cæsarea. Inde Mazaræ populi, eidem lib. 6. cap. 7.

Mazeras, fluuius, in ora maris Hyrcani. Vide Plinium libro 6. capite 16.

Mazeres, Cyri regis miles apud Herodotum.

M E

Mearus, fluuius est Hispaniæ in ora Asturum, vt est apud Pomponium Melam lib. 3.

Mecistus, fuit ex sociis Aiacis Telamonii, vt scribit Homerus lib. Iliados 13.

Mecœnas, equestris ordinis Hetruriæ regibus ortus, Horatio & Propertio authoribus. Propertius lib. 3. ad Mecœnatem,

Mecœnas eques Hetrusco de sanguine regum

Intra fortunam qui cupis esse tuã. Horatius lib.1. Carminum, Mecœnas atauis edite regibus. Aretini suum faciunt. Amicum insuper Cæsaris Augusti vel præcipuum,& poetarum ea tempestate amantissimum omnes fatentur. Delicatum præterea, non solũ cultu ac moribus,sed etiam stylo cõmemorant: quare eum Augustus Malacinum vocabat,exagitabátque frequenter vt Cacozelum, teste Tranquillo.

Mecyberna,Macedoniæ oppidum : & Mecybernæus sinus eidem oppido adiacens. Vide Plinium lib.4.cap.10.

Meda,vrbs est Thessaliæ. Perottus.

Medea,filia AEtæ regis Colchorũ,ex Hypsea cõiuge, quæ Iasonẽ secuta.à quo postea ob Creusã, Creontis filiã, abdicata fuit: ex quo furiis agitata,filios,quos ex Iasone susceperat,interfecit:atq; Athenas aduolãs,AEgeo regi annoso nupsit,ex quo filiũ nomine Medũ suscepit,à quo postea Media regio dicta est. Vide Iustinum lib.42.

Medesicastes,filia Priami notha,vt scribit Homerus.

Media,regio in Asia,cõtermina Assyriæ & Persiæ,atq; mari Hyrcano:sic cognominata à Medo Medeæ filio,vt Iustinus author est.

Mediolanium, Ptolemæo, Britanniæ vrbs: vulgò Manchester. Item Mediolanium eidem,Germaniæ vrbs. Hodie Monesterium, vulgo Munster. Mediolanium aliud,Xantonum vrbs authore eodem. Vulgo Xaintes.

Mediolanum,Insubrium metropolis in Italia non procul ab Alpibus. Vide Plinium lib.3.cap.18.

Mediolum,Ptolemæo lib.2.cap.6, Hispaniæ vrbs. Vulgo Medina cæli.

Medioxumi,dii minores antiquis dicti sunt. Plautus in Cistellaria,Ita me dii deæque superi atque inferi & Medioxumi. Idem deos vocat Patellarios, qui patellis & basis sacrificio accommodatis pacabantur.

Medod,vnus ex Centauris. Perottus.

Medon, nothus fuit Oilei, ex matre Rhena, teste Homero libro 2. Iliados.

Medua,portus,Plinio lib.3.cap.5. Inde Meduacus,Venetorũ fluuius,qui nunc vulgò Brenta dicitur. Nã ostia Padi Plinius lib.3.cap. 16,describens,ait,Proximum portũ facit Brondulũ,sicut Edronem Meduaci duo & Fossa Clodia. Strabo libro quinto scribit Meduacum vocari & portum & fluuium. Ibidem, Supra Venetos Carnorum & Meduacorum fuisse gentem tradit. Vide Plinium in initio primi voluminis.

Medullina, virgo Romana ab ebrio patre in tenebris violata: vt ſtupri authorem agnoſceret, digito eius annulū detraxit. Vbi ex pignore patrem eſſe comperit, eundem ad aram gladio confodit. Author Plutarchus in Parallelis.

Meduſa, filia fuit Phorci, de qua vide in dictione PEGASVS.

Mega, id eſt magnum, promontorium Mauritaniæ Cæſarienſis, inquit Ptolemæus. Vulgo One, ſiue Oue.

Megabyzi, ſiue Megalobyzi, dicebātur Epheſiæ Dianæ ſacerdotes, quos Eunuchos eſſe oportebat: vnde & pro imbellibus ac mollibus poni conſueuerunt, quales ſunt ſpadones. Quintil. libro primo, Artifices clariſſimi quum corpora quàm ſpecioſiſſime pingendo fingendóve effingere cuperent, nunquam tamen in hunc ceciderunt errorem, vt Bagoum, aut Megabyzum aliquem in exemplum operis adſumerent ſibi, ſed Doryphorum illum aptum vel militiæ vel palæſtræ, aliorum quoque iuuenum bellicorum, & athletarum corpora decorare exiſtimarunt.

Megæra, vna eſt è tribus Furiis. De qua Virgilius 12. AEneid.
Dicuntur geminæ peſtes, cognomine diræ,
Quas & Tartaream nox intempeſta Megæram
Vno eodémque tulit partu. Et alibi, Furiali à ſede Megæra.

Megaleſia, Ludi fuerunt in honorē Magnæ matris deûm celebrati. De quibus Liuius de bello Macedonico, Iunius Brutus ædem Magnæ matris deûm in palatio dedicauit: & ludos ob eam dedicationem factos, Megaleſia appellauit.

Megara, vrbs iuxta Iſthmum Corinthiacum, media inter Peloponneſum, Atticam, & Bœotiam. dicta à Megareo Apollinis filio. Huius meminit Cicero lib. 4. epiſtolarum. Patria fuit Euclidis geometræ. Fuit & Megara, Creontis regis filia, & vxor Herculis, quam furens interemit, vt ſcribit Seneca in Hercule furente.

Megaris, Megaridis, regio eſt in Achaia, à qua bulbi Megarici, quos celebrat Cato. Columella lib. 10,
Iā Megaris veniāt genitalia ſemina bulbi. Vide Pliniū lib. 4. ca. 7.

Meges, vnus fuit ex Græcorum principibus qui ad Troiam profecti ſunt.

Melamphilum, Plinio lib. 5. cap. 31, inſulæ nomen in Aſia.

Melampus Melampodis, fuit, teſte Homero lib. Odyſſeæ 15, filius Amythaonis ex patria Argo. Statius lib. 3. Thebaidos,
-Amythaone cretus
Iam ſenior, ſed mente virens Phœbóque Melampus
Aſſociat. Dicitur etiam fuiſſe medicus illuſtris, & filias Prœti ſanauiſſe helleboro: Quod tetigiſſe videtur Virgilius 3. Georg. cum

de medicinis pro fæua peste loqueretur,
Quæsitæque nocent artes:cessere magistri
Phillyrides Chiron,Amythaoniúsque Melampus.

Melanæa,Plinio lib.4.cap.6, oppidum in Arcadia.

Melanes,vel Nigri,montes iuxta deserta Arabiæ,Ptolemæo lib. 5.cap.17.Hodie Mons Sinai,mõs S.Catharinæ: Sur desertum Hebræis,à Mauris Tur dicitur.

Melanthia,teste Aristarcho in 10.Odysseæ Homeri,filia fuit Deucalionis ex Pyrrha.

Melanthius, nomen est viri Troiani proprium,quem Eurypilus in bello Troiano interemit, vt scribit Homerus. Alius eiusdem nominis pastor est apud Theocritum. Alius item pictor fuit cura pingendi præcipuus.Author Quintilianus.

Melas,multorum fluuiorũ nomen est. Nam vnum esse in Mygdonia ostendere videtur Ouidius lib.Metamor.2, Mygdoniúsque Melas. Alium esse eiusdẽ nominis in minori Asia,& Smyrnam circumeuntem Solinus scribit. Alium nauigabilem esse in Cilicia, & ipsius terminũ, id est qui Ciliciam à Pamphylia diuidat, scripsit Plinius lib.5. Alium itẽ in Thracia, vt in eodem libro idem Plinius cõfirmat. Aliũ præterea esse dixit ipse Plinius lib.2.in Bœotia,qui à Parnasso profluens,Mineruæ sacer dicitur à poetis,quia ripæ eius oliuis sint refertæ.De quo meminit Herodotus lib.7. Aliũ esse in Sicilia ostendere videtur Ouidius Fastorum lib.4. quum de fluminibus, & de locis Siciliæ, quæ peragrauerat, Ceres loquens, ait,Sacratúmque Melan pascua læta boum.

Meleager,vel Meleagrus, fuit Oenei regis Calydoniæ filius. De quo vide apud Ouidium lib.8.Metamor.

Meleagræa,Calydon vrbs dicitur, quoniam Meleager in ea imperauit.Perottus.

Meles,Meletis,Plinio lib.5.cap.29,fluuius prope Smyrnam.

Melesigenes, nomen proprium fuit Homeri poetæ, qui propter cæcitatem Homerus est appellatus,vt suprà scripsimus.

Meletius,præsul fuit in AEgypto Arrianæ sectæ,vt scriptum est in historia tripartita.

Melibœa, vrbs est litoralis Magnesiæ, propinqua Thessaliæ, vt testis est Herodotus libro 6. Fuit etiam patria Philoctetæ,dicente Lucano lib. 6,

-pretióque nefandæ
Lampados,Herculeis fortis Melibœa pharetris.

Melibœus,pastoris nomen apud Theocritum & Virgilium.

Melicerta, filius Athamantis & Inus, cum quo mater quum vi-

deret Athamanta, regem Thebarum maritum furentem, in mare se præcipitem dedit:& postquam in numina sunt commutati, Græcè Leucothea & Palæmon sunt appellati. Latinè Portunus,& mater Matuta. Author Seruius apud Virgilium 1.Georg.

Votáque seruati soluent in littore nautæ
Glauco,& Panopeæ,& Inoo Melicertæ.

Meligene Ptolemæo lib.2.cap.17, Melitusa Polybio dicitur, quam nos Meliten insulam vocamus.

Melizandrus Milesius, Lapitharum & Cẽtaurorum bellum scripsit, vt est author AElianus de varia historia.

Melissus, fuit rex Cretensis antiquissimus, qui, vt scribit Lactantius institutionum libro primo, primus diis sacrificauit, habuitque filias Amaltheam & Melissam, quæ Iouem puerum caprino lacte ac melle aluerunt, vnde Melissa apes dicta fuit: & Amalthea capræ eiusdem nomen accepit. Fuit item Melissus grammaticus muneri datus Mecœnati, ac manumissus ab eo. Author Tranquillus. Melissus præterea Samius, Parmenidis auditor, philosophus ciuibus suis charus, quibus præcepta plura dedit, Rempublicam administrauit, classíque in bello præfuit, vt refert Apollodôrus.

Melita, insula est maris Siculi, haud longè à Sicilia, periculoso tamen disiuncta mari: de qua Plinius libro 3. Ab hac Melita canes nobiles aliquando dicti Straboni libro sexto, à quibus adagium natum, Melitæus catulus, de re hominéve ad solam voluptatem comparato. In qua insula fuit oppidum eiusdem nominis, à quo non longè in promontorio fanum fuit Iunonis celeberrimum.

De Melitensibus scribit Cicero in Verrẽ, act.6, Dicunt legati Melitenses publicè spoliatum templum esse Iunonis: nihil illum in religiosissimo fano reliquisse: quem in locum classes hostium sæpe accesserint, vbi piratæ ferè quotannis hyemare solebant: quod neque prædo violarit antea, neque hostis attigerit, id ab vno isto sic spoliatum esse, vt nihil omnino sit relictum. Hactenus Cicero. Idem actione 7, Melitensem rosam commendat, Puluinus, inquit, erat Melitensi rosa fartus.

Melo, fluuii nomen, qui & Nilus & Gehon appellatus est.

Melobosis, nympha Oceani & Tethyos filia, teste Hesiodo in Theogonia.

Melocabus, Germaniæ vrbs apud Ptolemæum lib.2.cap.11. vulgo Choburgk.

Meloessa, Insula ex Syrenis vna, non tam à pomorum, quàm à pecorum abundantia dicta. Vide Plinium lib.3.cap.10.

Melos,insula inter Cycladas Pomponio numeratur lib.2.

Melpomene,vna Musarum,vt videre licet infra in dictione MVSAE.

Mænius COS.Rom.anno ab vrbe condita CCCCXXX deuictis nauali prælio priscis Latinis ac Antiatibus, eorum rostra nauium ærata in foro posuit, appellarique forum rostra cœpit. Author Liuius libro octauo.Vide Plinium lib.34.cap.5.

Memnon,teste Homero,Tithoni filius, fratris Laomedontis regis Troiani. Hic cum ad Troiam multos Græcos in bello occidisset, tandem à Thessalis per insidias interficitur. Lege Strabonem lib.15.vbi de eius sepultura fit mentio.

Memphis, AEgypti vrbs, quam Ogelous rex AEgypti, condidit ambitus stadiorum centum & quinquaginta,vrbem omnium AEgypti præclarissimam opportuniori totius eius oræ loco, vbi Nilus in plures scissus partes efficit formam Deltæ: quo fit, vt tanquam in Nili claustro posita aditum præbeat, prohibeátque ad superiora loca nauigantibus: & ad cohibendam aquarum inundationem versus Notum aggeres ingentes opposuit:& à partibus cæteris vndique effossus est lacus ingens ac profundus qui vrbem efficit munitissimam.Vnde & posteri reges ferè omnes relictis Thebis, eam sibi regiam delegerunt,vt scribit Diodorus Siculus lib.2.Hodie Alcayrum vulgo vocant.De hac etiam Martialis,

Barbara Pyramidum sileat miracula Memphis. Memphis Ptolemæo lib.4.cap.5, in finibus Arabiæ ciuitas, quæ Nophet & Migdol Hebræis:Hodie Messer.

Mempricus, rex Britanniæ, qui fratrem Malym exuit vita, vt eo mortuo regnaret.Author Volaterranus.

Mena apud Romanos fuit dea quæ menstruis fluoribus præesse putabatur. Quo etiam nomine dictus est piscis quidam breuis, qui hyeme candidus, æstate nigrior fit. Cicero de Finib. bonorum & malorum, Qui voluptatem contemnunt,eis licet dicere, se accipenserem menæ anteponere. Martialis,

Et caudam cibii,breuésque menas. Hunc piscem etiam alecem dici posse quidam putauerunt. Nonnulli tamen hoc nomen cum diphthongo scribi debere præceperunt.

Menæchmus, philosophus Platonicus, Proconnesius, scripsit libros tres in libros Platonis de Republica. Menæchmus item Sicyonicus historicus scripsit historiam Alexandri Magni. Meminit vtriusque Suidas.

Menalcas,pastoris nomen apud Virgilium in Eclogis.

Menalippe,fuit Antiopes Amazonũ reginæ soror.Hæc ab Hercu-

le capta fuit in bello,quod contra Amazones gessit: quam quum so rori restitueret,accepit pretium,arma reginæ & baltheũ. Nam hæc quoque ex eo bello reportare fuerat iussus ab Aristeo. Illius etiam Iuuenalis meminit in Satyra 8, Syrma vel Antigones,seu personã Menalippes.

Menalippides,poeta Melius genere,scripsit Dithyrambicorũ plu res libros, & poemata epica,& epigrammata, & elegos. Huius ex filia nepos Menalippides iunior,itẽ poeta,scripsit Lyrica & Dithyrã bica. Vixit, mortuúsque est apud Perdicã regẽ Macedoniæ. Suidas.

Menalippus, (inquit Seruius) in bello Thebano Tydeum interfecit,qui sic apud Statium vociferatur,

-caput ô mihi siquis
Adportet Menalippe tuum. Fuit & Menalippus Troianus, qui quòd virtute præstaret,à Priamo filii loco fertur adamatus.

Menander, Atheniensis comicus nouæ comœdiæ, strabus fuit, mente acutus,amore in mulieres insanus:scripsit fabulas L X X X, & epistolam vnam ad Ptolemæum regem,aliáque nonnulla soluta oratione.Hæc Suidas. Quintilianus autẽ de eo sic, Menander(inquit)meo iudicio diligenter lectus,ad cuncta quæ præcipimus efficienda sufficit. Ita omnem imaginem in vita expressit, tanta in eo inueniendi copia,& eloquendi facultas,ita est omnibus rebus, personis,affectibus accommodatus,vt omnibus eiusdem operis authoribus tenebras obduxerit.Hactenus Quintilianus. Menãder item Laodiceus, sophista,scripsit commentarios in artem Hermogenis, & in præexercitamenta Minutiani.Suidas. Menander alius Simoni Mago successit,non solum eius referens impietatem,sed longè superans maioribus portentis efferebatur,sese seruatorem dictitans ex Olympo ad hominum salutem demissum, docénsque nullo pacto angelos ab hominibus vinci,aut cogi posse,quàm artis magicæ disciplina & baptismo ab eo traditis,ex quibus immortalitas humano generi proueniat.Omnia ex libris Irenæi. Meminit itẽ huius Iustinus & Eusebius lib.3.

Menapii, populi iuxta Rhenum fluuium in Gallia: Iuliacenses vulgo dicuntur.Hodie Cliuiensi duci parent.

Menaria,Insula est Plinio lib.3.cap.5.contra Magonem: sic dicta à piscium multitudine,qui menæ dicuntur.

Menus,vir fuit inter Samnites natus, qui mirè solitudinem amabat,in qua nequid per otium perperam faceret,apes curabat.

Mendesicum,Plinio,vnum est ex Nili ostiis.

Menecheus, oraculo edito largitus est patriæ suum sanguinem. Author Cicero in Tuscul.quæst.circa finem primi libri.

Menecrates, Syracuſanus medicus, nullā dicitur accepiſſe mercedem medendo. Curabat in primis ſacrum morbum, tantum hac mercede contentus, vt liberati ſe ipſius eſſe ſeruos faterentur: ſe verò Iouē appellabat. Alter Menacrates, comicus poeta fuit, vt ſcribit Suidas. De ſuperiore ſcribit AElianus de varia hiſtoria.

Menedemus, nobilis inter Socraticos philoſophus, Phædri diſcipulus, pauperis architecti filius, deceſſit annos natus LXXIIII, vt eſt author Diogenes Laertius. Menedemus item, Lampſacenus Cynicus, in tam prodigioſam venerat ſuperſtitionē, vt ſumpto habitu furiæ prodiret, dictitās ſe exploratorem ex inferis veniſſe, delaturum dæmonibus mortaliū peccata. Pullatus ambulabat cum tunica talari adſtricta baltheo puniceo, Arcadicum pileum geſtabat, cothurnos tragicos, virgam in manu. Author Laertius.

Menelaus, filius Atrei, frater Agamemnonis, rex Spartæ ciuitatis, & maritus Helenæ, quam rapuit ei Paris.

Menephron, viri proprium qui cum matre concubuit, authore Ouidio lib. 7. Metamor.

Dextera Cyllene eſt: in qua cum matre Menephron
Concubiturus erat ſæuarum more ferarum.

Menes, teſte Herodoto, primus omnium hominum in AEgypto regnauit, ſub quo tota AEgyptus præter Thebaicam plagam paluſtris fuit.

Meneſthius fuit Arithoi & Philomeduſæ filius, ex Arna ciuitate, quem Paris in bello Troiano occidit, teſte Homero in initio libri 6. Iliados.

Meneſtho, nomen nymphæ, à memorando dicta: vnde Meneſtheus, Diomēdis auriga. Alius fuit Athenarum dux, Theſei & Phædræ filius, ac frater Demophontis.

Meninx, Inſula eſt, teſte Plinio lib. 5. cap. 7, circa Africam clariſſima, longitudine XXXV M paſſuum, latitudine XXV, ab Eratoſthene Lotophagitis appellata.

Menippus Phœnix, philoſophus Cynicus, nihil memoria dignū edidit: porrò ipſe, liberíque eius ridendi. Cúmque habendi cupidiſſimus eſſet, bonis amiſſis laqueo vitam finiuit. Author Diogenes Laertius. Menippus poeta comicus fuit, authore Suida. Menippus item alius Stratonicenſis, in tota Aſia diſertiſſimus, præceptor Ciceronis, vt ipſe in Bruto teſtatur: Pòſt à me (inquit) Aſia tota peragrata eſt, cum ſummis quidem oratoribus, quibuſcum exercebar ipſe lubentibus: quorum erat princeps Menippus Stratonicenſis, meo iudicio tota Aſia illis temporibus diſertiſſimus: etſi nihil habere moleſtiarum, nec ineptiarum, Atticorum eſt, hic ora-

tor in illis numerari rectè potest. Hactenus Cicero in Bruto. Alium præterea eius nominis Macrobius adducit Menippum, quem philosophum & seruum fuisse tradit: scripsisséque libros, quos in satyris Marcus Varro imitatur, quas Menippeas nominauit: alii verò Cynicas. Vide apud Macrobium.

Menius, Lycaonis filius, qui cum patre in lupum verso, & domo conflagrante Iouem detestaretur, ab eodem fulmine percussus est. Ouidius in Ibin,

Vt ferus AEolides, vt sanguine natus eodem
Quo genita est, liquidis quæ caret Arctos aquis.

Menlaria, Ptolemæo libro secundo, cap.6, Hispaniæ vrbs: vulgo Marcia.

Menœtius, teste Homero, Actoris fuit filius, & Patrocli pater, à quo Menœtiades dictus est. Ouidius prima Heroidum epistola,
Siue Menœtiadem falsis cecidisse sub armis.

Menoles, dictus est Dionysius, quod Latine totum furentem significat. Cui Bacchæ Orgia celebrabant, & crudas carnes comedentes sacro furore initiātur, Euan Euan conclamantes. Quæ vox adspirata, secundum exquisitam Hebræorum linguam, fœminei sexus serpentem significat. Scribitur & cum æ diphthongo.

Menophilus, Eunuchus fuit, cui Mithridates à Pompeio victus filiam seruandam dedit in arce quadam, quam cum Manlius Priscus obsedisset, defensoresque deditionem parantes Menophilus sentiret, gladium in viscera sua compegit, veritus ne captiua puella raperetur & violaretur. Author Ammianus Marcellinus libro decimosexto.

Menosgada, Germaniæ vrbs apud Ptolemæum: hodie Egra, Eger.

Mentercosa, Hispaniæ vrbs Ptolemæo: Vulgo Petraza de la sierra.

Mentisa, Hispaniæ vrbs Ptolemæo. alio nomine Mentesa: vulgo Iaen.

Mentor, fuit in vasis cælandis mirus artifex. de quo Plinius lib. 12, Mentori (inquit) quotidie testimonium perhibet Capitolinus Iuppiter & Diana Ephesia. quibus fuere consecrata eius artis vasa. Quare ait Iuuenalis Satyra 8, Raræ sine Mentore mensæ.

Menus Bocatio, Germaniæ fluuius est in quo sylurum aiunt piscem equos innantes deorsum trahere.

Menuthias, insula Australis Ptolemæo lib.5. cap.9, ad AEthiopiam. hodie Madagascar, siue insulam S. Georgii nominant, licet accolæ sint Machometistæ.

Meonia, regio est Asiæ minoris, quæ postea Lydia à Lydo fra-

ræ Tyrrheni cognominata fuit, vt antè scripsimus. Et à Meonia Meonis patronymicum fœmininum deducitur. Ouidius de arte,
Meonis Assyrium fœmina tinxit ebur. Et Meonides, masculinum: vt est apud eundem,
Aspice Meoniden à quo seu fonte perenni
Vatum Pieriis ora rigauit aquis.

Mercurii quinque fuerunt, authore Cicerone libro 3. de natura deorum, Mercurius (inquit) vnus Cælo patre, Die matre natus, cuius obscœnius excitata natura traditur, quòd aspectu Proserpinæ commotus sit. Alter Valentis & Phoronidis filius, is qui sub terris habetur, idem Trophonius. Tertius Ioue tertio natus ex Maia, ex quo & Penelopa, Pana natum ferunt. Quartus Nilo patre, quem AEgyptii nefas habent nominare. Quintus quem colunt Pheneatæ, qui & Argum dicitur interemisse, ob eámque causam AEgypto præfuisse, atque AEgyptiis leges & literas tradidisse. Hactenus Cicero.

Meriones fuit, teste Homero lib. Iliados 2, auriga Idomenei, & cum eo dux nauium quæ venerant ad Troiam, ipsi Marti, vt ait, ipsius Martis arbitrio comparandus. De quo Horatius in primo Carminum,
Quis Martem tunica tectum adamantina
Dignè scripserit: aut puluere Troico
Nigrum Merionem, aut ope Palladis
Tytidem superis parem?

Mero, dictus est Nero, quòd impendio vinosior esset.

Meroe, præclara insula, & earum, quas Nilus ambit, propè maxima. Nomen habet à Meroe Cambysis sorore: vel, vt Diodorus ait, matre ibi mortua cum ad AEthiopas ingressus esset. Authore Strabone. In ea eiusdem nominis grandis ciuitas est, cuius Herodotus meminit. De illa Lucanus lib. 10,
Ambitur nigris Meroe fœcunda colonis,
Læta comis hebeni, &c. Illa regia est, & metropolis AEthiopum. De qua multa Diodorus lib. primo: & Strabo lib. 17. vbi de AEthiopibus à Romanis victis mentio est.

Merópe Pleias, vxor Sisyphi. de qua infrà in dictione PLEIADES. Est item insulæ nomen Plinio libro quinto capite trigesimoprimo.

Meros, mons Indiæ: sub cuius radicibus Nisa ciuitas est constituta.

Mesa, fluuius notus per Leodium fluens, & per Brabantiam ac Geldriam: vulgò tamen Mosa dicitur, & coniungit se cum Rhe-

no. Est & Mesa, pars in domo apum. Vitruuius Latine dici Medianam author est.

Mesapia, Apulia, à Mesapo rege sic appellata. Strabo lib. 9.

Mesapus, Neptuni filius (inquit Seruius) per mare ad Italiam venit. Vnde Neptuni dictus est filius, quem inuulnerabilem ideo dicit, quia nusquam periit, nec in bello. Ignem autem ei nocere non posse propter Neptunum dicit, quia aquarum deus est. Ab hoc Ennius dicit se originem ducere. Hactenus Seruius enarrans illud Virgilii 7. E Aneid.

At Mesapus equûm domitor Neptunia proles,
Quem neque fas igni cuiquam, nec sternere ferro.

Mesia, prouincia quæ Pannoniæ iungitur, ad Pontum vsque cum Danubio decurrens. Suet. de Tiberio, Armeniam à Parthis occupari, Mesiam à Dacis Sarmatisque, Gallias à Germanis vastari neglexit. Mesia item Pomponio lib. 3. palus est.

Mesomedes, penultima producta, poeta Adriano principi charissimus, scripsit in laudem Antinoi liberti sui. Author Suidas.

Meson, astrologus ex his vnus qui Atheniẽsibus adscriptus fuit, nauigaturis in expeditionem Siciliæ, onus detrectare cupiens, tempestatem futurã prædixit. Cúmque propterea minimè proficeret, simulauit insaniam, atque hoc modo missionem impetrauit: fœliciúsque hoc illi contigit, quàm Vlyssi, cuius ficta insania à Palamede detecta & accusata fuit. Author AElianus de varia historia.

Mesopotamia, Asiæ regio, inter Tigrim & Euphratem. Vnde nomen sortita, vt est notum cum ex aliis, tum ex Philostrato lib. primo de vita Apollonii. Tacitus lib. 5. vbi de Ornospade Partho, Mox (inquit) repetita amicitia regis, multo apud eum honore, præfectus campis, qui Euphrate & Tigre inclytis amnibus circunflui Mesopotamiæ nomen acceperunt.

Messala, dictus est Valerius Coruinus, quia Messanam in Sicilia vicit, & vrbis captæ in se translato nomine, Messana primò appellatus est, paulatímque vulgo permutante literas, Messala dictus est. Vnde & Messalarum familia Romæ florentissima, ex qua Messala Coruinus orator nobilis ortum habuit.

Messalina, Claudii Tiberii imperatoris quinti vxor, indomitæ libidinis fœmina, vt scribit Sextus Aurelius. Meminit huius & Iuuenalis Satyra 6.

Messana, ciuitas est Siciliæ, propinqua Peloro monti, vt scribit Plinius libro 3. Clarissima autem est ex Punicis & Atticis bellis, antè Zancle vocata. Fuit hæc ciuitas causa primi belli Punici, vt scribit Florus lib. 2.

Messapia, Vide CALABRIA.

Messena, Siciliæ vrbs, Ptolemæo lib.3.cap.4: vulgo Mesina.

Messene, Plinio lib.4.cap.5.oppidum in Achaia.

Mesthles, Homero, vnus ex his ducibus qui in Troianorum auxilium venerunt.

Mesuium, Ptolemæo lib. secundo cap.11, Germaniæ vrbs: vulgo Maydburg.

Metapontũ, Italiæ oppidum in sinu Tarentino à Pyliis, qui Nestore duce è Troia nauigauerunt, conditum: adeò terræ prouentu & agricolatione fœlix, vt ea gratia auream æstatem Apollini Delphico aliquando donum obtulerit. Pomponius lib.2. Ptolemæo Metapontium dicitur: vulgo Pelicor.

Metaurus & Metaurum, Vmbriæ fluuius in Flaminiam decurrens. Plin.lib.3.cap.14, Nunc in ora flumen Aesis, Senogallia, Metaurus fluuius, colonia Fanum fortunæ, Pisaurum cum amne.

Metelli plebei fuere, vt ait Liuius lib. 19. verum clari victoriis & magistratibus, Cæciliique omnes appellati. Quorum primus Cæc. Metellus cæcus & Pontifex maximus: quam orbitatem contraxit, dum sacra ex incendio ædis Vestæ rapuit. Prius enim primo bello Punico, aduersus Pœnos speciosissimũ egit triumphũ XIII. ducibus hostium, & CXX elephantis in eo ductis. Cæc. Metellus, à domita Macedonia Macedonicus vocatus, prætor Pseudophilippum & Achæos, quos bis prælio fudit, triumphandos Mumio tradidit. Inuisus plebi ob nimiam seueritatem, & ideo consul ægrè factus. De hoc Liuius lib.59. Memorantur alii plures Metelli, vt Balearicus, Vittatus, quem Plinius Diadematum vocat. Metellus præterea Numidicus dictus, quòd de Numidiæ rege Iugurtha triumphauit. Cuius meminit Cicero, & item Gellius cap.6.lib.primi, & cap.11. lib.6. Metellus Creticus à deuicta Creta dictus, cuius meminit Plutarchus in Pomponio. Metellus Dalmaticus à deuictis Dalmatis. Author Pædianus act.3.contra Verrem.

Methone, vrbs Peloponnesi, Ptolemæo lib.3. cap.16. Hodie Modona: via peregrinantium Ierosolymam à Venetiis.

Methymna, ciuitas est in Lesbo insula, optimum habẽs vinum. Ouidius 1.de Arte amandi,

Gargara quot segetes, quot habet Methymna racemos. Et inde Methymnæus adiectiuum deducitur. Virgilius lib.2.Georg.

Non eadem arboribus pendet vindemia nostris,
Quam Methymnæo carpit de palmite Lesbos.

Metiochus fuit, teste Herodoto lib.6, Miltiadis Atheniensis ducis filius. qui cum à Phœnicibus caperetur, & Dario Persarum regi,

contra quem pater bellum gerebat præsentaretur, in nullo prorsus læsus fuit, sed eum donauit Darius pulcherrimo palatio, multis possessionibus & diuitiis, atque vxorem Persicam dedit, ex qua liberos suscepit. Vide Herodotum lib. 6.

Metis, teste Hesiodo in Theogonia, nympha quædam vna fuit ex filiis Oceani & Tethyos.

Metiscus, Turni auriga. De quo Virgilius lib. 12. AEneid.
Aurigam Turni media inter lora Metiscum
Excutit, &c.

Metius Carus, delator insignis fuit, de quo Plinius prima epist. ad Voconium: & lib. 6. ad Hispanum.

Metius Geminus, dux Tusculanorum superatus à Romanis bello Latino. Metius item Curtius, Sabinorum dux contra Romulum, ob raptas Sabinas acriter pugnauit. Metius Suffetius, dux Albanorum, quòd contra fœdus societatis in bello Fidenatium animum ancipitem & infidum gesserat, iussus est in concione à Tullo Hostilio quadrigis discerpi. Liuius lib. primo.

Metra, Erisichthonis cuiusdam Thessali filia, meretrix liberali forma, ad quam qui commeabant adolescentes, corporis copiam non assequebantur, nisi equos, boues, amplissimáque deferrent munera: quia nondum id temporis repertus fuerat gemmarum vsus. Porro Thessali per iocum dicebant Metram Erisichthonis verti in ea omnia, quæ illi ab amatoribus donabãtur, vnde fluxit prouerbium, Mutabilior Metra Erisichthonis.

Metrodôrus Lampsacenus, Epicuri discipulus, fidissimúsq; amicus, Strabone, Diogenéque testibus. Metrodôrus item Atheniensis, Carneadis auditor, vt Cicero de Oratore testatur: pictor & philosophus fuit. Cicero de Oratore lib. 1, Erat (inquit) etiam Metrodôrus, qui cum illis vnà illum ipsum Carneadem diligentius audierat. Paulò post, Vrgebat auditor Panætii illius tui Mnesarchus, & Peripatetici Critolaus & Diodorus. Hæc Cicero. Metrodôrus præterea Sceptius, qui è philosophica vita in ciuilem mutatus est, magna ex parte in suis scriptis oratoriè loquitur: & nouo quodam dicendi genere vsus est, quo multos deterruit. Propter nominis famam, quanquam pauper erat, clarum tamen coniugium apud Carthaginenses adsecutus est: atque vti Carthaginensis viuebat. Quúmque amicitiam Mithridatis regis sibi conciliasset, ad illum cum vxore discessit, & honore maximo affectus est. Hæc Strabo lib. 13. Huius etiam meminit Cicero, memoriámque commendat Tuscul. quæst. lib. primo, Non quæro (inquit) quanta memoria Simonides fuisse dicatur, quanta Theodectes, quanta is qui

à Pyrrho ad senatum missus est legatus Cyneas, quanta nuper Carneades, quanta qui modò fuit Sceptius Metrodorus, quanta noster Hortensius. Hactenus Cicero.

Meuania, ciuitas Vmbriæ inclyta. Plin. libro 35. cap. 14, In Italia quoque lateritius murus Aretii & Meuaniæ est.

Meuius & Bauius, mali poetæ Virgilii æmuli, vt indicat ipse in Bucolicis,

Qui Bauium non odit, amet tua carmina Meui.

Mezentius, pater Lausi, deorum contemptor, apud Virgilium libro 7. AEneid.

Primus init bellum Tyrrhenis asper ab oris

Contemptor diuûm Mezentius, &c. Fuit enim impius in homines sine deorum respectu, inquit Macrobius.

M I

Micypsa, rex Numidarum, filius Masinissæ regis, de quo Sallustius in Iugurthino: fuit enim Iugurthæ patruus.

Midas, Gordiæ bubulci filius, & rex Phrygum, qui cunctorum penè regum opes pecuniæ abundantia antecessit. De quo Herodotus & Iustinus lib. 11. multa scripserunt. Quin & Ouidius lib. Metamor. 11. illius fabulam est elegantissimè persequutus. Nam cum inter Apollinem & Marsyam decertantes iudex constitutus esset, & ipse pro Marsya sententiam ferret, auriculis asininis à Phœbo donatus est. quod etiam tetigit in prima sua satyra Persius.

Mieza, oppidum Macedoniæ, quod olim Strymoniū vocabant, à Mieza Beretis Macedonis filia cognominatum. Plin. lib. 31. cap. 2, Nam Miezæ in Macedonia, etiam pendentes in ipsis cameris: at in Corintho cum decidêre, &c.

Miletus, vrbs Ioniæ clarissima in Asia, in qua vellera optima erant, & proinde Milesia vellera dicta: id est pretiosa. Seruius apud Virgilium lib. Georg. 3,

-quanuis Milesia magno

Vellera mutentur, Tyrios incocta rubores. Pomponius Mela lib. 1, Miletus (inquit) vrbs quondam Ioniæ totius belli, pacisque artibus princeps, patria Thaletis Astrologi & Timothei musici, & Anaximandri physici, aliorúmque ciuium inclytis ingeniis merito inclyta. Hæc Pomponius. De Mileto & Milesiis etiam Cicero meminit act. 3. in Verrem. Alia fuit eiusdem nominis vrbs in Creta, teste Homero lib. 2. Iliados.

Milo Crotoniata, Plinio athleta nobilis: quē quū vestigio constitisset, nemo vestigio educebat, malū tenēti nemo digitos corrigebat. Is in Olympia, ait Valerius, bouē in humerū sustulit: tandē suis viribus

nimium fidens, quum in sylua vidisset ingentem arborem caudice discissam, immissis manibus penitus discindere cupiens, reclusisque fissuris deficiente conatu se feris lacerandum præbuit. T. Annius Milo è Lanuuio municipio familia Papia adoptatus à Tito Annio auo materno,cliens Ciceronis in causa cædis Clodianæ. Author Pædianus. Hic cum ob eam causam exularet Massiliæ,vidissétque Ciceronis orationem pro se scriptam,longè meliorem ea quæ habita fuerat,dixisse fertur,Si sic orasset Cicero, non ego Massiliæ lumbricos legerem.Author Dion in Romanorum historia.

Miltiades,Atheniensium dux Persas ad Marathonem vicit.

Milyas,Herodoto, locus in Asia, cuius populi iam tunc appellabantur Solymi. His postquam imperauit Sarpedon,Termilæ sunt appellati, tantisper dum Lycus Pandionis filius à fratre AEgeo Athenis pulsus ad Sarpedonem in Termilas abiisset, factúmque esset,vt temporis progressu ad Lyci nomen Lycii vocarentur.

Mimallis, Plinio lib.4. cap.12, à Callimacho insula dicitur: quæ ab aliis melos,à nonnullis Zephyria.

Mimallonides,cognomen fuit bacchantium mulierũ:deductum à monte minoris Asiæ, qui Mimas vocatur. De quibus Ouidius lib.primo de Arte amandi,

Ecce Mimallonides sparsis in terga capillis:
Ecce leues satyri,præuia turba diei.

Mimas,mons est in minori Asia, vt ostendit Homerus in hymnis:in quo cum Bacchus mirum in modum à mulieribus celebraretur,dictæ sunt bacchantes Mimallonides.

Mincius, fluuius Italiæ qui ex Bænaco Venetiæ lacu ortus vrbem Mantuam circuit, deinde fluit in Padum. Huius meminit Virgilius Ecloga 7,

Hîc viridis tenera prætexit arundine ripas
Mincius,&c. A quo Minciades Virgilius dictus Iuuenali,
Illos Minciadæ celebrat dulcedo Maronis.

Minei,populi sunt in regione Arabiæ, mari rubro adiacẽtes, qui primi commercium thuris fecere: nec præter hos Arabes,alii thuris arborem vident. Vnde ab ipsis thus ipsum Minæum dictum est.Vide Plinium lib.6.cap.28.

Minerua (inquit Cicero) de natura deorum lib.3. sic dicta, quia minuit,vel quia minatur. Quinque autem Mineruæ fuerunt.Prima quam Apollinis matrem suprà diximus. Secunda,orta Nilo, quam AEgyptii Saitæ colunt. Tertia,quam à Ioue generatam suprà diximus.Quarta,à Ioue nata,& Coryphe Oceani filia, quã Arcades Coriam nominant,& quadrigarũ inuentricem ferunt.Quin

ta, Pallantis quæ patrem dicitur interemisse, virginitatē suam violare conantem, cui pinnarum talaria affingunt. Hactenus Cicero.

Mineruæ promontorium Campaniæ, Ptolemæo lib.3.cap.1. Vulgo Capo Minerua.

Minilus, mons Thessaliæ, qui postea Orchomenus dictus est.

Minoa, vrbs in Amorgo insula Cycladum. Est & altera in Sicilia. Item Megarensium emporium fuit, duodeuiginti stadiis distās ab vrbe, quod & Nysea appellatur. Vide Strabonem lib.9.

Minos fuit filius Iouis ex Europa, vt poetæ ferè omnes asserunt. Alii verò nonnulli affirmant non Iouis, sed Xanthi regis Cretensium ex Europa filium fuisse, cui in regno successit. Herodotus verò lib.1. de illo loquens, dixit cum fratre Sarpedone de regno Cretæ dissensisse, sed illo fugato regnum obtinuisse. Idem primus Cretensibus leges dedit, vt scribit Aristoteles Polit. lib.1.

Minotaurus, dictio est composita ex Minoe & tauro, quasi Minois taurus. Nam, vt scribit Homerus lib.8. Odysseæ, Cum Minos bello contra Athenienses & Megarenses, qui Androgeum filium interemerant, detineretur, Pasiphae eius vxor à Venere, quæ in Solis sobolem irata erat, ad infaustum amorē formosi tauri compellitur, cum quo arte Dædali concubuit, ac grauida facta Minotaurum genuit. Vide Seruium apud Virgilium lib. AEneid.6.

Contrà elata mari respondet Gnosia tellus,
Hic crudelis amor tauri, suppostáque furto
Pasiphae, mixtúmque genus, proléque biformis
Minotaurus inest.

Minthe, mons, vt scribit Strabo lib. octauo, dictus à Plutonis pellice, quam Proserpina in herbam mentham mutauit. Huic Pluto donum amoris petenti, virile membrum tradidit, quod à se Mentulam nominauit. Sed, vt Plinius inquit, menthæ nomen suauitas odoris dedit: Græci Mintham nominauerunt.

Minturnæ, Campaniæ oppidum, iuxta quod est palus vbi Marius latuit. Proinde dictæ sunt palustres Horatio ad Torquatum,

Vina bibes iterum Tauro diffusa, palustres
Inter Minturnas Sinuessanúmque Petrinum.

Minturnæ, hodie Traiectum, castellum Ptolemæo lib.3.cap.1.

Minutia, Vestalis fuit, quæ propter corporis elegantem cultum in suspicionem venit libidinis, vnde & viua defossa est. Liuius lib.8.

Minyæ, fuerunt Thessaliæ populi qui, teste Orpheo in Argonautica Iasonem ad Colchos proficiscentem secuti sunt. Vnde ait Ouidius in initio lib.7. Metamor.

Iámque fretum Minyæ Pegasæa puppe secabant. Lucanus item

Thessaliam describens, Minyæ gens cognita remis.

Minyeius, fluuius est è Thessalia veniens, qui teste Homero lib. 11. Iliad. oppido Arenæ vicinus ostia maris facit.

Mithra, cum h, à Persis dicitur Sol. Strabo lib. 15, Persæ cælum Iouem putant, colunt Solem, quem Mithram vocant. Statius libro primo Thebaid.

Indignata sequi torquentem cornua Mithram. Vbi Lutatius ait, Sol apud Adiamenios Titan, apud Assyrios Osyris, apud Persas vbi in antro colitur, Mithra vocatur. Ponitur aliquãdo pro primario sacerdote. Apuleius libro vltimo, Ipsúmque mithram illum suum sacerdotem præcipuum sacrorum ministrum decernit.

Mithridates, rex Ponti, vt est author Trogus lib. 37. ob auxilium aduersus Aristonicum Romanis latum Syria maiore donatus fuit, mortéque repentina interceptus, filium reliquit: item Mithridatem, cuius ea postea magnitudo animi fuit, vt omnium Barbarorum ante se res gestas superarit. Bellum cum Romanis annis XLVI varia victoria gessit, Asiam occupauit, Q. Oppium proconsulem, & Aquilium legatum in vincula coniecit: iussúque eius quicquid ciuium Romanorum in Asia fuit, trucidatum est. Vide Iustinum & Valerium.

Mitylene, oppidum est in Insula Lesbo, vt docet Mela lib. 2. Inde fuerunt oriundi Alcæus & Sappho vates lyrici, ac Pittacus vnus è septem sapientibus. Horatius lib. 1. Carminum,

Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mitylenem.

M N

Mnas, Pirata fuit qui temporibus Pompeii oram Italiæ prædatoria classe infestabat, vt est author Plutarchus in Antonio.

Mnemosine, mater nouem Musarum, & interpretatur memoria. Huius meminit Catullus.

Mnesarchus, inter principes philosophorum Ciceroni numeratur Acade. quæst. lib. 4.

Mnester, Agrippinæ, quæ Neronis iussu interfecta est, libertus. Is, Agrippina à satellitibus Neronis interempta, ferro se transfixit: incertum charitate in patronam, an metu exitii. Author Corn. Tacitus libro 14.

Mnestheus, nomen fuit proprium viri Troiani. De quo Virgilius, Mnestheúmque vocat, &c. Is ab Assaraco rege originem traxit, vt idem Virgilius author est in 12,

Et genus Assaraci Mnestheus. Nonnunquam verò causa metri additur e post M, Menestheus. Virgilius 10. AEneid.

Nec Lycio genitore minor, nec fratre Menestheo. Nec aliter po-

test stare versus, vt annotauit Seruius.

M O

Mœmagus, Ptolemæo Galliæ vrbs: vulgo Nemours.

Mœnis, Germaniæ fluuius in Rhenũ influens, vt author est Pomponius lib. 3. Huius fluuii meminit & Tacitus.

Mœris, veneficus describitur Virgilio in Bucolicis, his versibus,
Has herbas, atque hæc Ponto mihi lecta venena,
Ipse dedit Mœris: nascuntur plurima Ponto.
His ego sæpe lupum fieri, & se condere syluis
Mœrim, sæpe imis animas excire sepulchris,
Atque satas aliò vidi traducere messes.

Mœsia, Europæ prouincia, quæ Pannoniæ iungitur, ad Pontum vsque cum Danubio decurrens. Suetonius de Tiberio, Armeniam à Parthis occupari, Mœsiam à Dacis Sarmatisque, Gallias à Germanis vastari neglexit.

Moguntia, oppidum transalpinæ Galliæ.

Molorchus, pastor iuxta Nemeam syluam habitans, qui venientem Herculem ad occidendum Nemeũ leonem hospitio excepit, vt scribit Seruius in 3. Georg.

Molossa, regio est Europæ, quæ postea dicta est Epirus. Ouid. 1. Metamor. Nec contentus eo, missi de gente Molossa
Obsidis vnius iugulum mucrone resoluit. At in Molossa bonos canes nasci cum à multis refertur, tum ab Horatio in Epodis,
Nam qualis aut Molossus, aut fuluus Lacon,
Amica vis pastoribus.

Molus, Homero, vir fuit Cretensis, & Merionis aurigæ Idomenei pater.

Monacris, mons Arcadiæ, vt notat Tortelius.

Monaœda, Ptolemæo lib. 2. cap. 2, insula iuxta Orientalẽ plagam Hyberniæ: alio nomine Monarina dicta: vulgo Man.

Monna, insula Angliæ, seu Britanniæ, quæ (teste Cornelio Tacito) incolis est valida, & receptaculũ perfugarum. Est & eius nominis insula in Rheno fluuio Frisiæ proxima.

Monodos, penul. correp. Prusiæ filius, qui dentiũ loco os vnũ continuum habuit: ὀδὼς enim dens: vnde Monodos, quasi vnicus dens, quẽadmodum Pyrrhum Epirotarũ regem habuisse Plinius refert.

Monœci portus, Massiliẽsium vrbs Ptolemæo, vulgo Monacho.

Monœcus, portus est in Liguria & arx: μόνοικος (ait Seruius) dictus est, vel ꝙ Hercules pulsis omnib⁹ illic solus habitauit, vel ꝙ in eius tẽplo nunq̃ aliquis deorũ simul colitur: sicut in Iouis, Minerua & Iuno: in Veneris, Cupido. Hæc ille enarrãs illud Virg. 6. Aeneid.

Aggeribus ſocer Alpinis,atque arcé Monœci
Deſcendens,gener aduerſis inſtructus Eôis.

Monychus, nomen eſt Centauri proprium, vt Latini poetæ teſtantur.Iuuenalis, Quantas iaculetur Monychus ornos. Lucanus ſimiliter lib.6,

Aſpera te Pholoës frangentem Monyche ſaxa.

Monyma,penul.correp. Mithridatis vxor, quæ in deſperatione rerum profligatarum detractum è capite diadema illud collo circunligaſſe traditur,ſeſéque ſuſpendiſſe. Et quum corporis pondere laqueus ille diruptus eſſet,dixiſſe, Execrandum diadema, neque in tam triſti miniſterio mihi profuiſti:móxque quum ſuper illud humi abiectum inſputaſſet,eunucho regio iugulandam ſeſe obtuliſſe.

Monymus, fuit Corinthii cuiuſdam trapeſitæ ſeruus, qui cum philoſophiæ amore teneretur, cuperétque maximè operam dare Diogeni: neque tamen hoc ipſum à domino poſſet impetrare, ſimulata inſania monetam cœpit ſpargere, eóque modo dimiſſus, ad philoſophiam ſe conuertit, Diogenémque ſecutus eſt. Author Laertius.

Mopſopia,Attica regio,à Mopſo rege ſic dicta,vt author eſt Strabo libro nono.

Mopſi tres fuere:vnus Athenis Mopſo patre: alter ex Apolline, & Manto Tireſiæ filia natus:vates & Argonauta,qui & Mopſorum oppidum in Theſſalia ædificauit.

Morini,populus Galliæ Belgicæ ad Oceanum,vt ſcribit Pomponius lib.tertio.Virgilius 9.AEneid.

Extremíque hominum Morini,Rhœnúſque bicornis.

Morpheus,filius aut miniſter Somni dei:ſic dictus,quòd dormientibus inducat varias formas & viſiones.Ouidius,

Excitat artificem ſimulatorémque figuræ
Morphea &c.

Moſchus,grammaticus & poeta Syracuſanus, Ariſtarchi familiaris:hic ſecundus à Theocrito ſcripſit carmen Bucolicon.Suidas.

Moſſinœci,populi Aſiæ verſus Septétrionem,qui vt Pomponius lib.1.refert, turres ligneas ſubeunt, notis corpus omne perſignant: propatulo veſcuntur,promiſcue concumbunt, & palàm reges ſuffragio deligunt,vinculíſque & arctiſſima cuſtodia tenent.

M V

Mulciber,Vulcanus deus ignis, ſic dictus quòd ferrum molliat. Cic.2.Tuſcul.quæſt. Iouíſque numen Mulciberis adſciuit manus. Ouidius,

Mulciberis capti Márſque Venúſque dolis.

Mulucha, fluuius Mauritaniæ. De quo Strabo lib.17, Post Mauritaniam(inquit) est Masesyliorum regio, à Molochath flumine(ita Mulucham nominat) initium sumēs, &c. Vbi indicat trans flumen in ortum Masesylios esse, sicut Plinius. intelligendum ergo Mulucham regnorum terminum fuisse, Bocchi quidem orientalem, Iugurthæ verò occiduum, diuerso respectu: quemadmodum aliquando Rhenus Romani imperii ab ortu & septentrione terminus fuit, rursum verò Germanorum ab occasu & Meridie limes: vt quod mihi in ortum prospicienti dextrum est, id tibi in occasum verso sinistrum fit. Sic Rubiconem veteris Italiæ olim, & Togatæ Galliæ terminū fuisse intelligimus. Vnde in Iugurthino Sallustius, Haud longè (inquit) à flumine Mulucha, quod Iugurthæ Bocchíque regnum disiungebat. Et alibi apud eundem Bocchus inquit, Ego flumen Mulucham, quod inter me & Micypsam fuit, non egrediar, neque id Iugurtham intrare sinam. Hactenus Sallustius. Patet verò ex Plinio, Cæsariensis partē citra Mulucham fuisse Boccho subditam. Vide eundem cap.2.lib.5.

Munda, vrbs est Hispaniæ, vbi Cæsar pugnauit cōtra filios Pompeii. Author Plinius cap.1.lib.3.

Munychia, festa erant Palladis, à Munychio Athenarum portu: vel à Munychio rege quodam eorum authore.

Munychyates, Ptolemæo lib.5. cap.17, Petreæ Arabiæ vrbs: hodie Medina Talnabi, vbi Mahumeti sepulchrum.

Muroela, Ptolemæo lib.2.cap.15, Pannoniæ superioris vrbs: vulgo Moreck.

Murgis, Plinio lib.3.cap.1, Bæticæ sinus, à quo Murgitana regio.

Murranus, priscus Latinorum rex, à quo postea Latini omnes reges Murrani sunt dicti. Author Seruius. Scimus enim(inquit) solere plerunque fieri, vt primi regis, reliqui nomen eius possideant, vt apud Romanos Augusti vocantur, apud Albanos Syluii, apud Persas Arsacidæ, apud AEgyptios Ptolemæi, apud Athenienses Cecropidæ. Hæc Seruius enarrans carmen illud Virgilii 12. AEneid.

Murranum hic, atauos, & auorum antiqua sonantem
Nomina, per regésque actum genus omne Latinos.

Murtius, Auentinus mons, quòd è lapidibus & veluti muro constaret. A quo Murtia dea Venus, quam prisci Myrteam nuncuparunt, à myrto arbuscula, quæ Veneri dicata est. De qua Plinius libro 15. cap.29, Ara fuit Romæ vetus Veneri Myrteæ, quam nunc Murtiam vocant. Huic erat sacellū sub Auentino monte, qui antè Mureus vocabatur.

Musæ, filiæ Iouis & Mnemosynes, id est memoriæ, quæ poetis,

& musicæ præsunt, cæterisq; bonis artibus. teste Hesiodo in Theogonia sunt nouem, Clio, Euterpe, Thalia, Melpomene, Terpsicore, Erato, Polymnia, Calliope, Vrania. Dicuntur autem habitare in Helicone monte, & proinde à poetis, & præcipuè Hesiodo Heliconides, seu Heliconiades appellatæ. Cicero tamen libro 3. de natura deorum de Musis sic scribit, Iam Musæ primæ quatuor natæ Ioue altero Thelxiope, Aœde, Arche, Melete. Secundæ Ioue tertio & Mnemosyne procreatæ nouem. Tertiæ Ioue tertio, Pierio natæ & Antiopa, quas Pieridas & Pierias solent poetæ appellare iisdem nominibus, eodem numero quo proximæ superiores. Hactenus Cicero.

Musæus, Eumolpi filius, Atheniensis, primus, teste Diogene, deorum genealogiam versibus tradidisse fertur, sphærámque inuenisse: scripsit amores Herus & Leandri hexametris qui extant. Decessit Faleriis, vt indicat Epigramma,

Eumolpi exanimem Musæum terra Falerum

Continet hoc tumulo, pignora chara patris. Musæos tres Suidas commemorat: vnum Eleusinium, Antipheni filium, versificatorem, discipulum Orphei, qui scripsit ὑποθήκας, id est vitæ præcepta, ad Eumolpum filium versuum ferè IIII millibus. Alterum Thebanum, Thamyræ filium, ante Troianum bellum, qui poeta Melicus fuit: scripsitque hymnos & cantica. Tertium Ephesium item versificatorem qui tempore fuit Eumenis, & Attali Pergami regum, scripsitque res Pergamenses: præterea de Perside libro decimo Suidas.

Mutina, vrbs Italiæ in Flaminia Romanorum quondam colonia, vt est author Pomponius Mela lib. 2. Inde Mutinensis color dictus est à Mutinensibus lanis, ex quibus natiuo colore panni fiunt. Varro, Nam & ludere (inquit) alacrem vidimus Mutinensi tunica.

Mutius, nobilis Romanus priscis temporibus qui Porsenna rege Romā obsidēte, solus in castra profectus est, vt Porsennā occideret. Sed cum regem nō cognosceret, & aliū pro rege necasset, comprehensus, & coniuratos prodere iussus, manum suam diu in igne tenuit, vt ostenderet se nulla pœna vinci posse. Rex autem admiratus eius fortitudinem, eum liberum dimisit. Tunc Mutius pro gratia regi dixit vt sibi caueret, quia trecenti Romani coniurassent sic se facturos. Quapropter rex pacificatus est cum Romanis. Fuerunt præterea alii Mutii quorum historiam multis prosequitur Raphael Volaterranus lib. 17.

M Y

Myagrus, deus muscarum. Aliter vocatur Myodes & Achor,

vt scribit Plutarchus. Plinius cap.28. lib.10, Inuocant & AEgyptii ibes suas contra serpentium aduentũ: & Elei Myagron deum, muscarum multitudine pestilẽtiam afferente: quæ protinus intereunt qua litatum est illi die.

Mycale, nomen veneficæ mulieris apud Ouidium libro duodecimo Metamor.

Mater erat Mycale, quam deduxisse canendo
Sæpe reluctantis constabat cornua Lunæ. Est præterea, vt notat Herodotus, promontorium in continenti situm.

Mycenæ Mycenarum, à Perseo condita propè Argos, quæ quandoque habuit imperium Achaiæ. Horatius,

Aptum dicet equis Argos, ditésque Mycenas. Dicitur etiam hæc Mycena Mycenæ, vt notat Seruius apud Virgilium Aeneid.5
Argolicóve mari deprensus, & vrbe Mycenæ.

Mycerinus, Cheopis AEgyptiorum regis fuit filius, qui postquã patri successit in regnum, ita paterna facta perosus est, vt populo ad extremũ calamitatis afflicto res agendi fecerit potestatem, quinetiam præ regibus omnibus iustitiam exercuisse fertur. Herodotus.

Myconos & Mycone, dicitur insula prope Delum vna Cycladum. Ouidius 7. Metamor.

Hinc humilem Myconem, cretosásque rura Cymoli.

Mydia, insula, quæ etiam Delos dicitur: vna ex Cycladibus.

Mydon, teste Homero lib.5. Iliad. Atymnis filius, & Pylæmenis ducis Paphlagonũ auriga, ab Antilocho Nestoris filio in bello Troiano interemptus est.

Mygdonia, regio est Macedoniæ litoralis, vt scribit Herodotus libro 7. In hac vrbe Niobe in saxum conuersa conspicitur, vt scribit Ouidius in Epistolis,

Quæque superba parens saxo per corpus ab orto
Nunc quoque Mygdonia flebilis adstat humo. Rursus in epistola ad Phaonem,

Quæ mihi Mygdonii marmoris instar erit.

Mygdonus, fuit frater Otrei, ac, teste Porphyrio in 3. Iliados, ambo fratres Hecubæ regis Priami vxoris, & Cissei filii, ambo reges in Thracia: & à Mygdono, eius filius Chorœbus, Mygdonides dictus est. Virg.2. AEneid.

-iuuenísque Chorœbus
Mygdonides: illis qui ad Troiam fortè diebus
Venerat, insano Cassandræ incensus amore.

Mylas, oppidum, de quo Seneca lib.4. Naturalium quæstionũ, Circa Messanam & Mylas fimo quiddam simile mare profert, fer.

uétque,& æstuat non sine calore fœdo. Vnde illic fabulari Solis boues fabula est.

Mypsæi seu Nipsæi,teste Herodoto lib.4, populi sunt Thraciæ, qui Dario Thraciam oppugnante,vltro sese dediderunt.

Myrina, regina fuit Amazonum, quæ triginta millia peditum, & duo millia equitum in exercitu habuisse dicitur.Author Diodorus lib.4. Fuit præterea,teste Homero,vrbs in AEolia.

Myrlea, Plinio lib.5. cap. 32, oppidum Bithyniæ, quod Apamea dicitur: à Myrlo Colophoniorum duce, vel à Myrlea Amazone. Nicomedes autem Epiphanes,Prusii regis filius, de matris nomine Apames,Apameam vocari voluit.

Myrmecides,nomen viri propriū: de quo Cicero in Academicis, Vt etiam inter deos Myrmecides minutorum opusculorum fabricator fuisse videatur.

Myrmidones,Achillis socii,propter hanc causam sic dicti(inquit Seruius):AEacus quum in arbore fici formicas,id est μύρμηκας vidisset,optauit tot sibi socios euenire,& statim formicæ in homines versæ sunt.sed hoc fabula est. Nam Eratosthenes dicit Myrmidonas à rege Myrmidono dictos. Hactenus Seruius enarrans hunc locum Virgilii 2. AEneid.

Et quorum pars magna fuit.Quis talia fando
Myrmidonum,Dolopúmve,aut duri miles Vlyssi,
Temperet à lachrymis?

Myrmilon,histrionis nomen est apud Iuuenalem, Aut Myrmilonem exprimat infans.

Myron,teste Plinio lib.34.cap.2,statuarius Eleutheri filius,& Hegesiladis discipulus Syracusanus,cuius vacca multorum poetarum epigrammatis celebratur. Alter Atheniensis fuit,vt scribit Pausanias.

Myrrha,filia Cinaræ regis,quæ nefando sui patris amore capta, nutricis auxilio,cum illo ignorante quòd filia sua esset,concubuit. Postquam verò pater filiam esse resciuit,eam gladio voluit occidere.Sed Myrrha fugiēs per Arabiam,mutata fertur in arborem sui nominis.genuit quoque filium nomine Adonidem.

Myrsinus,Homero ciuitas est in Peloponneso.

Myrsus,teste Herodoto,pater Candaulis Sardium tyranni,à quo & Myrsilus dictus est.

Myrtilus, auriga OEnomai regis Elidis & Pisæ à Pelope in mare proiectus,vnde pelagus Myrtoum dictum est.

Myrtoum mare,à Myrtilo dictū,iacet inter Cretam & Atticam, habétque latitudinem maximam in quo sunt insulæ,Cythera,Ca-

lauria,& quæ AEginã cingunt & Salaminem,& ex Cycladibus plerǽque:quod vero cõtiguũ est, iam AEgeũ existit. Author Strabo.

Mysia, prouincia est Phrygiæ adiacens Hellesponto, teste Plinio lib.5.conterminam habet AEoliã,in qua ciuitas est Mœsia:dicente Seruio in primum Georg. Mysia,prouincia est: Mœsia verò, ciuitas haud longe à Troia: quã magis debemus accipere propter Gargara montes Phrygios.Et declarante hunc locum Georgic.1,

-nullo tantum se Mœsia cultu
Iactat:& ipsa suas mirantur Gargara messes.

Mystillus,coquus est apud Martialem,

Si tibi Mystillus coquus AEmiliane vocatur,
Dicetur quare non Taratalla mihi?

N A

NABATHAEA,regio est quæ ab Arabia incipiens,quam intra se cõtinet vsque ad mare rubrum, ex latere dextro,atque ex superiori parte in Indicum protenditur.Inde Nabathæus adiectiuum.Ouidius lib.Metamor.1,

Eurus ad Auroram Nabathæáque regna recessit. Eadem olim mittebat elephantes,vt est author Iuuenalis.

Nabius,Tarraconensis Hispaniæ fluuius Ptolemæo lib.2. cap.6. Narium dicit Mela.

Nabriassa,Ptolemæo libro 2. cap.4.aliis Nebrissa:hodie Veneria cognominata:Hispaniæ ciuitas est.

Nagnia,Vilumbrorum vrbs in Italia,Ptolemæo lib.3.cap.1.prius Nequinum,Narnia hodie,vulgo Narni.

Nagnata, Hyberniæ vrbs insignis apud Ptolemæum lib.2.cap.2. Magnata legimus in codice manu scripto.

Naiades,nymphæ sunt fontium vel fluminum.

Naim,ciuitas Galilææ,duobus millibus distãs à monte Thabor. quo nomine significatur pulcher siue decorus.

Nais,nomen nymphæ aquaticæ: à νάω,id est fluo. Est & nomen fluuii,qui ex Tauro nascens in Pontum mergitur.

Namnitæ Ptolemæo libro 2. cap.8, alio nomine Nannetes dicti: quorum ciuitas Condiuincum,vulgo Nantes.

Napæi,Plinio lib.6.cap.7,populi in Lesbo.

Napeæ,nymphæ sunt fontium,vt scribit Seruius:Nymphæ(inquit) montium, Oreades dicuntur: syluarum, Dryades: quæ cum syluis nascuntur,Hamadryades:fontium,Napeæ,vel Naiades:maris verò Nereides.

Napitæ, populi in Scythia, quorum caput vicus Napis: qui & Napatæ nominantur.

Nar, fluuius Vmbriæ, qui Narniam vrbem præterfluit. Vide Plinium lib.3.cap.5.

Narane, fluuius Dalmatiæ ab Epidauro nõ distans amplius centum millibus passuum.

Narbonensis prouincia, vt ait Plinius lib.3.cap.4, appellatur pars illa Galliarum, quæ interno mari alluitur: Braccata antè dicta, à vestium habitu: quũ reliqua, à nutriendi capilli studio, Comata diceretur. quanquam sunt qui toti id nomen Galliæ tribuãt. Amne Varo ab Italia & Alpibus discernitur: à reliqua verò Gallia, montibus Gebenna & Iura: agrorum cultu, virorum morúmque dignatione, amplitudine opum nulli prouinciarum postferenda. De hac vide Melam lib.2.cap.5.& Strabonem lib.4.

Narcissus, fuit Cephisi fluuii ex Lyriope nympha filius formosissimus. de quo Ouidius 3.Metam. Huius etiam meminit Statius libro 7 Thebaidos. Fuit & Narcissus, Claudii imperatoris libertus, potentissimus sanè apud principem.

Narna, vel Narnia, authore Strabone lib.5, Vmbriæ ciuitas, per quam Nar labitur, à quo & nomen accepit.

Narona fluuius Dalmatiæ, Ptolemæo lib.2. cap. 17. Melæ Nar dicitur. hodie Narenta.

Narses Eunuchus, Iustiniani principis cubicularius: bibliopola prius: deinde ob animi virtutem patriciatus honore auctus, vir religione pietatéque præditus. Is in locum Belisarii ducis in Italiam missus, decem annos variis euentibus pugnauit. De quo vide apud Volaterranum.

Narycium, oppidum Locrorum vetustissimũ, vnde Aiax fuit. & Narycii populi, de quibus Virgilius 3.AEneid.

Hic & Narycii posuerunt mœnia Locri.

Abundant autem pice optima, vt testatur Virgilius Georg.2.

Et iuuat vndantem buxo spectare Cytorum,

Naryciæque picis lucos.

Nasamones, populi sunt in Libya, iuxta Syrtes, spoliis naufragorum viuentes, vt scribit Herodotus lib.4. Horum etiam meminit Lucanus lib.8.& Plinius lib.5.

Nasica, nobilis Romanus Gracchum seditiosum virum occidit. Meminit huius Cicero 1.Tuscul.quæst.

Nasiũ, Ptolemæo authore lib.2.cap.9. Galliæ Belgicæ vrbs. Vulgo Nanse, Nanci.

Nastes, fuit frater Amphimachi, vnus ex his qui in auxilium Troianorum venerunt, teste Homero lib. Iliad.2.

Natiso, Venetiæ fluuius Ptolemæo lib.3.cap.1. Vulgo Lisontio.

Naualia, Ptolemæo lib.2.cap.11. vrbs Germaniæ: vulgò Schuuol.

Naucratis, oppidum AEgypti, cuius incolæ Naucratitæ dicuntur. Vide Strabonem lib.17.

Naulium, ciuitas in Liguria, portu ac turribus inclyta. Et vadorum Sabatiorum portus, à quo decem millibus distat Sabatia.

Naupactus, hodie Lepanthum per Turcas Venetis ereptum. oppidum fuit Achaiæ apud Locros. Ptolem.lib.3.cap.15.

Nauplius, pater Palamedis, qui cum intellexisset Diomedem & Vlyssem naufragio liberatos (in quos tamen hoc malum per insidias machinabatur) seipsum præcipitem dedit. Seneca,

Igne fallaci moriturus Argis
Nauplios præceps cadit in profundum.

Nausica, vel Nausicaa, fuit Alcinoi Phæacũ regis filia, cuius meminit Martialis,

Si mihi Nausica patrios concederet hortos,
Alcinoo possem dicere malo meos.

Nausimenes, vir Atheniensis, cuius vxor cum liberos in incestu deprehendisset, indignitate facinoris perterrita vocem amisit.

Nausithous, fuit Neptuni filius ex Peribœa, Eurymedontis filia, ac Homero teste libro septimo Odysseæ, Alcinoi Phæacum regis pater.

Naxos, insula in mari AEgæo, antea Strongyle dicta, vini fertilitate insignis, vt scribit Plinius lib.4.cap.12. Est item Plinio lib. 3.cap.8, nomen oppidi.

N E

Neæra, nomen est fœminæ quæ peperit Soli duas filias, Phaetusam & Lampetiam, quæ armenta Solis transeunte Vlysse iuxta Siciliam ostendebat. Virgilius in Bucolicis,

-ipse Neæram Dum fouet, &c.

Nealces, pictoris nomẽ, qui Venerem pinxit, Naumachiam AEgyptiorum & Persarum. Item asellum bibentem in litore, & crocodilum ei insidientem.

Neapolis, insignis vrbs Italiæ in Lucania, aliquando Parthenope dicta, Maronis tumulo clara. Est & Neapolis, Africæ oppidum, vt scribit Pomponius Mela lib.primo. Est item eius nominis Cariæ vrbs ad Iasium sinum, eodem authore. Neapolis, quæ & Leptis magna Ptolemæo lib.4. cap.3. vrbs Syrtis paruæ, vulgo Tripol: in Barbaria regia ciuitas. Neapolis colonia Ptolemæo lib.4. cap.3, vrbs Africæ, Maometta vulgo.

Nearchus, iuuenis fuit eximiæ pulchritudinis, cuius etiam formam commendat Horatius lib.3. Carminum his versibus,

Fertur & leui recreare vento
Sparsum odoratis humeris capillum:
Qualis aut Nireus fuit, aut aquosa
Raptus ab Ida.

Nebis, apud Ptolemæum lib. 2. cap. 6, Tarraconensis Hispaniæ fluuius: Benis Straboni dictus.

Necos, fili⁹ fuit Psammitichi & AEgypti rex, cui filius Psammis in regno successit, teste Herodoto lib. 2.

Necropolis, vrbs est AEgypti, distans ab Alexãdria x x x stadiis, vbi Cleopatra anguibus admotis vberibus, se extinxit, ne in triumpho duceretur ab Augusto.

Nele⁹, fuit rex in Pylo, teste Homero in 11 Odysseæ: habuit vxorẽ Chlorim, ex qua genuit Nestorẽ, qui à poetis Neleides dicitur.

Nemausus, Galliæ Narbonensis ciuitas, Aricomiscorum metropolis, & omnium in eo tractu clarissima olim: quatuor enim & viginti vicos eiusdem nationis subditos habuit, virorum fortitudine excellentissimos, vt author est Strabo lib. 4. Vulgo Nimes.

Nemæa, Arcadiæ regio est, in cuius regionis sylua Hercules leonem occidit Nemæum.

Nemertes, nympha Marina, dicta quasi incorruptibilis.

Nemesis, dea vltionis & indignationis, & quæ de fœlicitate superbientes vlciscitur. Ea quoque Rhamnusia dicitur, quòd in Rhamnunte Asiæ oppido, templum & simulachrum Phidiacum habuerit. Ouidius lib. 3. Metamor.

Dixerat, assensit precibus Rhamnusia iustis.

Nemetobriga Ptolemæo libro 2. cap. 6, Hispaniæ Tarraconensis vrbs: vulgo Valdenebro.

Neobole, Lycambis filia, quæ quòd Archilocho poetæ promissa negaretur, Iambis insectari cœpit Lycambem Archilochus.

Neocles, philosophus Atheniensis, frater Epicuri, scripsit de secta sua. Diogenes Laertius.

Neodunum, Ptolemæo lib. 2. cap. 8. Galliæ Ludgdunensis ciuitas, vulgo Leondoul. Scribitur & Nœodunum.

Neoptolemus, filius fuit Pyrrhi, ex Deidamia: alio nomine Pyrrhus, à qualitate capillorum dictus, vt est author Seruius.

Nephele, siue Neiphiles Bocatio, vxor fuit Athamantis, ex quo Hellen & Phrixum suscepit.

Nepeta, Tuscorum vrbs Ptolemæo lib. 3. cap. 1. hodie Nepa.

Neptunus (inquit Tortelius) à nando, primis literis immutatis, deducitur: fuitque Saturni filius ex Ope. De eodem Varro de lingua Latina sic ait, Neptunus est deus maris, vel ipsum mare, quod ter-

ras nubat,id est cooperiat.

Nereus fuit, vt testis est Hesiodus in Theogonia, marinus deus, Oceani & Tethyos filius,ac Chorim sororem,vxorem accepit, ex qua nymphas plures genuit. hunc omnium antiquissimum dixit Orpheus in Argonautica.

Nereides, patronymicum à Nereo deductum, & significat filias Nerei,quæ nymphæ fuerunt æquoreæ.Martialis lib.1,

Lusit Nereidum docilis chorus æquore toto. Ouidius epistola 5,

Vtque celer venias,virides Nereidas oro.

Nerio,Nerienis,Martis vxor.Plau.in Trucul.Mars peregre adueniens salutat Nerienem vxorem suam.

Neritos,teste Plinio lib.4.cap.12, mons est in Ithaca insula.quod nomen pro tota insula quãdoque capi videtur.Virgilius 3.AEneid.

Iam medio apparet fluctu nemorosa Zacynthos,

Dulychiúmque,Saméque,& Neritos ardua saxis. Huius meminit & Pomponius lib.2.

Nerium, Ptolemæo lib.2. cap.6, promontorium Tarraconensis Hispaniæ:Artabrorum promontorium alio nomine.

Nesi, populi in Scythia Europæ optimis quondam equis abundantes.Vide Plinium lib.6.cap.20.

Nessus,Bocatio,vnus ex Centauris ab Hercule occisis.

Nestor,teste Homero lib.Odysseæ 11,Nelei filius ex Chlori vxore:qui,vt idem Homerus in secũdo Iliados scribit,cũ quinquaginta nauibus ex Pylo contra Troianos venit:quanquam trecentesimum annum ageret,ipso dicente apud Ouidium 12.Metamor.

Vix annos bis centũ,& nunc tertia viuitur ætas. Item Iuuenalis,

Rex Pylius,magno si quicquam credis Homero,

Exemplum vitæ fuit à cornice secundæ.

Nestus, fluuius est Thraciæ à Strymone secus Abderam vrbem fluẽs. Vt Diomedis fabulis infamis est, ita Democriti patria,quam præterfluit,clarus. Diomedis,qui hospites apud Nestum equis suis deuorandos dabat, meminit Hesiodus in Theogonia. Meminit & huius Plinius multis in locis.

Neuceria,vrbs est Vmbriæ.

Neuius,poeta comicus,epigramma sibi posuit plenum superbiæ Campanæ,

Immortales,mortales si foret fas flere,

Flerent diuæ camœnæ Neuium poetam:

Itaque postquam Orci traditus est thesauro,

Obliti sunt Romæ Latina lingua loquier. Author Gellius lib.1. cap.24. Varro autem in libro de poetis, dicit eum stipendia se-

cisse primo bello Punico, idque bellum carmine scripsisse.

Neuola, flumen est in Sentinati agro.

Neuri, populi Scythiæ Europæ Plinio lib.4.cap.12.

N I

Niæthos, fluuius est apud Theocritum, quem enarratores ipsius dicunt esse in Sicilia.

Nicæarchus, pictor fuit sua ætate eximius. hic inter alia Venerē, inter gratias & Cupidinē pinxit: & Herculem tristem insaniæ pœnitentia. Author Plinus lib.35.cap.11.

Nicandrus Colophonius, grammaticus & poeta, & medicus tempore Attali iuuenis illius qui Gallogræcos vicit: scripsit de Theriaca contra venenum: De agricultura. Curationum collationes, Prognostica Hippocratis versibus edidit, aliáque complura. Author Suidas. De quo Cicero de oratore sic scribit, Nicandrus homo ab agro remotissimus, de agricultura tamen diligentissimè scripsit, tanta vis est eloquentiæ.

Nicanor, Alexandrinus grammaticus, sub Adriano principe æqualis Hermippo Berytio. Author Suidas.

Nicea, vrbs Bithyniæ metropolis, vt author est Strabo lib.4.

Nicetes Smyrnæus, sophista Adriano principi gratiosus, ab eoq; musæo AEgyptio adscriptus fuit. Quū causas tentaret, foro etiam aptissimus videbatur. Adeò ingenium ad vtrâque dicendi rationem accommodauit, vt iudiciale sophistica quadam facultate exornauerit, sophisticum verò & vmbratile forensibus aculeis roborauerit: genus dicendi antiquum & politum retinuit. Lasciuus nihilominus, & dithyrambicus visus. Ex Philostrato.

Nicias Atheniensis, genere clarus. Aristoteles scribit tres viros Athenis eodem tempore æquè potentes fuisse, Niciam Nicerati, Thucydidem Milesium, & Theramenē Agnonis. Thucydides his natu aliquantulum maior, multa cum Pericle clara pro Republica gessit. Post mortem Periclis ad Niciam primæ partes delatæ sunt. Missus igitur imperator vnà cum Demosthene altero duce contra Syracusanos, qui Gilippum Lacedæmoniorū ducem auxilio accerfiuerant, infœliciter pugnantes ambo à Syracusanis in bello capti sunt, in carcerémque coniecti, sibi manus attulere. Ex Plutarcho. Nicias Marco Crasso ex nostris cōparatur, Plutarcho in Parallelis: quòd & diuitiis abundauerit, & eundem ferè exitū hic apud Siculos, ille apud Parthos inuenerit. Nicias alius Atheniēsis pictor, qui, teste Plinio lib.35.cap.11, diligentissimè mulieres pinxit: lumen & vmbras custodiuit: atq; vt eminerēt è tabulis picturæ maximè curauit. Hic etiā in artem tanta contentione animi incubuisse dici-

tur, vt cibum sumere sæpe oblitus sit. AElianus de varia historia.

Nicias, Pyrrhi medicus, qui olim ad Fabritium veniēs, ei promisit Pyrrhum veneno necaturū. At ille auersatus facinus, Pyrro rescripsit vt à Nicia sibi caueret. Curtius. Nicias grammaticus Romæ, familiaris Pompeio & Ciceroni, qui eius in epistola quadam ad Atticum meminit: item in epistola ad Dolobellam. Trāquillus.

Nico fuit vnus ex tredecim principibus Tarentinorū, qui coniurarunt in Annibalem: tandémque comprehensus cum Philomene, ad Annibalem deductus est. De quo Liuius decadis .3.

Nicocreon, Cypriorū tyrān⁹, de quo in dictione ANAXARCHVS.

Nicomachus. Nicomachos sex tradit Suidas: Primùm ex Alexandria Troadis, poetam tragicū qui scripsit tragœdias vndecim. Secundū, Atheniēsem item tragicū qui vicit Euripidē & Theogenē. Nicomachum item medicū, Machaonis filiū, AEsculapii nepotem, qui scripsit de medicina libros sex, & in philosophia vnū. Reliquos duos, patrem & filium Aristotelis ponit, ambos medicos: quorū filius scripsit commentarios in Physicam patris. Sextum Nicomachum addit Plinius pictorem, Aristodemi filium & discipulum, qui pinxit raptum Proserpinæ. quæ tabula fuit Romæ in delubro Mineruæ in Capitolio supra ædiculā Iuuentutis, Scyllámque quæ erat in templo Pacis. Author Plinius lib.35.cap.2.

Nicomedes, fuit rex Bithyniæ, à quo Nicomedia, ciuitas Bithyniæ dicta. Strabo.

Nicomedia, Bithyniæ vrbs Ptolemæo lib.5. cap.1. Turcis hodie Nichor. Nautis vulgo Comidia.

Nicophanes, pictor elegans & concinnus, ita vt vetusta opera pin geret propter æternitatem rerū: impetuosi animi, & cui pauci com parentur. Cothurnus ei, & grauitas artis. Plinius lib.35.cap.10.

Nicopolis, ciuitas Epiri, à victoria Augusti sic appellata, quia Cleo patram & M. Antonium apud Actium bello superauit.

Nicostrata, mater Euandri Arcadis, futurorū vaticinatrix, quæ à carminib⁹, quibus Phœbi oracula significare volebat, Carmētis Latinè dicta fuit: vel, vt alii nōnulli voluerūt, à Carpēto quo vtebatur.

Nicostratus Macedo, orator inter decem secundos, tempore M. Antonii & Dionis Chrysostomi, & Aristidis oratoris æqualis: scripsit nonnulla, vt author est Suidas. Fuit item alter Nicostratus, poeta comicus, cuius meminit Athenæus in Dipnosophistis. Nicostratus citharœdus, & Laodocus, quū inter se concertarent: dixit Nicostratus Laodocū esse in magna arte paruum, se autem in parua magnum: satiúsque non domum diuitiis, sed artem studio & diligentia augere. AElianus de varia historia.

Nigir, Ptolemæo lib.4. cap.5, Libyæ inferioris fluuius eiusdem cum Nilo naturæ. Hodie fluuius de Senega.

Nigris, AEthiopum fluuius, eiusdem cũ Nilo naturæ: calamum enim & papyrum, eiusdémque gignit animãtes, & iisdem temporibus augescit. Author Plinius lib.5.cap.8.

Nilus, AEgypti fluuius, in quo vnicam spem suam AEgyptus habet, vt ait Seneca. nam sterilis aut fertilis annus est, prout ille magnus influxit, aut parcior. Inde est vt nemo aratorum in AEgypto cælum suspiciat: quod ex Seneca depromptum eleganter Claudianus huiusmodi verbis reddidit,

Fœlix qui Pharias proscindit vomere terras,
Nubila non spectat, tenebris condentia cælum:
Nec grauiter flantes pluuiali frigore Cauros
Inuocat, aut arcum variata luce rubentem.
AEgyptus sine nube ferax, imbrésque serenos
Sola tenet, secura poli: non indigua venti
Gaudet aquis quas ipsa vehit, Nilóque redundat.

Nilus autem dictus, quasi νέαν ἰλύδα, id est nouum limum trahens, vt Seruius Georgic. nono & quarto scribit. A Nilo, Niliacus dicitur. Martialis,
Niliacis primùm puer hic sit natus in oris.

Nimblis, insula non longe à Gyaro, quam Callimachus Agathirsam vocat.

Niniue, vrbs Assyriorum, à Nino rege sic dicta. Est & Niniue, ciuitas Iudæorum in Arabia.

Ninus, filius Beli, primus Assyriorum rex. Nam Belus solam habuit Babylonem: Ninus verò totam Assyriam. Ninus item, Assyriæ vrbs iuxta Tigridis amnis partem, Ptolemæo authore: alio nomine Niniue, quæ Ionæ prophetæ prædicationem audiuit. Nunc vastata tota est, vt tradit Haitonus lib. de Tartaris cap.11.

Niobe, filia Tantali, & soror Pelopis, vxórque Amphionis. Hæc, teste Diodoro Siculo lib.5. filios VII, & totidẽ filias peperit, summo decore præstantes: vnde tali prole superbiens admodum gloriabatur, se Latonæ præferens numero filiorum: itáque ira motam fabulæ Latonam ferũt Apollini & Dianæ, vt Niobis filios & filias arcu interficerent, mandasse: quibus matri obtemperantibus, contigit eodem tempore & abundare filiis Niobem, & carere. De qua vide apud Ouidium lib.6. Metamor.

Niphates, maioris Armeniæ fluuius est supra Assyriam, vt docet Strabo libro vndecimo. Huius meminit & Lucanus,
Armeniúsque tenens voluentem saxa Niphatem.

Niphæus, viri propriũ ab equis interfecti apud Virgilium in 10.

.quin ecce Niphæi
Quadriiuges in equos, aduersáque pectora tendit:
Atque illi longè gradientem, & dira frementem
Vt videre, metu versi, retróque ruentes,
Effundúntque ducem, rapiúntque ad littora currus.

Nireus, Charopi & Aglaiæ filius, Græcorum omnium, teste Homero, qui ad Troiam nauigauerunt, formosissimus. Ouidius libro quarto de Ponto,
Tam mala Thersiten prohibebat forma latere,
Quàm pulchra Nireus conspiciendus erat.

Nisa fuit, teste Homero lib. Iliados 2, vrbs Hellados. Est etiam nomen fœminæ, de qua Virgilius in Damone,
Mopso Nisa datur: quid non speremus amantes?

Nisæe, Nymphæ propriū, cuius meminit Virgilius lib. AEneid. 5,
Nisæéque, Spióque, Thaliáque, Cymodocéque.

Nisæus, mons in Media, in quo pulcherrimi nascuntur equi.

Nisus, rex Megarensium, pater fuit Scyllæ, contra quos dum pugnaret Minos, deuictis Atheniensibus, propter filii Androgei interitum, quem Athenienses & Megarenses dolo necauerant, amatus est à Scylla Nisi filia: quæ vt hosti posset placere, comā purpuream parenti abscissam ei obtulit: quam Nisus ita habuerat cōsecratam, vt tandiu regno potiretur, quandiu illam habuisset intactam. Postea & Scylla à Minoe contempta, dolore in auem conuersa est, & Nisus extinctus deorum miseratione, in auis mutatus est formam: quæ aues hodie magna inter se flagrant discordia. Hæc Seruius. Virgilius Georgic. 1,
Apparet liquido sublimis in aere Nisus:
Et pro purpureo pœnas dat Scylla capillo.
Quacunque illa leuem fugiens secat æthera pennis:
Ecce inimicus atrox magno stridore per auras
Insequitur Nisus, &c. Fuit & Nisus, Euryali amicus, apud Virgilium libro 9.

Nisyros, insula est inter Cycladas numerata, celsa, saxosa, & molendinariis abundans lapidibus. In ea Neptuni aliquando templum & subtus iacens Palybotes, gigas à Neptuno victus, vt veteres tradidere fabulæ. Nam thermas habet abundè scaturientes. Strabo libro decimo.

Nitria, AEgypti regio, & nomē duarū vrbiū supra Memphim.

N O

Nœmagus, Ptolemæo lib. 2. cap. 10, Galliæ Narbonensis vrbs. Vulgo Nion, prope Gebennam.

Noes, fluuius eſt Thraciæ qui in Iſtrum defluit, teſte Herodoto libro 2.

Nola, vrbs Campaniæ, quæ prius Sidicinum dicebatur, vt ſcribit Plinius cap.5.lib.3.

Nomades, Scythiæ gens, nunc Tartari dicuntur: iuxta quos Sauromatas locat Plinius. Meminit horum Strabo lib.11.

Nomentum, oppidum in Latio nõ procul ab vrbe Roma. Mart. Si vicina tibi Nomento rura coluntur. Hinc etiam Nomentana via, Romæ, qua itur Nomentum. Et Nomẽtani, qui Nomentum habitant. Dictum Nomentum à Nomento conditore.

Nona, vna ex Parcis: Latini Nonam, Decimam & Nortam Parcas dixere. de quibus Gellius lib.3.cap.16.

Nonacris, Arcadiæ fons qui habet in montibus ſtillantes è ſaxo frigidiſſimos humores. Hæc autem aqua ſtygoſ hydor appellatur, in qua neque argenteum, neque æneum, ne que ferreum vas poteſt ſubſiſtere, ſed diſſilit ac diſſipatur. Conſeruare autem eam, & continere, niſi vngula mulina poteſt. Hinc fit Nonacri⁹, Nonacria, Nonacrium. Ouidius in Faſtis.

Norba Cæſarea, Luſitaniæ vrbs, Ptolem. li.2. ca.5. vulgo Alcãtar.

Noricum, Europæ regio, Dalmatiæ contermina, atque mari Ionio. De qua ſic meminit Virgilius in fine lib.3. Georg.

Tum ſciat aereas Alpes, & Norica ſiquis
Caſtella in tumulis, &c. Noricum, hodie Bauariam dicunt.

Normandia, regio Galliæ vltra Sequanam flumen, quæ à Carolo Magno deuicta, fidem Chriſtianam ſuſcepit.

Noruegia, regio in Europa, Septentrionalis, verſus Oceanum Germanicum ſita.

Notium, teſte Homero lib. Iliad.2. vrbs eſt in AEolia. Eſt & Notium, Hyberniæ promontorium Ptolemæo libro 2. cap.2. vulgo Cabo de Mar.

Notus, ventus eſt Meridionalis, nebulóſúſque & humectans, vt author eſt Gellius.

Noua mœnia, Sarmatiæ vrbs in Europa, Ptolemæo lib.3. cap.5. Hodie Album Caſtrum: vulgo V ueiſſemburg.

Nouellus, Mediolanenſis quidam fuit temporibus Tyberii Cæſaris, qui geſtis honoribus à prætura ad conſulatum vſque peruenit, & Tricongius cognominatus eſt, quòd tres congios vini vno impetu epotauerit.

Nouenniæ, ciuitas Thraciæ, quæ & Amphipolis dicitur.

Nouium, Ptolemæo lib.2. cap.6. Tarraconenſis Hiſpaniæ vrbs: vulgo Noia.

Nouius, fluuius Britanniæ, authore Ptolemæo lib.2.cap.3. vulgo Cloit.

N V

Nuceria, vrbs est Campaniæ, nouem millibus passuum à mari distans. Cuius meminit Silius. Nuceria itē Colonia, Vmbrorum vrbs Ptolemæo lib.3.cap.1. hodie Alphatenia.

Numa Pompilius, vir Sabinus, Romanorum rex, secundus à Romulo, iustitia & pietate insignis, qui pacatis finitimorum odiis, plurimum ad deorum cultum contulit, & religionem: multas item superstitiones inuexit. De hoc vide Liuium & Plutarchum.

Numana, oppidum est Piceni in Italia, vt scribit Pōponius Mela libro 2.

Numantia, vrbs Hispaniæ in Celtiberia, quæ à Romanis obsessa per annos XIIII, cum haberet tātum quatuor hominum millia, non solum sustinuit, sed etiam vicit quadraginta millia Romanorum: tandem tamen à Scipione posteriore post longam & arctissimam obsidionem deleta. Cum enim fame laborarent, nec eis daretur iusti certaminis copia, omnia sua & seipsos igni immiserūt. Vide Florum lib.2.

Numicus, ingens fluuius fuit in Latio: in quo repertum est cadauer AEneæ & consecratum. Pōst paulatim decrescēs, in fontem redactus est: qui & ipse siccatus est sacris interceptis. Vestæ enim nōnisi de hoc fluuio libari licebat. Hæc Seruius in illud Virgilii 7. AEneid. Hæc fontis stagna Numici.

Numidia, regio late potens in Africa, dicta est à dictione Nomades, quos Romani Numidas appellant. Hinc Plinius libro 5. cap.3. Numidæ verò Nomades, à permutandis pabulis: mapalia sua, id est domus, plaustris circunferentes. Vagabundis populationibus enim, vt in Sarmatia Hamaxobitæ, errantes, & rei pecuariæ dediti, nomen hoc indepti sunt à Græcis: quibus νομεύω, pasco significat. Numidia habet ab ortu Syrtes quasdā paruas: vnde regio Carthaginensis incipit, à Septentrione mare quod versus Sardiniam tendit ab occasu Mauritaniam, & à meridie AEthiopiam: nec præter marmoris Numidici, ferarúmque prouentum aliud insigne habet. Sunt in ea claræ vrbes, Hippon & Rhegium.

Numitius, amnis est, non longe à Lauinio.

Numitor, filius Procæ Albanorū regis, & Amulii frater: Rheam Syluiam filiam habuit, quā Amulius pulso Numitore fratre Vestalem virginem fecit, ne tandem sobolem haberet, quæ patruum vlcisceretur. Vide Liuium libro primo.

Nursia, Sabinorum ciuitas, authore Ptolemæo lib.3.cap.1. Hodie Norcia. Nursia item, Piceni ciuitas, à Virgilio frigida dicta, aut re

veraraut certe venenosa, nocens. Gracchi nanque vbique in concionibus suis Nursinos sceleratos appellauerũt: & scimus amarè Virgilium historiarum rem per transitum tangere. Verba Seruii ad illud Virgilij 7. AEneid.

-quos frigida misit
Nursia, & Hortinæ classes, populíque Latini.

N Y

Nyctileus, epitheton fuit Bacchi, ab eius sacris, quæ nocte celebrantur, acceptum. vnde Ouidius lib. I. de arte amandi,
Nyctileúmque patrem, nocturnáque sacra precare. Virgilius in Georgicis nocturnum appellauit,
Inter sacra deûm, nocturníque Orgia Bacchi.

Nyctimene, fuit puellæ nomen, quæ cum patre concubuit, & facti pœnitentia ducta, aufugit in syluas, & in noctuam mutata est, quæ nonnisi de nocte volat. Vide Ouidium lib. 2. Metamor.

Nyctorix, regina Babyloniæ: quæ, teste Herodoto lib. primo, post Semiramim regnauit sola. Apud ipsum Herodotum scribitur Nitocris.

Nympheus, Italiæ fluuius iuxta Velitras: & Nympheum, Proconnesi promontorium. Author vtriusque Raphael Volaterranus. Nympheum montem semper ardere, eiúsque craterem bitumen egerere omnium dilutissimum, Strabo author est lib. 7.

Nysa, vrbs Arabiæ, apud quam, vt Diodorus ait, Bacchus à Nymphis educatus fuit: vnde & Nisæus dictus est. Nysa item non tam mons quàm ciuitas in India est, à Libero patre, vt scribit Strabo, condita, carminibus poetarum celebratissima. Vide Strabonem lib. 15, & Herodotum lib. 2. Alia est Nysa in Bœotia apud Homerum: apud Plinium in Caria: apud Strabonem vicus etiam in Helicone: apud Ptolemæum in Lycia & Ionia: & apud Stephanum in Thracia.

Nysæa, teste Herodoto & Curtio, vrbs clarissima in India, à Libero patre condita, sub radicibus montis quem Neron vocant.

Nysirus, penult. correp. insula, in qua est vrbs eiusdem nominis. Homerus, Qui Nysiron habitãt celsam, Crapotámque, Casónque, Hæc non longè distat à Coo. In ea fiunt optima vina.

O A

OAXIS, fluuius est Cretæ insulæ, dictus ab Oaxe filio Apollinis. At Seruius putat esse fluuium Mesopotamiæ, quem non sequuntur alii Virgilii enarratores.

Oaxus, ciuitas Cretæ, ab Oaxo Acallidis filiæ Minois filio: vel à situ loci, quòd loca prærupta Cretenses ὄξος vocent. Herodotus quo-

que Oaxum vrbem Cretæ facit,in qua Etearchus pater Phronimæ matris Bacchi regnauit,qui Cyrenem Libyæ vrbem ædificauit.

O B

Obris,nomen fluuii.Pomponius lib.2, Secundum Bliteros Obris fluit.Hunc Ptolemæus Obriū vocat.

O C

Ocalee,Bœotiæ ciuitas,teste Homero lib.2.Iliad.

Oceanus, est mare quod vniuersam terram circuit,à Græcis sic à celeritate dictus,vt refert Solinus,ab ὠκὺς quod velocem significat, Et à terris propinquis denominatur, vt apud Britanniam, dicitur Oceanus Britannicus: apud Gades, Gaditanus: apud Indiam,Indicus.De quo plura apud Plinium lib.3,& Solinum,& Melam lib.3.

Ocelum, Hispaniæ Tarraconēsis vrbs Ptolemæo lib.2.cap.6,vulgo Otero de rey.

Ochesius, AEtolorum dux,vir longè præstātissimus, qui in bello Troiano interemptus est.Author Homerus.

Ochus, fluuius, qui in Indiæ montibus ortus, per Acarnaniam fluit,Plin.lib.6.cap.16. Idem lib.31.cap.7,Præterea apud Bactros amnis Ochus & Oxus,ex oppositis mōtibus deferunt salis ramēta.

Ociroe,teste Hesiodo in Theogonia,nympha,Oceani & Tethyos filia.

Ocnus, is est(inquit Seruius)quem in Bucolicis Virgilius Bianorem dicit,Mantuæ conditor.

Ille etiam patriis agmen ciet Ocnus ab oris
Fatidicæ Mantus,& Tusci filius amnis,
Qui muros,matrisque dedit tibi Mantua nomen. AEneid.lib.10.

Ocrinum,Britanniæ promontorium,teste Ptolemæo lib.2.cap.3. quod vulgo Mons sancti Michaelis.

Octauia,gens à Velitris originem accepit,quam assentationis gratia,propter Augustum excellere dixerunt.Ipse autem Augustus nihil amplius quàm equestri familia ortum se scribit,vetere ac locuplete, & in qua primus senator suus pater fuerit. M. Antonius libertinum ei proauū exprobrat Restionem è pago Turino, & auum argentariū.Ex Tranquillo.Cicero in epistola quadā eum nepotem argentarii,& filium adstipulatoris vocat.Vtcunque,constat Augusti patrem honestissimum virum fuisse,magnáque laude Macedoniam prouinciam administrasse, ex ipsius etiam testimonio Ciceronis,quo ad Q.fratrē scribens hortatur,vt in promerēdis sociis vicinū suum Octauium imitetur. Q.Octauius à Lucio Cinna suo collega interfectus.Pædianus. Octauius Auitus & Poetelius Faustinus, furta Virgilii adnotarunt, notantes vnde quæque carmina

surriperentur,vt ait Seruius.Fecit & hoc idem Macrobius.

Octodurum,Ptolemæo lib.2.cap.6.Campus Gotorũ alio nomine.Vulgo Toro:Hispaniæ Tarraconensis vrbs.

Ocyalus,vnus ex Phæacibus, tempore Alcinoi regis, vt ostendit Homerus lib.7.Odyss.

Ocypete, vna Harpyiarum.

Ocyroe, nympha,Oceani & Tethyos filia, vt scribit Hesiodus in Theogonia.

Ocyron,fluuius est in finibus Arcadiæ.

O D

Odessos, vrbs est in Mœsia inferiori, vt scribit Pomponius Mela libro 2.

Odius,Halizonum dux,quem Agamemnon in bello Troiano interfecit.Author Homerus lib.Iliados 5.

Odrysæ,populus est Thraciæ,vt scribit Plinius cap.11 lib.4.

Odytes,vnus ex Centauris, Ixionis & Nubis filius.

O E

OEa, Africæ ciuitas est, vna ex tribus quæ à numero Tripolim illam Africanam fecerunt.Solinus,Achæi Tripolim lingua sua signãt,de trium vrbium numero,OEæ,Taphræ, Leptis magnæ,&c.

OEagrus,fluuius Thraciæ, à quo Hebrus nascitur, pater Orphei vatis,vt scribit Seruius.

OEanthe,ciuitatis nomen,quæ à quibusdam etiam OEanthea vocatur.Vide Plinium lib.3.cap.3.

OEbalia duplex est:vna quæ & Laconia dicta fuit: & ab OEbalo filio Argulii OEbalia cognominata.De qua Stati⁹ in Achilleide,
Soluerat OEbalio classem de littore pastor
Dardanus. Et Ouidius 5.Fastorum loquens de Castore & Polluce,
Effugere OEbalidæ cursu potuere sequentes. Altera verò in Italia iuxta Tarentum vrbem inclytam Calabriæ,ab OEbalo filio Telonis,vt quidam volunt,cognominatam.Virgilius 4.Georgic.
Nanque sub OEbaliæ memini me turribus altis,
Qua niger humectat flauentia culta Galesus,
Corycium vidisse senem. Est enim Galesus Calabriæ flumen,Tarento proximum,vt scribit Liuius lib.5.de bello Punico.

OEbalus,Argulii filius,rexque Laconiæ, ab se Laconiam prouinciam OEbaliam dixit. Fuit & OEbalus, Telonis regis Capreærum insulæ prope Neapolim filius, & nymphæ Sebethidis. Hæc Seruius apud Virgilium 7.AEneid.
Nec tu carminibus nostris indictus abibis
OEbale,quem generasse Telon Sebethide nympha
Fertur.

OEbaris, nomen viri proprium, teste Tortelio.

OEchalia, pars Laconiæ, propinqua Thessaliæ, quæ OEchaliæ nomen assumpsit à ciuitate eiusdem nominis quæ in illa erat. Ipsa verò ciuitas, teste Homero lib. 2. Iliados, ab OEchaleo fluuio nomen accepit. In hac Eurythus regnauit, qui Herculi filiam Ionam antè promissam denegauit, ideo quòd filius fuerat eum dehortatus, dicens ab Hercule & vxorem & filios esse interemptos. Quare illum & filios interemit, atque OEchaliā eius vrbem euertit, dicente Virgilio 8. AEneid.

Vt bello egregias idem disiecerit vrbes:
Troiámque, OEchaliámque, &c.

OEcirynes, vir Argiuus qui donauit Agamemnonē thorace pulcherrimo, vt scribit Homerus circa initium lib. 11. Iliados.

OEdipus, filius Laii regis Thebani, dum adhuc matris vtero teneretur, & pater Laius Apollinem de nascitura prole consuleret, & ab oraculo percepisset debere se à nascitura prole interfici, natum puerum pastori armentorum suorum occidendum tradidit: qui dum ætatis miseretur, & regium imperium exequi oportet, paruuli pedes gladio perforauit, & vimine suspendit ad arborem quasi inedia moriturū. Quod ipse apud Senecā in OEdipo testatur, dicēs,

Me deo teste damnauit parens,
Calidóque teneros transtulit ferro pedes:
Et in alta nemora pabulū immisit feris.

Sed quum vagitu Phorbantem pastorem Polybii Corinthiorum regis, ad se puer traxisset, ille conscissis vinculis iam tumidum pedibus puerum cuidam largitus est: qui lætus ad Meropem vxorem Polybii regis liberis carētem pro magno munere detulit: illa vnà cum viro tanquam filium cælitus missum paterna charitate suscepit, & à pedum tumore OEdipodem nominauit. Cuius penultima breuis à poetis nostris poni consueuit, & declinatur huius OEdipodis. Hic quum semel Thebas pergeret, Sphinge cōperta, eius ænigma dissoluit, & monstrum interemit. Vnde rerum obscurissimarum interpres postea dictus fuit, vt ille apud Terentium, Dauus sum, non OEdipus.

OEnanthia, vrbs Sarmatiæ in Asia Ptolemæo libro 5. Hodie S. Sophia.

OEneus, Calydoniæ rex de primitiis, omnibus numinibus sacrificauit, excepta Diana, quæ irata aprum immisit, qui cuncta vastabat, donec à Meleagro occideretur. Hæc Seruius.

OEnochema, mons in finibus Africæ.

OEnochonus, teste Herodoto lib. 7, fluuius in Thessaliam defluens, sicut & Peneus.

OEnomaus, filius Martis, rex Elidis, & Pisæ atque Hippodamiæ pater, vt antè scripsimus. Alter fuit Peloponnesius, in bello Troiano ab Hectore interfectus, teste Homero.

OEnone, Nympha Phrygia, à Paride adamata: Ex Ouidii epistola notissima.

OEnopides, nomen viri Mathematici ex Chio insula, Anaxagora aliquanto minor.

OEnops, vir Peloponnesius apud Homerum.

OEnotria, Vide suprà in dictione ITALIA.

OEnotrides, dictæ sunt duæ insulæ, quæ sunt contra Veliam, Pontia scilicet & Iscia. Plin. lib. 3. cap. 7.

OEnotrii, dicuntur Itali ab OEnotro rege Sabinorum.

OEta, mons Doridos, apud Plinium lib. 4. cap. 27. Et lib. 35. cap. 11.

OEtha, mons inter Macedoniam & Thessaliã famosus, marte, rogo, & sepulchro Herculis. Estque Hellebori herbæ fertilis, teste Plinio lib. 25. cap. 5.

OEthyni, populi sunt iuxta Pontum. Perottus.

OEtus, frater Ephialtis gigantis, filius Aloei: quorũ meminit Virgilius 6. AEneid.

Hic & Aloidas geminos immania vidi Corpora, &c.

O G

Ogdolapis, fluuius nauigabilis, ex Alpibus fluens, ad Vrbem irrumpit. Vide Strabonem lib. 4.

Ogdous, AEgypti rex, qui Memphim condidit, vt scribit libro 2. Diodorus Siculus.

Ogyges, rex fuit Thebanorum, sub quo primum omnium diluuium fuisse dixit Varro in prologo libri tertii de re rustica, quã longe antiquiorem vrbana ostendere conatur. Et fuisse tempus ait, quo rura colebãt homines, nec ciuitates habebant. Et subdit, Estque vetustissimum oppidum Bœotiæ Thebæ: quod rex Ogyges ædificauit: peractis iam duobus millibus annorum & centum. Sed vt diuus Augustinus de ciuitate Dei lib. 18. retulit, tempore quo regnabat Ogyges, diluuium magnum factum est: non illud maximum, quo nulli homines euaserunt, nisi qui in arca fuerunt: sed tamen maius, quàm quod postea tempore Deucalionis fuit.

Ogygia, insula est, vt quidam ferunt, Phœnicii & Syrii maris: sic quoque ab Ogygio rege in ea regnante cognominata. De qua Homerus in primo Odysseæ.

Ogyris, Arabiæ fœlicis insula. De qua Plinius lib. 6. sic scribit, Insula in alto obiacet Ogyris, clara Erythro rege ibi sepulto. Rufus ex Dionysio.

Ogyris inde ſalo premit caput, aſpera rupes
Carmanidis, qua ſe pelagi procul inuehit vndis
Regis Erythrei tellus: hic nota ſepulchro
Tenditur, & nudis iuga tantum cautibus horret. Meminit inſulæ perpulchrè lib.9. Curtius.

O I

Oicles, filius fuit Antiphatis filii Melampi, Homero lib.15. Odyſſeæ. Idem fuit pater Amphiarai Argiui vatis.

Oile⁹, fuit Locrorū rex, & pater Aiacis Oilei, teſte Virgilio 1. AEnei.
-Pallăſve exurere claſſem
Argiuûm, atque ipſos potuit ſubmergere ponto,
Vnius ob noxam, & furias Aiacis Oilei?

O L

Olbia, ciuitas, Ptolemæo libro 5. cap.5, vrbs Galliæ Narbonenſis, Vulgo Eres.

Olcachites, Ptolemæo lib.4. cap.3, Zeugitanæ regionis ſinus, hodie Alcou ciuitas.

Oleaſtrum, Hiſpaniæ vrbs, Ptolemæo authore libro 2. cap.4. alio nomine Oleatro dicta.

Olenos, vrbs eſt AEtoliæ, dicente Seruio, Diomedes habuit ſocios de tribus ciuitatibus quas habet AEtolia, Pleuron, Olenon, Calydona. Hactenus ille. Fuit & Olenos vrbs Bœotiæ, ſic dicta ab Oleno Vulcani filio.

Oliba, Ptolemæo li.2. ca.6, Hiſpaniæ Tarraconēſis vrbs. vulgo Olit.

Olicana, vrbs Britāniæ apud Ptolemæū lib.2. cap.3. vulgo kirkbi.

Oliſippo. Vide OLYSIPPO.

Olympia, vrbs Græciæ, quæ prius Piſa dicebatur, vbi Iupiter Olympius colebatur: à quo Ioue Olympia certamen, accepit nomen. Dicitur etiam Arpina, vt Nicanor ſcribit, à matre OEnomai. Stephanus de vrbibus.

Olympius Myſius tibicen & poeta Melicus & elegiarum, Marſiæ Satyri diſcipulus, qui citharæ legem dedit, modóſque pulſandi reperit & docuit. Floruit ante bellum Troianum, à quo & mons in Myſia nomen accepit. Fuit item alius iunior è Phrygia tibicen tēpore Midæ regis. Suidas. Olympius Nemeſianus, qui vt ait Vopiſcus in vita Cæſarū, ſcripſit Halieutica, Cynegetica, Nautica. Olympius item præſul, nationéque Hiſpanus, inter Chriſtianos cōmemoratur ſcriptores à Gennadio. edidit librū aduerſus eos qui naturæ, nō arbitrio culpam referunt. Olympius etiam exarchorum Italiæ vnus.

Olympus, mōs, cuius vertex vſqueadeo attollitur, vt ſumma eius accolæ cælum vocent: Itáque poetæ Olympū, cælum dicunt. Sunt

autem quatuor montes hoc nomine. Primus mons altissimus inter Macedoniā & Thessaliam, qui tamen Thessaliæ adscribitur. Huius meminit Lucanus, Nubes excedit Olympus. Alter in Gallogræcia. Tertius apud Mysios: ad cuius radices est Prusa ab Annibale cōdita. Quartus ad mare Rubrum in AEthiopia, haud longè ab Heliopoli.

Olynthus, vrbs fuit iuxta Atticam: quæ quum ab Atheniēsibus ad Philippū regem Macedoniæ defecisset, ab illis deinde euersa est.

Olysippo, Plinio lib.4.cap.22, Lusitaniæ vrbs memorabilis, & equarum è Fauonio vento conceptu nobilis.

O M

Ombrici, populi sunt iuxta Illyricum, ex quorum agro, Capris & Alpis fluuii in Istrum cadunt, teste Herodoto lib.3.

Omphale, a correpta, nomen reginæ Lydiæ, cui Hercules propter amorem seruiuit: multísque ab ea muneribus est donatus, quòd ad Sangarim fluuium serpētem multos homines interficientē intermisset. Hæc, vt tradit Donatus in Terētium, ipsum Herculem sibi seruientē etiam ad lanificium compulit: quum ipsa calathum & colū, cultúsque fœmineos, sagittis & claua, leonísq; tegmine mutasset.

O N

Onchiston, locus est in finibus Thebanorū, teste Homero lib. Iliad.2.

Onesicritus, philosophus, & historicus AEgineta: vt autem Demetrio Magnesio placet, Astypalæus fuit, è Diogenis schola. Similitudinem quandam cū Xenophonte habere videtur. vt enim hic cum Cyro, ille cū Alexandro militauit. Xenophon Cyri Pædiam, Onesicritus Alexādri incunabula & originē scripsit. Similiter, & vterque principis sui persequitur laudes: stylus insuper vtriusq; simillimus. Author Diogenes Laertius.

Onesimus Cyprius, seu Spartiata, tempore Constantini magni scripsit in Rhetorica, De statuū differētia, Præexercitatationes, Declamationes, & alia. Suidas.

Onoba, Hispaniæ Beticæ oppidū, prope Iunonis promontorium, Plinio authore lib.3.cap.1, & Pomponio lib.3.

Onobalisturia, Ptolemæo lib.2.cap.4, Hispaniæ vrbs: alio nomine Onaba Lusturia.

Onytes, nomen viri propriū, quod Donatus (inquit Seruius) dicit aut gentile esse, aut patronymicū: sed hoc nō procedit, quia neq; patronymicū in TES exit, neq; Onytes à qua gēte veniat vsquam lectū est. Propriū ergo est, &c. Hæc Seruius enarrans Virgilianū illud lib. AEneid.12, Ille Talon, Tanaínque neci, fortémque Cethegum,
Tres vno congressu, & mœstum mittit Onyten,
Nomen Echionium, matrísque genus Peridiæ.

Oopellum,Britãniæ insulæ vrbs,Ptolemæo lib.2.cap.3. Vxellum aliis dicta,hodie Cestria:vulgo Chestre Vuchestre.

O P

Opheltes,filius Lycurgi à serpēte necatus. Vide HYPSIPHILE.

Ophiogenes,populi sunt in Hellespōto, qui serpentū ictus cōtactu leuāt,& manu imposita venena extrahūt corporib9.Plin.cap.2.li.7.

Ophioneus,Messeniorum vates,qui à natali die captus,publicè & priuatim futura prædicere solitus est.

Ophiuchus, est signū cæleste, quod alii putant Herculem esse,alii AEsculapium. Et interpretatur anguitenens.De quo Cicero ex Arato lib.2.de natura deorum sic scribit,

Atque hæc quidem à tergo.Propter caput autem anguitenens,
Quem claro perhibent ὀφιοῦχον nomine Graii:
Hic pressu duplici palmarum continet anguem,
Eius & ipse manet religatus corpore torto:
Nanque virum medium serpens sub pectora cingit.

Ophiusa,insula,olim Rhodos dicta,vt testatur Plinius lib.5.ca.31.

Ophyon,pen.prod.nomē viri proprium, qui ante Saturnum, rerum potitus est,quem Saturnus fugauit.Claudianus,Hos onerat ramos exutus Ophyon.

Opipergiū,Carnorū oppidū,Ptolemæo lib.3.ca.1: Opitergū hodie

Opis,Nympha comes Dianæ.Virgilius,Opis ad æthereum pennis aufertur Olympum. Est etiam Opis,ciuitas iuxta quā Tigris profluit,& mare Rubrum ingreditur,teste Herodoto lib.primo.

Opites,Argiui propriū,quem Hector in bello Troiano interfecit.

Oppia,vna fuit ex Vestalibus, quæ conuicta stupri, viua defossa est.Cuius scripsit epitaphium Stroza filius,

Vestalis virgo,læsi damnata pudoris
Contegor hoc viuens Oppia sub tumulo. Liuius libro 22.hanc Opimiam vocat.

Oppianus,antiquus scriptor,de piscibus scripsit.Is Roma in Ciliciam patriam reuersus ingruente pestilentia interiit.

Ops,filia Cæli ex Vesta,& soror vxórque Saturni:Quam,vt scribit Seruius,Græci Rheam vocant,ἀπὸ τοῦ ῥέω,id est fluo,quòd terra rebus omnibus affluat.

Opus,Opuntis,ciuitas Locridis:à qua dicitur Opuntius sinus. Ab Opunte etiā Opuntii nominati,vt scribit Plinius lib.4. Dicimus Opus & Opoes,vt notat interpres Pomponii Melæ Vadianus.

O R

Orbelus,mons in Macedonia, vt scribit Plinius lib.4.cap.10. Ab hoc Orbelia regio.

Orbilius Beneuentanus,grammaticus tempore Ciceronis profitebatur,vir acer in discipulos,ac plagosus propterea ab Horatio appellatus. Vixit propè ad centesimũ annum,amissa iampridem memoria,relicto ex sese Orbilio,& ipso grammatico. Ex Tranquillo.

Orcelis,vrbs Hispaniæ Ptolemæo lib.2.cap.7. Vulgo Origuela.

Orchades,insulæ in Oceano Boreali,quæ hodie parent regi Scotorum. Notissimæ sunt ex Plinio,Strabone,Pomponio.

Orchamus,Assyriorum rex Leucotheam filiam suam ab Apolline stupratam viuã defodit,vt scribit Domitius,Ouidii in Ibin enarrator. Ipse item Ouidius lib.4. Metamor.

-ille ferox immansuetúsque precantem,
Tendentémque manus ad lumina solis,&,Ille
Vim tulit inuitæ,dicentem,defodit alta
Crudus humo, tumulúmque super grauis addit arenæ.

Orchoe,Babyloniæ vrbs iuxta paludes, & desertã Arabiam,Ptolemæo authore lib.6. Vrchoa dicitur apud alios:ipsa est Hur Chaldæorum Abrahæ patria.

Orchomenus,penul.corr. Thessaliæ mons: à quo Orchomenon, ciuitas est Bœotiæ, contermina Thessaliæ, in qua fons erat Gratiis sacer,vt notat Seruius. Ad hanc vrbem Homerus in Iliade innumera quotannis deferri nauibus dixit in oratione Achillis ad Vlyssem & Phœnicem. Est item Orchomenon,fluuius in Bœotia ad Trophonium,teste Plinio lib.31.cap.2.

Orchus,nomen est fluuii inferorum, sic dictus quòd per illum, id est Stygem paludem,à qua(teste Homero)profluit, iurabant dii, nec peierare licebat. Nam,vt dicit Homerus in secundo Iliados,fluuius est Thessaliæ, qui ab inferna Styge manat, & in Peneum defluit, quem nec Peneus recipit, sed instar olei supernatantem breui spatio portatũ abdicat, nec pœnales aquas,Dirísque genitas,argenteis suis misceri permittit. Et subdit Homerus, huius fluuii apud deos sanctissimum iusiurandum esse.

Ordessus,primus fluuiorum Scythiæ, magnúsque,& ab Oriente profluens cum Istro miscetur,teste Herodoto lib.3.

Oreades, nymphæ sunt montium, vt antè diximus,ab ὄρος,quod Græce dicitur mons.

Orebatis, Ptolemæo lib.6.cap.4, vrbs Persidis in mediterraneis.

Oreni, populi Celtiberis proximi, ab Austro.

Orestes, filius Agamemnonis regis, & Clytemnestræ, qui matrem occidit, eo quòd illa patrẽ suum occiderat. Deinde Pyrrhum Achillis filium, qui Hermionem sibi prius desponsatam vxorem duxerat, occidit clàm in templo, & Hermionem recepit. Postea

furiosus ob hæc scelera factus vagabatur, & custodiente eum Pylade amico fidissimo peruenit in regionem Tauricam, vbi sororem suam inuenit, cũ qua profectus est in Italiam. Vide in PYLADES.

Oretæ, gens Indica secundum Strabonem lib. 15: quos Arbis fluuius ab Indis disterminat, authore Plinio lib. 7. cap. 2.

Oretus, Siciliæ fluuius, apud Panormum.

Orgia (inquit Seruius) apud Græcos omnia sacra, sicut apud Latinos ceremoniæ dicuntur. Sed iam abusiuè sacra Liberi, Orgia vocantur: vel ἀπὸ τῆς ὀργῆς, id est à furore: vel ἀπὸ τῶν ὀρῶν, id est à mõtibus. Hæc ille enarrans illud Virgilii AEneid. 4,

-qualis commotis excita sacris
Thyas, vbi audito stimulant Trieterica Baccho
Orgia, nocturnúsque vocat clamore Cithæron.

Oribasius Sardianus, Iuliani principis fuit familiaris, à quo etiã quæstor Constantinopolitanus factus est. Scripsit libros medicinæ LXXII ad Iulianum: eorúmque epitomẽ in libris nouem ad Eustathium filium: de regno, & de affectibus. Hæc Suidas. Eunapius verò, Græcus author in libro Sophistarum, eius vitam pluribus persequitur, Oribasius (inquit) Pergamenus genere, in eloquentia, pariter & medicina profecit, Iulianóque propterea vt medicus fuit accersitus. Inuidia deinde succedentium principum, bonis priuatus, ac in exilium ad Barbaros missus, animum philosophi semper in calamitate retinuit. Tanta apud eas nationes gratia, & opinione ob doctrinam & medicinæ experimenta perseuerauit, vt pro deo pene coleretur. Hæc ille.

Oricum, ciuitas est Epiri à Colchis condita, teste Plinio lib. 4. cap. 23. de qua Lucanus lib. 3,

Tunc qui Dardaniam tenet Oricon, & vagus altis
Dispersus syluis Athamas, &c.

Orion, i producta filius Neptuni secundum Hesiodum. Alii fabulantur eum ex vrina Iouis, Neptuni & Mercurii genitũ, quos deos cum Enopius quidam hospitio excepisset, eísque bouem mactasset, petiuit vt sibi filium concederent. Illi ergo corium è boue detractum poposcerunt, atque in illud vrinam reddiderunt: ex qua natus est Orion. Ouidius lib. 5. Fastorum,

Tunc super iniecta texere madentia terra:
Iámque decem menses & puer ortus erat.

Orithos, teste Herodoto, ciuitas est inter Macedoniã & Epirum, iuxta quam, vt refert Seruius in 10. AEneid. nascitur terebinthus arbor, nigrum lignum cum splendore proferens.

Orithyia, filia fuit Erichthei Athenarum regis, quam quum Bo-

reas adamaſſet,& ſibi coniugem dari poſtularet, nec impetrare valuiſſet: illam rapuit, & in Thraciam ſecum detulit, ex qua Zetum & Calaim filios procreauit, vt pro vera hiſtoria retulit Euſebius. Alia fuit eodem nomine regina Amazonũ.De qua Iuſtinus lib.2.

Ormenius, teſte Homero, Magneſiæ ciuitas: idque confirmauit Plinius lib.5.

Ornea, ſacra erant Priapi, quem Corinthii Orneum vocabant. Celebrabunt autem hæc feſta Nymphæ iuxta Colophonem.

Orneus,Ixionis & Nubis filius,vnus ex Centauris.

Oroandes,mons,ait Plinius lib.5.cap.27,nõ longe ab Imao monte,imò vnus ex colliculis Imai.

Oroatis, Ptolemæo lib.6. cap.3,fluuius eſt in ſinu Perſico,Meridiem verſus.Meminit huius Plinius lib.6.cap.23.

Oroba,Ptolemæo lib.6.cap.1,vrbs eſt Aſſyriæ in mediterraneis.

Orodes,rex Parthorum, qui Craſſum Romanum cepit & occidit.De quo Plutarchus in Craſſo. Eſt & Orodes apud Virgilium à Mezentio interfectus.

Oroetes,vir Perſa,& Sardium præfectus,qui Polycratem Samiorum tyrannũ dolo captũ ſuſpendit. Hic poſtea iuſſu Darii & opera, aſtúque Bagei in Sardis trucidat⁹ eſt,vt ſcribit Herodotus lib.3.

Orontes, vir Troianus, qui Troia capta cum AEnea in Italia nauigans,naufragium fecit,vt ſcribit Virgilius lib.primo AEneid.

Vnam,quæ Lycios,fidúmque vehebat Orontem,
Ipſius ante oculos ingens à vertice pontus
In puppim ferit:excutitur,pronúſque magiſter
Voluitur in caput.aſt illam ter fluctus ibidem
Torquet agens circum,& rapidus vorat æquore vortex.

Eſt & Orontes,Pœniciæ fluuius,vt ſcribit Pomponius Mela lib.2, in deſcriptione Phœniciæ. Et Plinius lib.2.cap.103. natus inter Libanum & Antilibanum,vt idem ſcribit lib.5.cap.22.

Oropus, oppidum in Attica in confinio Bœotiæ. Plinius libro quarto cap.7.

Orpheus, poeta ſeu vates, Calliopes & Apollinis filius, Thrax: lyræ ſtudioſiſſimus extitit, quam dono à Mercurio habuit. Fuit & Orpheus,OEagri filius vnus ex Argonautis,Cyconum rex.

Orrea,Ptolemæo lib.3. cap.9, Britanniæ vrbs: vulgo Neucaſtel, Moncaſtre,vbi carbonum copia.

Orſilochus fuit,teſte Homero lib. Iliados 5, filius Alphei fluminis,qui lato gurgite terram interfluit Pyliorum,& populi frequentis princeps fuit.

Orthocorybãtii, Scythiæ in Aſia populi,authore Herodoto lib.3.

Orthosia, vrbs Syriæ, Ptolemæo lib.5.cap.15: hodie Tortosa, prius Antaradum.

Orton, Ptolemæo libro 3.cap.1, Pelignorum vrbs: hodie Ortona, vulgo Pietra de pirati.

Ortona, eadem quæ Orton.

Ortopla, Dalmatiæ vrbs, Ptolemæo lib.2.cap.17. Ortopula hodie.

Ortygia, insula est in mari AEgeo, quæ etiam Delos dicitur. Ortygia dicta est Solino & Seruio authoribus, quòd in ea primum coturnices, quas Græci Ortygas vocant, visæ sunt. Fuit & alia huius nominis insula circa Siciliam, quæ ponte iungitur Syracusis, & fontem habet Arethusam: hæc ex opposito Plemmyrii Siciliæ amnis. De qua Virgilius lib.3. AEneidos,

Sicanio prætenta sinu iacet insula contra
Plemmyrium vndosum, nomen dixere priores Ortygiam.

O S

Osca, Ptolemæo lib.2. cap.6, Hispaniæ ciuitas, Isca dicta. Vulgo Guesca.

Oscela, Lepontinorũ in Alpibus Scutiis vrbs, authore Ptolemæo lib.3.cap.1: hodie Secusa.

Osci, Italiæ populi, in Campania, sic, vt quibusdam placet, ab oris fœditate dicti. Virgilius lib.7, Oscorúmque manus, &c.

Osiris, Iouis filius ex Niobe Phoronei filia: licet eum fuisse AEgyptium multis verbis referat Diodorus Græcus historicus lib.1. Hic vt Græci & nostri adfirmant, quum Phoroneo auo in Argiuorum regno succederet, & per annos plures Argiuis imperasset, AEgileum fratrem regno Achaiæ præfecit: ipse verò maioris gloriæ cupidine ductus, ad AEgyptios transfretauit: quos quũ suo submisisset imperio, Isidem Inachi filiã primùm Io dictam, matrimonio sibi copulauit. Qua deinde magistra AEgyptii literas didicere. Osiris similiter quum rudes eius loci homines, multas res, & homini maximè necessarias edoceret, diuinos ab illis adeptus est honores, dicente Tibullo,

Primus aratra manu solerti fecit Osiris,
Et teneram ferro sollicitauit humum.
Primus inexpertæ commisit semina terræ:
Pomáque non notis legit ab arboribus.
Hic docuit teneram palis adiungere vitem:
Hic viridem dura cædere falce comam.

Et alia præterea multa quæ idem poeta prosequitur.

Ossa, mons est, teste Solino, in finibus Thessaliæ Centaurorum stabulũ, cum tanta pinorum copia, vt in flexione atque reflexione,

ramorum tonitrua referantur. quod Lucanus lib. primo tetigit,
-it tantus in æthera clamor,
Quantus piniferæ Boreas quum Thracius Ossæ
Rupibus incubuit, curuato robore, presse
Fit sonus, aut rursum redeuntis ad æthera syluæ.

Ossonoba, Lusitaniæ ciuitas, teste Ptolemæo lib. 2. cap. 5. alio nomine Siluera.

Ostia, vrbs in ostiis Tyberis sita, ab Anco Martio condita, vt scribit Liuius, in ipso maris, fluminisque confinio, vt totius mundi opes illo veluti maritimo vrbis hospitio reciperentur. Ab hac Ostienses dicti, & Ostiensis ager. Ptolemæo lib. 3. cap. 1, ciuitas & portus Romæ. Scribitur & Hostia.

O T

Otaues Persa, vir nobilis, vnus ex his qui cum Dario in Magum coniurarunt, apud Herodotum lib. 3.

Othryades, Spartiata fuit, qui cum inter Argiuos & Spartiatas conuenisset, vt treceti vtrinque delecti de agro Tyreate inter se decernerent, & vtri superiores extitissent, eorum regio foret: vnus hic tantum victor è Spartiatis superfuit. Cum duo, qui ex Argiuis reliqui erant, fugissent, castris suorum relictis, aiunt Othryadem, spoliatis prius hostium corporibus, & ad sua castra relatis armis: deinde in scuto sanguine suo, VICI, conscripto, cum puderet Spartam reuerti ob socios interfectos, sibi mortem consciuisse. Authores Valerius, Plutarchus, & Ouidius in Fastis.

Othrys, mons Thessaliæ, sedes olim Lapitharum. Lucanus,
Solstitiale caput nemorosus summouet Othrys.

Otrieus & Mygdonus, fratres fuerunt Hecubæ, filii Cissei, & patrueles Polymnestoris, teste Porphyrio in lib. 3. Iliad.

O X

Oxeas, Herculis ex Megara filius, vt scribit Bocatius.

Oxos, Asiæ fluuius, per deserta Scythiæ fluens, vt scribit Pomponius lib. 3, & Strabo lib. 11.

Oxus, teste Plinio lib. 31. cap. 7, apud Bactros amnis.

Oxyrynchus, ciuitas AEgypti dicta ab Oxyryncho pisce, qui ibi templum habuit. Cæterum AEgyptii omnes Oxyrynchũ piscem colũt. Nam quædam animalia sunt quæ AEgyptii vniuersi colunt, quemadmodum ex terrestribus tria, bouem, canem, felem: ex volatilibus, accipitrẽ, atque ibin: ex aquatilibus duo, lepidotum piscem. & oxyrynchum. Ex Strabone lib. 17. Alii Oxyringum scribunt.

PACHIRI, montes in minore Asia.

Pachorus, rex Parthorum occisus in Syria post Crassi cædem, vt scribit Appianus in Parthico. Pachori meminit & Horatius Carminum lib.3,

Iam bis Moneses, & Pachori manus
Non auspicatos contudit impetus Nostros.

Pachynus, est Siciliæ promontoriũ vergens in Austrum, seu mauis in meridianam plagam: & ab aeris crassitudine, teste Seruio, cognominatum. Nam παχὺ Græcè, pingue & crassum interpretãtur.

Pacinus, vnus ex nepotibus Volsinii regis, cognomento Luculli: à quo Pacinates, Italiæ populi.

Pactolus, fluuius Lydiæ, aureis arenis Smyrnæos irrigans agros. Iuuenalis, Quod Tagus, & rutila Pactolus voluit arena.

Pacuuius Brundusinus, Ennii sorore natus, emicuit quo tempore Scipio Numantiam deleuit. Scripsit tragœdias. deinde Tarẽtum se recepit: decessítque nonagenarius, vt est author Eutropius: posuitq; sibi huiusmodi Epigrãma, quod Gellius adnotauit li.1.ca.24,

Adolescens tametsi properas, hoc te saxum rogat
Vt se aspicias, deinde quod scriptum est legas:
Hîc sunt poetæ Pacuuii Marci sita
Ossa: hoc volebam, nescius ne esses. Vale.

Padua, vrbs à Padi vicinitate dicta, quæ alio nomine Patauium Ptolemæo dicitur lib.5.cap.1. ab Antenore condita, vt scribit Liuius lib.1. Hæc ciuitas ditionis est principum Austriæ, sed à Venetis occupatur, vt notat Pomponii enarrator.

Padus, maximus Italiæ fluuius, ortum habens in radicibus Vesuli mõtis, maritimorum commeatuum Italicis subsidiis fidus inuector, vt eleganter dixit Ambrosius. De Pado lege Lucanum libro 2: Plinium cap.16. lib.3: Strabonem lib.5.

Padusa, fluuius, quem Padi brachium Rauennam vsque perductum facit, Massanicũ alio nomine appellatũ. Plinius lib.3.cap.16.

Pæon, nomen viri medicæ artis peritissimi, quem Homerus lib.5 Iliados scribit curasse Plutonem grauiter ab Hercule vulneratum: à quo pæonia herba dicitur quam inuenit.

Pæonia, Macedoniæ pars est, vt scribit Iustinus lib.7. Et Pæones, Pæoniæ populi.

Pæstum, Lucaniæ oppidum, rosarum abundantissimum, & quæ ob cæli clementiam bis in anno proueniunt, teste Virgilio,
Biferíque rosaria Pæsti.

Pætouiũ, vrbs Pannoniæ superioris, id est Austriæ, authore Pto-

lemæo lib.2. cap.15, Petouionem Tacitus scribit lib. 19. alii Petouiam. Vulgo Betta.

Pagasa, Thessaliæ oppidum, quod postea Demetrias dictum est, vt ait Plinius lib.4.cap.8.iuxta quod ædificata fuit Argo, nauis.

Pagyris, nomen fluuii & nomen ciuitatis: à qua Pagyritæ, populi. Apud Plinium lib.4.cap.12, scribitur Pacyris.

Palæmon, nomen marini dei, qui Latinè Portunus est dictus, dicente Ouidio,

Quem nos Portunum, sua lingua Palæmona dicit. Alius fuit Phinei Arcadiæ regis filius. Alius item Grammaticus Vincentinus, qui Romæ vixit sub Tiberio & Claudio principibus, tanta vir arrogantia, vt Marcum Varronem porcum appellaret, secum & natas & morituras literas iactaret. Luxuriæ ita indulsit, vt sæpius in die lauaretur, nec sufficeret sumptibus. Tranquillus.

Palæsthina, regio Syriæ, cõiuncta Arabiæ. Meminit huius Plinius lib.5.cap.13 & 20.

Palamedes, filius Naupli & Clymenes, rex Eubœæ insulæ. De quo Philostratus in Heroicis hæc scribit, Summo (inquit) vir ingenio fuit: ordinem literarum reperit, additis nouis quibusdam. Quas Vlysses eius inimicus ait non ab eo inuentas, sed à gruibus ex ordine volatus earum accepisse. Præterea calculorum & mensurarum, & ponderum, tum etiam aleæ in castris apud Aulidem inuentor fuit. Astrologiæ insuper peritus, annum, mensésque ad cursum Solis accommodauit. Primúsque in castris visam atque reformidatam Solis eclipsim dixit naturalem, miniméque timendam esse. Vlyssis primùm insaniæ simulatio ab eo fuit deprehensa: quapropter non destitit, quin eum apud exercitum proditionis falsò insimulatum damnari atque lapidibus obrui perfecerit: quem postea Græci fleuere, & magnopere desyderauerunt. Palamedes Eleates Grammaticus scripsit Onomasticon de Tragicis & Comicis dictionibus, ac de proprietate Atticæ ac Doricæ linguæ. Suidas.

Palanteum, vrbs in Palatino monte, à Palante Euandri proauo. Vnde Virgilius libro octauo AEneid.

Arcades his oris, genus à Pallante profectum,
Qui regem Euandrum comites, qui signa secuti,
Delegere locum, & posuere in montibus vrbem,
Pallantis proaui de nomine Pallanteum.

Palantia, oppidum Iberiæ, teste Stephano. Vnde & Palantini. Est & nomen fluminis in Valentino litore.

Palantina, regio Romæ, cuius Arcades duce Euãdro palantes authores extiterunt.

Palatium, mons Romæ appellatus eſt, quòd ibi in palatio pecus paſcens balare cõſueuerit (ſic enim vox eius animalis exprimitur) quaſi balatium. Vnde Næuius balatium appellat. Vel à palo, palas: quia ibi palare, id eſt errare, pecudes ſolent. Seu quòd palantes Arcades cum Euandro ibi conſederunt. Nam ante Romam conditam poſſeſſum atque habitatum fuit, aut ab Arcade Euandro, aut Aboriginibus, qui ex Palatio oppido agri Reatini venere, & cũ Euandro habitauere. Alii à Palantia Latini matre, quæ ibi habitauerit, Palatium dictum volunt. Alii à Palante Euandri auo. Alii à filia Euandri Palantia, ab Hercule vitiata, & poſtea illic ſepulta: vel certe à Palante eius filio illic ſepulto. Alii à Pale, paſtorali Dea nomen inditum autumant.

Palatinus mons in vrbe Roma, dictus à Palanteo oppido quod ibi fecerat Euander rex, ante Romam conditam, vt ſcribit Seruius.

Pales, dea pabuli eſt (inquit Seruius) quam alii Veſtam, alii Matrem deûm vocant. Hanc Virgilius genere fœminino vocat. Alii, inter quos Varro, maſculino genere, vt hic Pales. Huic ſacra ſoluuntur, quæ Palilia vocantur. Hæc Seruius enarrans illud Virgilii,
Te quoque magna Pales, & te memorande canemus.
Paſtor ab Amphryſo.

Palici, quaſi Paliſci, gemini fratres fuere, Iouis filii, & Thaliæ nymphæ, ſiue (vt alii volunt) AEtnæ. Tradunt enim hanc nympham à Ioue in Sicilia iuxta Simethium fluuium, non longè à Catina vrbe compreſſam, metu Iunonis optaſſe vt ſibi terra dehiſceret, & ita factum eſſe. ſed cum tempus maturitatis infantium, quos aluo illa geſtauerat, aduenifſet, rurſus terram hiaſſe, duóſque infantes de aluo nymphæ progreſſos emerſiſſe, appellatóſque fuiſſe Palicos, vel quòd πάλιν, id eſt, rurſus hiante terra emerſiſſent: vel ἀπὸ τοῦ πάλιν ἵκειν: quoniam prius in terram merſi, denuo inde reuerſi ſunt. Nec longè inde breues lacus ſunt, ſed miræ profunditatis, quos incolæ Crateras vocant, & nomine Dellos appellant, fratréſque eos Palicorum exiſtimant, & habentur in cultu maximo propter iuſiurandũ. Nam quũ rei negatæ fides quæritur, & iuſiurandum à ſuſpecto petitur, vterque ab omni contagione mundi ad Crateras accedũt, accepto prius fideiuſſore ab eo qui iuraturus eſt, de ſoluendo eo quod petitur, ſi ita euentus adduxerit: deinde loci numine inuocato iurabat. quod ſi fideliter fiebat, diſcedebat illæſus: ſi verò malè iuratum eſſet, mox in lacu amittebat vitam falſus iurator. Magna præterea in veneratione erat Palicorum templum, quod cum Siciliam ſterilis annus arefeciſſet, diuino Palicorum reſponſo admoniti Siculi, certum ſacrificium fecerunt, poſt quod ſta-

tim reuersa est vbertas. Quapropter Siculi omne genus frugũ congesserunt in ara Palicorũ, quæ ob id pinguis vocitata est. Virgilius,
Pinguis vbi & placabilis ara Palici.

Palilia, festa Palis pastorum deæ. Tibullus lib. 2,
At madidus, Baccho sua festa Palilia pastor
Concinet, &c. Propertius lib. 4,
Annuáque accensi celebrare Palilia fœno. Idem,
Vrbi festus erat, dixere Palilia patres. Persius,
Et focus, & porci, & fumosa Palilia fœno.

Palinurus, promontorium est in Lucania: & portus prope oppidum Veliam, dictus à Palinuro gubernatore classis AEneæ ibi sepulto, qui per somnum in mare de naue ceciderat. Virgilius,
Nudus in ignota Palinure iacebis arena.

Pallantia, vrbs Hispaniæ Tarraconensis, vt ait Ptolemæus libro 2. cap. 6. Vacceorum colonia, à qua Pallantini dicti: vt à Numantia, Numantini. Aliàs Palencia dicitur.

Pallas, Pallantis, nomen filii Euandri, & nomen gigantis.

Pallas, Palladis, Iouis filia sine matre. Nam cũ Iupiter Iunonem vxorem videret non ferentem filios, percusso sibi capite Palladem armatam edidit. Dicente Lucano lib. 9,
Hanc & Pallas amat, patrio quæ vertice nata est. Et Ouidius libro Fastorum 3,
An quia de capitis fertur sine matre paterni
Vertice cum clypeo prosiluisse suo?
Hanc Cicero lib. de natura deorum 3, belli inuentricem & principem esse dixit. Proinde à nonnullis Bellona vocata fuit, soror scilicet, & auriga Martis: dicente Statio, -regit atra iugales
Sanguinea Bellona manu, longáque fatigat
Cuspide. Quin & virgo fingitur, & innupta, vt Virgil. 2. AEneid. Pars stupet innuptæ donum exitiale Mineruæ. Palladis templum apud Milesios admirandum fuit, vt scribit Herodotus lib. primo.

Palladium fuit in vrbe Troiana antiquissimum Palladis simulachrum, è ligno compactum, mouens oculos, atque hastam quam manu gestabat, vt scribit Seruius. Nam quum apud Troiam in honorem Palladis arx, & in eius summo templum illi ædificaretur, è cælo cecidit, & locum sibi in eo templo delegit, nondum cooperta æde. móxque ab Apolline redditum est oraculum, eius ciuitatis futurum exitium, si id simulachrum extra mœnia portaretur. Quod Ouidius in quinto Fastorum est elegantissimè prosequutus. Quo factum est, vt tempore belli Troiani Diomedes & Vlysses cuniculis, vel vt alii dicunt, cloacis ascenderint in arcem, & occisis custodibus

simulachrum sustulerint. ideo autē id negotiū his potissimū datur quia cultores fuerunt Mineruæ. Seruius apud Virgiliū, AEneid. 2,

Omnis spes Danaûm, & cœpti fiducia belli
Palladis auxiliis semper stetit. impius ex quo
Tydides, sedenim scelerúmque inuentor Vlysses,
Fatale aggressi sacrato auellere templo
Palladium, cæsis summæ custodibus arcis,
Corripuere sacram effigiem, &c.

Pallene, regio est in litoribus Macedoniæ iuxta Sithoniā, vt ostēdit Herodotus lib. 7. in qua ciuitas est Potidæa. Est & vrbs eiusdē nominis in Achaia. Virgilius lib. 4. Georg.

Hic nunc Emathiæ portus, patriámque reuisit Pallenen.

Palma, Ptolemæo lib. 2. cap. 6, oppidum est in Hispania. Est item Palma, ciuitas in maiori Baleari.

Palmaria, insula est in mari Tusco, Plinio lib. 3. cap. 6.

Palmyra, Syriæ vrbs inter Romanorum ditionē sita, & Parthorum, vt est author Ptolemæus lib. 5. cap. 15.

Palsum flumen est Britanniæ apud Plinium cap. 1. lib. 5.

Paltos, Pomponio & Straboni oppidum est Syriæ.

Pamisus, fluuius est Achaiæ, vt scribit Plinius cap. 5. lib. 4. dictus quasi totus odiosus, ob damna quæ agris inferebat.

Pamphilus, Neoclidis filius, Platonis auditor, cuius meminit Cicero de natura deorum: & Plato circa Phædonis principium, dicit illum inter eos qui in acie ceciderunt, decē dies iacuisse, triduóque postquam inde sublatus fuerat, impositum rogo reuixisse, ac mira quædam tempore mortis visa narrasse. Pamphilus alius presbyter, Eusebii Cæsariensis necessarius, tanto bibliothecæ diuinæ amore flagrauit, vt bonam partem voluminum Origenis sua manu descripserit. Extinctus idem, martyr apud Cæsaream Palæstinæ sub Maximo. Ex Hieronymo. Suidas autem tres Pamphilos cōmemorat: duos grammaticos, quorum alter Sicyonius genere, de grāmatica picturáque, ac pictoribus claris scripsit. Alter Alexandrinus dictionarium edidit, & quod Pratum appellauit, id est, variarum rerum collectanea. Tertius Atheniensis fuit reipublicæ expilator.

Pamphilia, Ptolemæo lib. 5. cap. 5, regio est minoris Asiæ inter Ciliciam & Syriam: ab Occasu Lyciam, & Asiæ minoris partem: à Septentrione Galatiam & Cappadociā: à Meridie mediterraneū mare, quod illic Pamphilii maris nomen habet: tota Tauri expatiantis iugis septa.

Pan, (inquit Seruius) deus est rusticus in naturæ similitudinē formatus: vnde & Pan dictus est, id est omne. habet enim in radiorū

Solis,& cornuum Lunæ similitudinem.Rubet eius facies ad ætheris imitationem.In pectore nebridem habet stellatam,ad stellarum imaginē.Pars eius inferior,hispida est propter arbores,virgulta, & feras.Caprinos pedes habet,vt ostendat terræ soliditatem.Fistulam septem calamorum habet,propter harmoniā cæli in qua septē soni sunt.Pedum habet, id est baculum recuruum, propter annū qui in se recurrit: quia hic totius naturæ deus est. A poetis fingitur, cum amore luctatus,& ab eo vict⁹,quia vt legim⁹,Omnia vincit amor. Ergo Pan secundum fabulas, amasse Syringam nymphā dicitur. quam quum sequeretur,illa implorato Terræ auxilio,in calamum conuersa est:quem Pan ad solatiū amoris incidit,& sibi fistulā fecit.

Panætius Rhodius, Stoicus philosophus, quasi totus moralis, præceptor Scipionis Africani, decessit Athenis:scripsit de officiis, vnde Cicero suos libros est mutuatus. Hic scripsit,vitam hominū ex improuiso,assiduis&quotidianis periculis subiacere,ad quæ præcaueda oporteret animo semper esse intento, vt sunt athletæ. Sicut enim illi in certamine athletico,caput manibus oppositis,quasi vallo præmuniunt:ita animus sapientis aduersus petulantias iniuriarum,ictúsque fortunæ debet esse erectus, arduus, septus, ne qua in re incursio repentina, imparatis improtectísque nobis oboriatur. Fuit alter Panætius senior, item Rhodius: cuius inter philosophos multa mentio,scriptáque feruntur.Suidas.

Panætolium,mons est AEtoliæ,vt scribit Plinius cap.2.lib.4.

Panchæi,populi,qui vt Pomponius refert,deserta Libyæ habitāt, qui & Ophiophagi vocantur,quoniam serpentibus vescantur.

Panchaia,regio Arabiæ tota arenosa, in qua arbores sponte natæ thus emittūt.Virgilius, Totáque thuriferis Panchaia pinguis arenis.Seruius scribit Panchaiam &Sabæorum gentem eandem esse, apud quam nascitur thus.

Panchaii,siue vt quidā, Candei, Pomponio lib.3.populi sunt qui deserta & bestiis infesta Achaiæ loca habitant:qui quia serpentibus vesci assueti sunt,Ophiophagi vocantur.

Pandaria, Straboni lib.5.exigua est insula in sinu Caietano,verū habitaculis frequēs, distās à cōtinenti ducētis quinquaginta stadiis.

Pandatoria, insula in mari Tyrrheno, authore Ptolemæo lib.3. cap.1.hodie Pandana.

Pandion, proprium nomen Erichthei Athenarum regis filii, cui successit in regno.Huius filiæ fuerunt Progne & Philomela.Dictus est Pandion quasi totus διὸς, id est Iouis. Hinc Pandionia dicta est Attica.Inde Pandionius dicitur,Lucanus de Pallade,Et Pandionias quæ cuspide protegit arces.

Pandôra, mulier fortissima, & gratiosissima, cui singuli dei sua dona dederūt, scilicet Pallas sapientiam, Venus decorem, Apollo musicam, Mercurius eloquētiam. Vnde dicitur Pandôra, quasi omniū donum, vel ab omnibus donata. Hāc, vt ait Hesiodus, Iupiter in terram misit vt homines deciperet. Est & nomen matris Deucalionis à qua Thessalia, Pandora dicta est. Hoc nomine dictæ sunt gētes in cōuallibus Indiæ, quæ, vt ait Plinius lib.7.cap.3, ducentos annos viuūt, in iuuētute capillos candidos habēt, in senectute nigros.

Pādosia, Plinio lib.3.cap.1, Lucanorū in Italia vrbs in qua Alexāder Epirotes occubuit. Est & altera, vt idē testatur lib.4.cap.1.eius nominis in Epiro. Trogus lib.12, Iuxta vrbem Pandosiam Alexander non prius fatalis loci cognito nomine quàm occideret, interficitur. Idem supra, Cum in Epiro esset Pādosia, & flumē Acherusium, ignarus eadem & in Italia, ad declinanda fatorum pericula peregrinam militiam cupidus elegerat. Liuius lib.8, Data dictio erat Alexandro, caueret Acherusiam aquam, Pandosiámque vrbem. Horū meminit & Strabo lib.6, Supra illam (inquit) paululum Pandosia est, validum propugnaculum, vbi Molossorum rex Alexander trucidatus est, Dodonæo deceptus oraculo, Acherontem atque Pandosiam cauere iubente, cum similis appellationis loca in Thesprotio monstrētur agro. Triuertex autem ipsum est propugnaculum cui Acheron amnis præterfluit. Aliud insuper fraudauit oraculum,
Pandosia perdes populum quandóque Triuertex. Credidit enim hostium non suorum cladem ostentari. OEnotriorum quoque regum regiam fuisse Pandosiam, memoriæ proditum est.

Paneus, Bocatio fluuius Colchorum, cui oppidum imminet sui nominis, habens post se Hemochorum multimodas gentes. Est & eidem fons sub Libano monte, in quē siqua natantia proiiciantur, in lacu, cui Phiala nomen, reperiuntur.

Pangæum, Thraciæ promontorium magnum atque excelsum, Macedoniæ iunctum, in quo, vt scribit Herodotus lib.7. aurea sunt & argentea metalla: quem cum Pieres & Hodomanti, tum præcipue Satræ exercent.

Panionium, vt scribit Herodotus lib.2, locus est Mycales sacer, ad Septentrionem vergens, communiter ab vniuersis Ionibus Neptuno Heliconio dicatus.

Panisci, dii syluestres quasi minutuli panes. Scribit Plinius lib.35. cap.11, Paniscum à Taurisco pictore fuisse pictum.

Pannonii appellantur à Romanis, quos Græci Pæonas, Latini Vngaros vocitāt: quorum fama olim formidine totam concussit Italiam, tanquam essent bello insuperabiles. Hi tribus fluuiis, Drauo,

Sauo & Istro vallatur. Hinc Pãnonicus adiectiuũ· Sueto. in Aug. Reliqua per legatos administrauit, vt tamẽ quibusdã Pãnonicis atque Germanicis aut interueniret, aut non longè abesset. Horum regio, Pannonia dicta est, regio Europæ, sicut Ptolem. lib. 2. scribit. & est duplex, superior & inferior. Superior ab Occasu limites habet mõtem Cecium, qui medius est inter Noricum & ipsam Pannoniam: ab Ortu habet Pannoniam inferiorem, cui iũcta est inferior. ab Ortu & Septentrione Danubio cingitur.

Panompheus, Iouis est epitheton, quòd ab omni lingua colatur, à πᾶν, & ὀμφὴ vox, quòd omniũ voces audiat. Ouidi⁹, Ara Panompheo vetus est sacrata tonanti.

Panope, nympha marina, Nerei & Doridis filia. Bocatius.

Panormus, clarissima Siciliæ ciuitas Ptolemæo lib. 3. cap. 4. à qua Panormitani dicuntur. Vulgò Palermo.

Pantagias, fluuius Siciliæ. Hic fluuius (inquit Seruius) quum plenus incederet, implebat sonitu pene totam Siciliã. Hic postea, quum Cereri quærenti filiam obstreperet, tacere iussus est numinis voluntate. Hæc ille enarrans illud Virgilii,

viuo prætervehor ostia saxo
Pantagiæ, Megarósque sinus, Tapsúmque iacentem.

Pantanus, lacus est Apuliæ, in Italia, Plinio lib. 3. cap. 11.

Panthea, vxor fuit Abradatæ, viri nobilis apud Persas, quã Cyrus expugnatis Assyriorum castris ob pulchritudinẽ duxerat captiuã. Author Xenophon apud Cælium cap. 53, libri septimi.

Pantheon, templum Romæ, quod vt Dion historicus refert, sic dictum fuit, quòd in Martis Venerísque imaginibus sub ipso templo constitutis, omnium deorum imagines effictæ erant. Siue quòd tẽplum ipsum rotundum erat, & sic quoque omnium deorum habitatio cẽseatur. Plinius lib. 36, Pantheon (inquit) Ioui vltori ab Agrippa factum fuit.

Panthoides, Pythagoras philosophus dicitur, qui dicebat se fuisse Euphorbum Troianum Panthoi filium.

Panthus, nomen filii Otrei fratris Hecubæ: vir Troianus ex primoribus vrbis, vt ostendit Homerus Iliados 3. Panthous, dicitur & Panthus per Synæresim, authore Tortelio. Virgilius lib. 2. AEneid. Panthus Otriades, arcis, Phœbique sacerdos.

Panticapes, fluuius est Scythiæ quintus ab Istro, vt scribit Herodotus lib. 4.

Panticapeum, oppidum est ibidẽ prope Bosphorũ, eodẽ authore.

Pantomatrium, oppidum est Cretæ insulæ maritimum, authore Plinio lib. 4. cap 12.

Pantrepes, fluuius Scythiæ.

Papæus, nomen, Herodoto teste lib.4, quo apud Scythas Iupiter vocatur.

Paphages, rex Ambraciæ. Is cum obuiam factus esset leænæ, catulis suis stipatæ, ab eadem interfectus est. Ouidius in Ibin,

Fœta tibi occurrat patriis popularis in aruo,
Sitque Paphageæ causa leæna necis.

Paphlagonia, Asiæ minoris regio, in Septentrionem litore versa, clarissimis oppidis illustris est, & à Paphlagone Phinei filio denominata, vt author est Stephanus.

Paphos, oppidi nomen, Plinio lib.2.cap.96: quod habet celebre fanum Veneris, &c.

Paphus, Cilicis filius, à quo Cilicia denominata est: qui in Cypro vrbem condidit, Paphum à se denominatam. ea fuit Veneri sacrata. Vnde Paphia dicitur Venus. Virgilius AEneid. primo,

Ipsa Paphum sublimis abit, sedésque reuisit
Læta suas, vbi templum illi, centúmque Sabæo
Thure calent aræ, sertísque recentibus halant.

Papia, ciuitas Insubrium, Ticinum alio nomine appellata.

Papinianus, Iurisconsultus, Seuero principi gratissimus, Scæuolæ discipulus, cui in aduocatione fisci successit. Is est cui filios suos Seuerus moriens commendauit: deinde ab Antonio Caracalla securi percussus, causa necis traditur, quòd Caracalla, interfecto fratre Geta, ei mãdauerit, vt & in senatu, & apud populum facinus dilueret: illum autem respondisse, non tam facile parricidium excusari posse, quàm fieri. Spartianus.

Papinius Statius, Neapolitanus inter Heroicos poetas relatus, haud ignobili genere ortus est. Quidam scribunt maiores eius oriundos esse Epiro, diúque versatos Sellis non sine admiratione ingenii & probitatis. Patrem Papinium habuit: qui ob insignem eruditionem, egregiásque virtutes Neapoli ciuitate donatus est, in qua Statius Papinius poetam natalem suum habuit. Composuit multa & varia poemata: Thebaidem libris duodecim, quos consecrauit Cæsari Domitiano. Deinde aggressus est scribere opus de Achille: præterea opus syluarum. Ex Crinito.

Pappus, philosophus Alexandrinus, scripsit de situ orbis, de fluuiis Africæ, & commentarios in Ptolemæum.

Papyrius, à velocitate cursor dictus, quum consulem se aduersis omnibus contra Samnites progressum esse sensisset, ad auspicia repetenda Romam regressus edixit Fabio Rulliano magistro equitum, quem exercitui præponebat, ne manus cum hoste consereret.

Sed cũ ille opportunitate ductus pugnasset, ac vicisset, reuersus eum ferire securi voluit: ille in vrbem confugit, nec supplicem Tribuni tuebantur. Deinde parentis lachrymis populus veniam precibus impetrauit. Papyrius item de Samnitibus triumphauit. De quo vide Liuium libro nono. L. Papyrius, cursor superioris filius, de Samnitibus secũdum patrem omnium pulcherrimam victoriam reportauit. AEdem Fortunæ de manubiis faciendam locauit. Papyrius Crassus, quum Priuernates intra mœnia fugasset, ac pro rebus bene gestis triumphus ei negaretur, in monte Albano triumphauit, & pro laurea vsus est myrtea corona. Valerius lib.4. Papyrius Carbo, cum dentibus natus, vt scribit Plinius lib. septimo. Papyrius prætextatus, nobilis adolescens, ex eo cognomen adsecutus, quòd in prætexta & adolescentia magnopere visus est sapere. Cum enim à patre duceretur in curiam, in eáque fortè arcana quædam tractarentur, domum reuersus, interrogatúsque à matre quidnam in senatu actum, Vt duæ (inquit) vni nubere possint. At illa mane conuocatis matronis, ad curiam properat: rogántque, vt eadem lege duos viros habendi licentia sit etiam fœminis. Re cognita, ingenium & constantia pueri laudata est. Author Macrobius. Papyrius alius, qui Publium nobilem adolescentem habebat: quòd stuprum pati nollet, contumeliis ac plagis afficiebat. Re ad senatum delata, Papyrius damnatur. Lex deinde lata nequis in corpora libera ob æs alienũ ius haberet. Liuius lib.8. Valerius de pudicitia, hæc eadem.

Paradisus, Syriæ oppidum supra Antaradum in meridiem, ad Libani oriẽtale latus sitũ. Amnis itẽ Paradisi meminit Capella lib.6.

Paratonius, Cyrenaicæ portus ingens, & ad quadraginta stadiorum amplitudinem expansus, Strabone authore libro vltimo. Etymum vocabuli apud Hermolaum lege cap.5. quinti libri Plinii. Ibidem oppidũ eiusdem nominis est, ab aliis Hammonia dictũ, eidem Straboni lib. vltimo. Lucanus Syrtes Paratonias vocat lib.3,

Vsque Parætonias Eoa ad littora Syrtes. Silius lib.3,

Pérque Parætoniæ celebratum littora Syrtis.

Parapotamia, regio Tigri proxima, Plinio lib.6. cap.27.

Parcæ, à parco, per contrarium, quòd nemini parcant. Ideo tres esse Parcas arbitrantur, quoniam tria sunt tempora, in quibus omnia voluuntur. Varro à partu, vnius literæ mutatione, deduci putat: quoniam (vt scribit Hesiodus) hæ nascentibus hominibus bonum malúmque conferre censeantur. Iuuenalis,

Hæc exempta para fœlicibus: at mea Clotho
Et Lachesis gaudent, si pascitur inguine venter.

Tres autem fuisse Parcas, Clotho scilicet & Lachesin & Atropon finxerunt antiqui, quas Cicero Erebi & Noctis filias fuisse scribit, & easdem fata esse existimant. Vnde est illud Cleantis, Ducunt volentem fata, nolentem trahunt. Fingunt vitæ hominum præesse, & nendo eam ducere. Clotho, colum baiulat: Lachesis, net: Atropos, filum frangit. Quapropter lanificas sorores appellat Martialis,

Si mihi lanificæ ducunt non pulla sorores

Stamina, nec surdos vox habet ista deos.

Apul. Tres Parcæ tria fata sunt numero, cum ratione temporis facientia, si potestatem earum ad eiusdem similitudinem temporis referas. Nam quod in fuso perfectum est, præteriti temporis habet speciem. Et quod torquetur in digitis, momenti præsentis indicat spatia. Et quod nondum ex colo tractum est, subactúmque curæ digitorum, futuri & consequentis seculi posteriora videtur ostendere. Lachesin dictam esse putant, quia λαγχάνω Græce, sortior designat. Atropon, quia reuerti non possint. Clothon, quoniam contorta & coordinata omnia teneat. Hæc enim nomina ipsa lingua Græca ostendunt. Mart. lib. 1,

Lanificas nulli tres exorare puellas

Contigit, obseruant quem statuere diem.

Paræsitaceni, populi sunt vltimi in Media, montani & latrones, ac Persis contigui. Strabo lib. 11.

Paretaceni, gentes in Media, teste Herodoto lib. primo.

Parentium, Istriæ vrbs, Ptolemæo lib. 3. cap. 1. Vulgo Parenzo.

Parienna, Ptolemæo lib. secundo, cap. 11, Germaniæ vrbs. Vulgo Frideck.

Parion, vel Parium, Pomponio Bithyniæ: Ptolemæo, Plinio, Straboni, Propontidis in Hellesponto oppidum à Milesiis, Erythreis, Pariisque conditum: iuxta quod, teste Plinio lib. 7. cap. 2, gentes sunt quæ Ophiogenes vocantur, serpentum ictus leuare solitæ, & manu imposita, venena extrahere corpori. Varro etiam nunc esse paucos ibi dicit, quorum saliuæ contra ictus serpentum medeantur. In eodem oppido, teste Plinio lib. 36. cap. 5, cupido nudus fuit par Veneri Gnidiæ nobilitate & iniuria.

Paris, Priami filius, quem pater, quòd patriæ fatum futurum esse præsenserat, exponi iussit, pastoréSque educauerunt. Tempore procedente in aulam paternam receptus, apud Idam pulchritudinis sententiam, pro Venere contra Palladem & Iunonem tulit: ex quo illas perpetuo infestas sibi regnóque habuit. Venus autẽ ei nuptias Helenæ per raptum conciliauit, vnde Troiæ bellum exortum secundum Homerum. Ex OEnone nympha Idæa ab eo, dum esset

pastor adamata, Idæum & Daphnidem dicitur suscepisse. Interfecit in bello Troiano Achillem & Antilochum: cum Aiace verò Oileo congressus, mutuis sim l cum eodem vulneribus cecidit. Fuit & Paris, histrio,libertus Domitiæ Neronis amitæ,cuius meminit Cornelius Tacitus & Iuuenalis.

Parisii Parisiorum, populi inter Celtas, qui Senonensi prouinciæ attribuuntur, Senonibus, Belouacis, & Agendico oppido proximi, ac Meloduno oppido finitimi: Lutetiam habent oppidum, quam nunc Parisiensem, episcopalem vrbem inhabitant, positam in insula fluminis Sequanæ,ꝙ perpetua palus influeret,& in regno Frãcorum esset.Horum meminit Cæsar lib.6.Cõment. Ptolemæus libro 2.cap.8,Ad ortum verò & iuxta Sequanam Parisii,& ciuitas,Parisium Leucodecta.Vulgo Paris.

Parma,Plinio lib.3.cap.1, oppidũ Galliæ togatæ prope Rauennã.

Parmenides Eleates,Anaxagoræ discipulus, vt Suidas:vt Diogenes Laertinus,Xenophanis.Cuius meminit Plato, qui eius nomine dialogum scripsit:vocauitque Parmenidem,siue De Idæis.Hic carmine Physiologiam expressit,sicut Empedocles & Hesiodus, duplicémque eam esse dixit: vnam quæ veritate constaret, alteram quæ opinione. Primus deprehendisse dicitur eundem esse Luciferum & Hesperum:alii Pythagoram dicunt.Authores,Suidas,Diogenes.

Parmenis,inter Alexandri comites maxime dilectus, cuius meminit sæpe Curtius & Plutarchus.

Parmeno,apud Comicos nomen serui.

Parnassus,mons non est Thessaliæ,vt nonnulli errantes asserunt, sed Aoniæ quæ alpestris pars est Bœotiæ: vnde Aonides, sæpe musæ dictæ sunt.Iuxta quem montem,regiuncula est Phocidos, inter Thebas scilicet & Athenas:dicente Ouidio in 1.Metamor.

Separat Aonias Attæis Phocis ab aruis
Terra ferax. Et subdit,
Mons ibi verticibus petit arduus astra duobus
Nomine Parnassus,superátque cacumine nubes.

Parnus,fuit quispiã qui ob amissam nauiculam,cum obuiis quibusque litigabat. Hinc adagium, Disceptare ob Parui scaphulam: id est ob res minutulas, multum mouere litium & querelarum. Diogenianus apud Erasmum.

Paropanisadæ, Ptolemæo lib.6. cap.18, populi Asiæ, qui ab Occasu Aria terminantur: sic dicti à monte Paropaniso, eis à Septentrione imminente. Torcastensis,Tartarorum regni pars, præter oleum omnia proferens.

Paros, insula appellatur vna ex Cycladibus,quæ candidissimum

marmor gignit:à cuius candore dixit Virgilius lib.2 AEneid.
Niueámque Paron. Ouid. item 3.Meta. -vultúq; immotus codē
Hæret,vt è pario formatum marmore signum.
Spectat humi positus,geminum sua lumina sydus.

Parrhasia, regio in Peloponneso,dicta Arcadia, Lycaonis patria. Vnde Parrhasius. Virgilius 8.AEneid.
Parrhasio dictum Panos de more Lycæi. In ea est mons in quo Bicornis Fauni templum fuerat, à quo Lycæa ludicra illi sacrata,à nobis Lupercalia dicta.Vnde Ouidius lib.2.Fastorum,
Quid vetat Arcadico dictos à monte Lupercos?

Parrhasius,Ephesius pictor,venit in certamē cū Zeuxide.Et cum ille detulisset vuas pictas tanto successu, vt in scenam aues aduolarent:ipse detulisse linteum pictum traditur,ita veritate repræsentata,vt Zeuxis alitum iudicio tumens,flagitaret tandem remoto linteo ostendi picturam, atque intellecto errore concederet palmam ingenuo pudore,quoniam ipse aues fefellisset,Parrhasius autem se artificem.Plinius lib.35.cap.10.

Parthenius,fluuius est in Ponto & Bithynia:itē inTaurica regione,author est Strabo. Parthenius Bithyniæ,vulgo Portemy. Parthenius item, poeta Nicæus,vt ait Suidas, Elegiacus,diuersorúmque metrorū:à Cinna in bello Mithridatico captus, deinde ob ingenium manumissus. Vixit vsque ad Tiberium Cæsarem, qui, teste Tranquillo,eius scriptis admodum delectabatur. Huius Parthenii locos Virgilius quandoque mutuabatur:cuiusmodi est illud,
Glauco,& Panopeæ,& Inoo Melicertæ.Author Gellius. Fuit item alter Chius genere,filius Thestoris,qui vocabatur Chaos,Homero poeta prognatus:scripsit versus in laudem patris Thestoris.Suidas. Est item Parthenius, portus in litore Brutio, & mons in Arcadia regione.

Parthenope,vna fuit Sirenū,quæ præ dolore quòd prætereūtem Vlyssem cū sociis cantu non deceperint, in mare se præcipitarunt: vna hæc in eum delata est locum,vbi postea condita fuit Neapolis, præclara vrbs Campaniæ. Parthenos enim virgo Latinè dicitur. Ab hac igitur Sirene,Neapolis est appellata:à virgine,Parthenope. Et licet quidā dicant Neapolim dictam,quòd Augustus eam instaurauerit:tamen legitur Neapolitanos singulis annis ad tumulū Parthenopes faces tulisse. Hác Cuman,à parentibus digressi,condidisse produntur: qui quū in eo loco Parthenopes corpus in veteri monumento conditū reperissent,nomē ei vrbi indidere. Sed postquā loci humanitate atq; vbertate maiorē in modū frequētari ciuitas cœpit, veriti ne Cumæ desererētur,deserēdi Parthenopē consilium iniuere.

Parthenope⁹, teste Seruio, Menalippæ & Martis, siue Melanionis filius, rex Arcadiæ, qui Thebana bella puer admodum petiit. Hic in bello Troiano periit, cúmque apud inferos vidit AEneas. Virgilius,
Hic illi occurrit Tydeus, hic inclytus armis
Parthenopeus.

Parthi, Asiæ populi, quibus Romanæ clades gloriã pepererũt. Parthi exules nominantur lingua Scythica: ex hac enim profugi in Assyria consederunt, & est illis ex Medis & Scythis sermo cõmistus, authore Iustino lib. 41: vbi multa de Parthis memoratu digna.

Parthini, populi sunt Macedoniæ prouinciæ, vt scribit Plini⁹ cap. 23. lib. 4. in descriptione Macedoniæ.

Parysatis fuit, teste Plutarcho, Cyri filia, & Artaxerxis mater.

Pasiphae, Solis fuit filia, & vxor Minois regis Cretæ, matérque Ariadnes atque Minotauri, quem ex infami amore tauri progenuisse scribunt poetæ: vt Virgilius in Sileno, & Ouidius lib. Metam. 4.

Pasiteles, sculptor egregius in Græcia natus, & ciuitate Romana donatus. Plasticen matrem statuariæ sculpturǽque & cælaturæ esse dixit: & cum esset in omnibus his summus, nihil vnquam fecit antequam finxit. Author Plinius lib. 35. cap. 12.

Pasithoa, vna fuit ex nymphis Oceani & Tethyos filia, vt dixit Hesiodus in Theogonia.

Pasitigris, Plinio lib. 6. cap. 27, nomen quo Tigris fluuius, vbi remeauere aquæ, appellatur.

Pastophori, sacerdotes sacrosancti AEgyptiorum, honoratiores cæteris. Dicti Pastophori, quòd ferant pallium Veneris, cui nomen est Pastos. Pastophoros etiam Venus est appellata.

Patara, Lyciæ ciuitas, apud quam (inquit Seruius) constat Apollinem sex mensibus hyemalibus dare responsa, vnde Patareus Apollo dicitur: & sex apud Delum. Hæc ille enarrãs Virgilianum illud,
Qualis, vbi hybernam Lyciam, Xantíque fluenta
Deserit, ac Delum maternam inuisit Apollo.

Patauiũ, Ptolemæo lib. 5. cap. 1, vrbs est in Põto siue Bithynia, quæ hodie Polmen dicitur. Est item vrbs in Italia, quæ alio nomine dicitur Padua, ab Antenore condita. Ptolemæus lib. 3. cap. 1. Extat hodie in eadem vrbe Antenoris sepulchrum vetustissimum cum huiusmodi inscriptione, quæ ob nimiam vetustatem vix legi potest,
Inclytus Antenor patriam vox Nisa quietem,
Transtulit huc Henetos, Dardanidúmque fugas.
Expulit Euganeos, Patauinam condidit vrbem:
Quem tenet hîc humili marmore cæsa domus.

Paterniana, Ptolemæo libro secundo cap. 6, Hispaniæ vrbs. vulgo

Paſtrana.

Patizites, vir Perſa, magus, quem Cambyſes apud Perſas præfectum reliquerat. Hic Smerdim fratrem ſuũ ſimilem Smerdi fratri Cambyſis Perſarum regem declarauit, vt ſcribit Herodotus.

Patmos, Inſula eſt vna ex Cycladib9, in AEgæo, vt ſcribit Strabo.

Patræ, Patrarum, vrbs Achaiæ in longiſſimo promontorio poſita, ex aduerſo AEtoliæ. De Patris ſcribit Thucydides lib.2.

Patriãphes, vir Perſa, & Xerxis auriga, vt ſcribit Herodotus lib.7.

Patroclides, proprium viri aſſentatoris Philippi Macedonũ regis.

Pattagia, fluuius Siciliæ, ἀπὸ τοῦ πατάγου, id eſt à ſonitu. nam per ſaxa fluens clamare videtur. Claudianus,

-& ſaxa rotantem Pattagiam.

Pauſanias, Cleombroti filius, Lacedæmoniorum dux, res multas bello fœliciter pro Lacedæmoniis geſſit. Contra Atheniẽſes qui bellum excitauerant miſſus, eos pacatos reddidit eiectis ex vrbe decem tyrannis. Poſt etiam Plateas deuictas tripoda afferens Apollinis templo cum hoc epigrammate,

Ελλήνων ἀρχηγὸς ἐπεὶ στρατὸν ὤλεσε μήδων

παυσανίας, φοίβῳ μνῆμ' ἀνέθηκε τόδε. Id eſt, Græcorum dux Pauſanias, deuicto Medorum exercitu, dedicauit Apollini hoc monimẽtum. Demũ rebus Perſicis ſtudens quũ eſſet Byzantiis, paulatim ad tyrannidem peruenit, ſtipatoribus Phœnicibus & AEgyptiis, tum veſte menſáque Perſica vtens Xerxis, inſuper filia ſibi matrimonio iuncta. Quare in iudicium vocatus, fugit in templum Mineruæ, vbi & interfectus eſt. Cadauer in barathrũ eiectum. Ex Thucydide.

Pauſanias Macedo adoleſcens, qui Philippum Macedonem interfecit. Hic primis pubertatis annis ſtuprum per vim paſſus ab Attalo fuerat: & quod deterius eſt, cõuiuis vti ſcortũ vltro oblatus. De qua iniuria apud Philippum ſæpe queſtus, cum eum ridentem faci nus videret, iram in eum conuertit, & vltionem quam ab inimico non poterat, ab iniquo iudice exegit. Trogus. Pauſanias itẽ, Cæſarienſis grammaticus, æqualis Ariſtidi, ſcripſit De conſtructione librum vnum, Problematum item vnum. Author Suidas. Huius etiam meminit Philoſtratus.

Pauſias, Sicyonius pictor, lacunaria & cameras pingere inſtituit. Amauit & Glycerium municipem ſuam, inuẽtricem coronarum, vnde paupertatem illa ſuſtentauit. Hanc pinxit ſedentem cum corona, quæ tabula appellata eſt στεφανόπλοκος, id eſt coronam texens. Huius tabulæ exemplar L. Lucullus duobus talentis emit Athenis. Author Plinius.

Pauſilypum, vt ait Plinius lib.9.cap.53, villa eſt Campaniæ, haud

procul Neapoli. In ea Cæsaris piscinis à Pollione Vedio cõiectus piscis, quem Seneca sexagesimum post annum expirasse scribit.

Pax Iulia, Ptolemæo Lusitaniæ vrbs. Vulgo Badaioz.

P E

Pedæus, fuit Antenoris filius nothus, teste Homero lib. Iliad. 5.

Pedasus fuit, teste Homero lib. 6. Iliados, Bucolionis maximi filiorum Laomedõtis filius. Est & eius nominis ciuitas, Pylo vicina, vini feracissima, vt idem Homerus author est lib. Iliados 9. Est etiam Pedasus, vnus ex equis Achillis, vt idem tradit Iliad. 16. quem præ cæteris egregium tanquam equorum immortalium comitem habebat. Siquidem hunc Podagre inter equas rapidissima, cum in verno prato pasceret, ad Oceanum ex Zephyro genuit. Eóque ventos, vnde originem traxerat, cursu & quasi volatu equabat.

Pegasa, Vide PAGASA.

Pegasus, equus fuit alatus, natus ex sanguine Medusæ, qui ad montem Parnassum aduolãs, quum terram vngula pedis effoderet, πηγὴν, id est fontem produxit, à quo ipse Pegasus cognominatus est. Cuius rei fabulam Ouidius lib. 4. Metamor. & Lucanus lib. 11, scripserunt. Plinius cap. 49. lib. 10, Pegasos fabulosos fuisse existimat. A Pegaso, Musæ Pegasides dictæ.

Pelagia, mulier Antiochena, voluptatibus & illecebris primùm deditissima: vt quæ nulli rei attẽtius vacaret, quàm corpori comendo. Tandem tamẽ meliore ducta spiritu, aspernari cœpit quod antè amabat maximé.

Pelasgi, vt est author Strabo lib. 5, populi sunt Græciæ vetustissimi; olim Thessali appellati. Hi, vt ex Hesiodo Strabo refert, ex Arcadia originem duxerunt. Hos quippe diuino è Lycaone gnatos extitisse ait, quẽ Pelasgus procreauit. AEschylus autẽ in Danaidibus, eorum genus ex Argis Mycenarum extitisse prodidit. Peloponnesum enim Pelasgiam vocitatam fuisse testis est Ephorus. Euripides quoque in Archelao, Danaum illum L. filiarum genitorem, Argos venientem, Inachi vrbem habitasse commemorat. Quique antea Pelasgi nominabantur, vt Danai dehinc vocarentur, lege Græca sanxisse. Plerique & gentes Epiroticas appellauere Pelasgicas. Heroum quoque nominibus posteriores permultos Pelasgos nũcupantes ab illis frequentia gentibus indidere vocabula. Nam & Lesbon appellauere Pelasgiam. Et habitantibus Troadem Cilicibus, finitimos Pelasgos nuncupauit Homerus. Argos quoque Pelasgicum Thessalia dicitur, inter eruptiones Penei & Thermopylas, vsque ad montanum Pindi tractum. Iouem quoque Dodonæũ ipse poeta Iliad. 16, Pelasgicum nominat.

Pelaſgia,regio Græciæ,circa extremam Macedoniæ partem,verſus Achaiam,olim Theſſalia dicta,inter duo maria,AEgæum & Ionium,platani folio ſimilis, propter anguloſos receſſus. Author Plinius lib.4.cap.4.

Pelaſgis,Plinio lib.4.cap.5,regio eſt Arcadiæ vndique à mari remota, quæ initio Drymodis dicebatur . Dicta quoque eſt Pelaſgis, Arcadia,vt annotat Hermolaus in Plinii caſtigationibus, à Pelaſgo rege magno & ſapiente viro:ſcilicet quia vitæ cultioris eius author fuiſſet, & victum ex ſtirpibus herbarum, arborúmque frondibus tranſtuliſſet ad glandem,maximéque fagineam.

Pelethronium, oppidum eſt Theſſaliæ, vbi primum domandorum equorum repertus eſt vſus. Author Seruius explicans illum Virgilii locum Georg.3,

Primus Erichthonius,currus & quattuor auſus
Iungere equos,rapidíſque rotis inſiſtere victor.
Fræna Pelethronii Lapithæ,gyróſque dedere
Impoſiti dorſo,atque equitem docuere ſub armis
Inſultare ſolo,& greſſus glomerare ſuperbos.

Peleus,AEaci regis filius, maritus Thetidis & pater Achillis. De quo Ouidius plura 11.Metamor. A Peleo,Pelides dictus eſt Achilles.Idem epiſt.8,

Pelides vtinam vitaſſet Apollinis arcus.

Pelias,fuit Neptuni filius,ex Tyro nympha,filia Salmonei regis. Pelias item,haſta qua Achilles vtebatur.Ouidius,

Tranſeat Hectoreum pelias haſta latus.

Peligni, populi Marſis finitimi, quorum metropolis eſt Sulmo. Patria fuit Ouidii,vt teſtatur ipſe, Pelignæ gentis gloria dicar ego.

Pelion, mons Theſſaliæ verſus Orientem Solem, vt ſcribit Herodotus lib.7.Huius meminit Lucanus lib.6.& Ouidius 5.Faſtorũ,

Pelion Hæmoniæ mons eſt obuerſus in Auſtros:
Summa virent pinu:cætera quercus habet.

Pella,ciuitas eſt Macedoniæ,vt ſcribit Liuius lib.6, de ſecũdo bello Punico:& in litore maris AEgæi,vt oſtẽdit Herodot⁹ lib.7. Eam Pomponius Mela ſcribit illuſtratam maximè alumnis Philippo & Alexandro eius filio. Nam in ea Alexander natus dicitur, vt eſt teſtis Iuuenalis, Vnus Pellæo iuueni non ſufficit orbis.Id eſt, Alexandro,qui deinde Babylone morbo vinolentiæ, vt ſcribit Solinus (quanquam alii veneno affirment)conſumptus eſt. Philippus verò AEgis à Pauſania,quum ſpectatum ludos irent, iuxta theatrum occiſus fuit.Qui ſimiliter à poetis Pellæus eſt appellatus. Lucan⁹ lib. 10, Illic Pellæi proles veſana Philippi. Fuit & Pella,ciuitas exigua,

vt idem poeta docet,dum ait, Exiguæ secura fuit prouincia Pellæ.

Pellene,penul.prod.oppidum, teste Strabone lib.8, Achaiæ,quod à mari L X stadia distat: à quo Pellenei,populi. Est & Pellene,vicus Straboni à quo Pellenicæ,chlænæ vestes, ad agonas victoribus præmia proponebantur.

Pelopidas,Lacedæmonius vir clarissimus,cuius vitam lege apud Plutarchum.

Peloponnesus,regio est,teste Plinio lib.4,peninsula,haud vlli terræ nobilitate postferenda: inter duo maria, AEgæum & Ionium, platani folio similis. De hac antea scripsimus in dictione ACHAIA.

Pelops,Tantali potentissimi Phrygũ regis filius fuit. Hic quum Hippodamiam OEnomai Pisæ regis filiam, coniugem desyderasset,iniquissimis conditionibus propositis ab OEnomao reiectus est: quæ res bellum suscitauit, in quo Myrtilo præfecto suo proditore,regno OEnomai Pelops potitus est. Hinc illæ poetarum fabulæ. Lege Diodori Siculi librum quintum.

Pelorum vel Pelorus, promontorium Siciliæ est, secundum Sallustium, dictum à gubernatore Annibalis illic sepulto, qui per regis ignorantiam fuerat occisus,cum se eius dolo crederet esse deceptum veniens de Petilia, quanquam legimus etiam antè Pelorum dictum. Hæc Seruius enarrans illud Virgilii 3.AEneid.

Ast,vbi digressum Siculæ te admouerit oræ
Ventus,& angusti rarescent claustra Pelori.

Pelusium,vnum est ex ostiis Nili versus Asiam & Arabiã, quam ab AEgypto separat, iuxta quod eiusdem nominis stat ciuitas. Iuxta Pelusium est optima lens,Virgilio authore lib.1.Georg.

Nec Pelusiacæ curam aspernabere lentis.

Penates(inquit Seruius)sunt omnes dii qui domi colũtur. Virgil. Incumbens aræ,atque vmbra complexa Penates.

Peneleus, vnus fuit è quinque Bœotorum ducibus, teste Homero lib.Iliad.2.

Penelope, filia Icarii, & vxor Vlyssis: cui ad bellum Troianum profecto , fidem & pudicitiam seruauit, licet à multis procis sollicitaretur.Ouidius, Hanc tua Penelope lento tibi mittit Vlysses.

Peneus,fluuius est Thessaliæ: de quo Plinius cap.8.lib.4, sic scribit,Et ante cunctos(inquit) claritate Peneus,ortus iuxta Gomphos: interque Ossam & Olympum nemorosa conualle defluens, D. stadiis, dimidio eius spatio nauigabilis. In eo cursu Tempe vocantur, V. M. pass. longitudine, & ferme sesquiiugeri latitudine, vltra visum hominis attollentibus se dextra læuáque leniter cõuexis iugis. Intus sua luce viridante allabitur Peneus,viridis calculo,amœ-

nus circa ripas gramine, canorus auium concentu. Hæc Plinius in descriptione Thessaliæ.

Pentapolis, Africæ regio, eadem Cyrenaica prouincia dicta. Plinius cap.5.lib.5, Cyrenaica(inquit)eadem Pentapolitana regio,illustratur Ammonis oraculo,vrbibus maximè quinque, Berenice,Arsinoe,Ptolemaide,Apollonia,ipsa Cyrene.

Penthesilea, Amazonum regina, quæ,teste Iustino lib. 2, Otteræ siue (vt alii) Orithyæ successit in regno: eiúsque Troiano bello inter fortissimos viros, cum auxilium aduersus Græcos ferret, magna virtutis documenta extitere. Hæc,vt ait Seruius,dicta est furens,quia sororem suam in venatione confixit,simulans se ceruam ferire. Virgilius 1. AEneid.

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Penthesilea furens,mediísque in millibus ardet,
Aurea subnectens exertæ cingula mammæ
Bellatrix,audétque viris concurrere virgo.

Pentheus, teste Ouidio in Metamor. filius Echionis, ex Agaue coniuge filia Cadmi: qui cum Liberi patris sacra aspernaretur, ira numinis, matre & sorore in furorem versis,laceratus est. Statius Thebaidos lib.2,

Pentheúmque trahens nondũ te prendimus æquo Bacche genu.

Penthylus, filius Demonoi, qui è Papho naues duodecim in auxiliũ Xerxis eduxit,quas oborta tẽpestate amisit. Ipse verò captus, multa de exercitu Xerxis Græcos edocuit. Author Herodotus lib.7.

Peræa, Plinio lib.5.cap.14, Iudææ pars vlterior,Arabiæ & AEgypto proxima,asperis dispersa montibus, & à cæteris Iudæis Iordane amne discreta.

Percope,ciuitas iuxta Pontum,quæ Troianis auxilia misit, teste Homero.

Percosius,Troianorum amicus,omnium longè doctissimus scientia diuinandi futura. Cuius filii fuerunt Adrastus & Amphius, quos neque admiranda patris doctrina, neque paterna solicitudo à morte subtrahere potuit, cum eos retinere conaretur, ne ad Troianum bellum,vbi morituri erant, proficiscerentur. Illi enim(nam sic misera fati necessitas trahebat) nec parêre imperio, nec credere consilio senis toties monentis voluerunt.

Perdicas Macedo, inter comites Alexandri magni,qui etiam in regni partem successit, tanta vir audacia,simul & fortitudine,vt leænæ præsente catulos è cubili per vim auferret. Author AElianus de varia historia.

Perga,Pamphiliæ oppidum in quo templum Dianæ fuit,quæ ob

id Pergæa dicitur. Author Pomponius Mela lib. primo in descriptione Pamphiliæ.

Pergama, mœnia vrbis Troiæ, quæ altissima fuerunt: ex quibus omnia alta ædificia Pergama vocantur. Hæc Seruius.

Pergamum, vel Pergamus, minoris Asiæ insignis ciuitas, quæ (inquit Strabo) sub Attalicis regibus diu fuit fortunata, & thesauros seruabat Lysimachi Agathoclis filii, qui vnus fuit ex successoribus Alexãdri. Hæc Strabo lib. 13. Patria fuit Galeni medici nobilissimi.

Periander, Corinthiorum rex, vnus è septem sapientibus, Cypselo patri in regno successit, regnauit annos quadraginta. Rogatus cur in tyrannide perseueraret, quum esset sapiens: respondit, & sponte, & inuitum cedere, periculosum. Crudeliter igitur & in magna suspicione agebat, stipatus semper militibus, otiosos in foro & oscitantes vsque formidans. Quapropter continuo erat in bellis, naualibus præsertim. Dicitur & Isthmũ voluisse perfodere, & vxorem adeò dilexisse, vt etiam cum mortua concubuerit. Scripsit ὑποθήκας, id est humanæ vitæ præcepta. Huius illud est, χόλον κράτει, id est iram compesce. Diogenes. Suidas.

Pericles, Atheniensis clarus authoritate & eloquentia, quẽ Olympium poetæ comici vocant, quòd tonare in concionibus ac fulmen ciere videretur. Habuit in administratione reipublicæ aduersarium Thucydidem Milesium, virum nobilem ac potentem. Suggestum ascensurus, diis vota faciebat, ne verbum se imprudente, aut inuito efflueret, quod ad Rempublicã minus pertineret. Cum Sophoclem haberet in magistratu collegam, ac simul aliquando nauigasset, collaudassétque Sophocles formã pueri prætereuntis inter graues sermones: Nõ solum (inquit) ô Sophocles, magistratum decet manus, sed etiam oculos habere continentes. Thucydide quondam vociferante, quòd nimis multa ex publico pro ædificiis erogasset, ipse ad populum dixit: si ita eis videretur, de suo erogaturum, modò eius nomen inscribi in operibus paterentur. Responderunt, sumptus omnino publicè fieri debere. Periclis etiã meminit Cicero in Bruto.

Periclymeus, filius Nelei, & frater Nestoris & Chromii, teste Homero lib. 11. Odisseæ, qui ab Hercule in bello interemptus fuit. Huic à Neptuno auo concessum omnia fieri: siue in vrsum, siue formicam, siue apem se vertere, vt Apollonius & itẽ Hesiodus poetæ testantur. Huius historiam vide 12. Metamor. Ouidii.

Perillus, Atheniensis fuit ingeniosus, qui vt placeret Phalaridi, venit Agrigentum, & ex ære taurum artificiosissimum fabricauit, cui ianuam in latere posuit: vt cum inclusus reus subiectis ignibus torqueretur, mugitum, & non hominis vocem videretur emittere:

pro quo inuento, cum munus à crudelissimo tyranno Phalaride, qui nouis hominum tormentis delectabatur postulasset, in eo ipse includi à tyranno iussus, ac suppositis ignibus exustus. Ouidius de arte amandi,

Et Phalaris tauro violenti membra Perilli
Torruit infœlix, imbuit author opus.

Perinthus, clara vrbs Thraciæ in Propontide, olim Thraciæ metropolis, quæ hodie dicitur Heraclea, ab Heraclio principe Constantinopolitano cognominata, in qua Vespasiani, Domitiani, Antoniníque palatia fuerunt ingentia, & amphiteatrum ex vno marmore magnum & mirandum: quod inter septem orbis miracula numeratur. Perinthii, Perinthi ciuitatis incolæ circa Hellespontum, authore Herodoto circa initium lib.5.

Peripatetici, Philosophi erant Athenis, quorum originem ita assignat Cicero Academicarum quæstionum lib.1, Platonis autem authoritate, qui varius & multiplex & copiosus fuit, vna & consentiens duobus vocabulis philosophiæ forma instituta est Academicorum & Peripateticorum, qui rebus congruentes, nominibus differebant. Nam quum Speusippum sororis filium Plato philosophiæ quasi hæredem reliquisset, duos autem præstantissimos studio atque doctrina, Xenocratem Chalcedonium, & Aristotelem Stagiritem: qui erant cum Aristotele, Peripatetici dicti sunt, quia disputabant inambulantes in Lycio: illi autem qui Platonis instituto in Academia, quod est alterum gymnasium, cœtus erant, & sermones habere soliti, è loci vocabulo nomen habuerunt. Sed vtrique Platonis vbertate completi, certam quandam disciplinæ formulam composuerunt, & eam quidem plenam ac refertam. Hactenus Cicero.

Permessus, fluuius est Bœotiæ, ex Helicone fonte musis sacro defluens. de quo Virgilius in Sileno,

Tum canit errantem Permessi ad flumina Gallum,
Aonas in montes vt duxerit vna sororum.

Pero, teste Homero Odysseæ 11, filia fuit Nelei, & soror Nestoris & Periclymeni, de quibus suis locis diximus: tam admiranda fuit pulchritudine, vt omnes accolæ illam ducere in vxorem cuperent. Quamobrem pater Neleus illi soli eã promisit, qui boues ingentes ex Herculis custodia eriperet.

Perorsi, Plinio lib.5. cap.8, populi AEthiopũ in fine Mauritaniæ: qui, vt idem testatur lib.6. cap.30, quadrupedum ferarum modo vagi sunt, earúmque visceribus vescuntur.

Perseis fuit, teste Hesiodo in Theogonia, vna ex nymphis Oceani & Tethyos filia.

Perſephone,ea eſt quæ à noſtris Proſerpina dicitur,quanquam & priori vocabulo nonnunquã noſtri poetæ vtũtur. Ouid.4.Faſtorũ, At neque Perſephone digna eſt prædone marito.

Perſepolis,vrbs Perſidis à Perſeo cõdita,vt eſt apud Strabonẽ li.15.

Perſes,authore Herodoto libro 7 filius fuit Perſei Danaes filii ex AndromedaCephei filia,à quo Perſas originem duxiſſe ſcribit.Hic, teſte Plinio lib.7.cap.5,primus ſagittas reperit. Fuit item alter hoc nomine rex Macedonũ, qui, vt ait Sabellicus,fractis opibus regni, humiliter & abiecte iacuit ad pedes AEmilii: à quo ductus eſt in triumphũ Romam cũ filiis,periitque in carcere,mœrore animi confectus. Tertiũ & ponit Suidas vatẽ Aſcræũ, & Heſiodi poetæ fratrẽ.

Perſeus,Herodoto lib.7,filius Iouis & Danaes,qui Meduſam occidit.Deinde Andromedam ſaxo alligatam,& ceto deuorandam liberauit,ac vxorem duxit:multóſque hoſtes, oſtẽſo capite Meduſæ, conuertit in ſaxa.Tandem Argos reuerſus, Acriſium regem auum ſuum (à quo cum matre infans fuerat mari expoſitus) occidit, & pro eo regnauit.

Perſia, regio eſt Orientalis, quæ ab antiquo quodam rege nomen aſſumpſit,teſte Curtio de rebus geſtis Alexandri.

Perſicus ſinus,Ptolemæo lib.5. cap.4, hodie mare de Balſera nomen habet, in cuius ore inſula Gulfar.

Perſius,doctiſſimus Romanorum,cuius Lucilius meminit.Cicero item de Oratore,C.Lucilius homo doctus & perurbanus dicere ſolebat,ea quæ ſcriberet,neque ab indoctiſſimis, neque ab doctiſſimis legi velle,quòd alteri nihil intelligerẽt,alteri plus fortaſſe quàm ipſe de ſe:quo etiam ſcripſit,Perſium nõ curo legere: hic fuit enim, vt noramus, omniũ ferè noſtrorũ hominum doctiſſimus: Lælium Decimum volo,quem cognouimus virum bonum & non illiteratum,ſed nihil ad Perſium.Hactenus Cicero. Perſius Flaccus,Volaterris Hetruriæ oppido natus eſt. Conſtat eum claruiſſe iiſdem ferè temporibus, quibus Domitius Nero imperium vrbis Romæ ſuſcepit.In grammatica præceptorem habuit Rhemnium Palæmonem Vincentinum, qui grauiſſimas inimicitias dicitur exercuiſſe cum M.Varrone.In Rhetorica Flauium Virginium.Anneum verò Cornutum, qui philoſophiæ ſtudio excelluit magna diligentia, ſingularíque obſeruatione coluit,cúmque eo familiariſſimè diu vixit,vt teſtatur ipſe his verſibus,

Cúmque iter ambiguum,& vitæ neſcius error
Deducit trepidas ramoſa in compita mentes,
Me tibi ſuppoſui:teneros tu ſuſcipis annos
Socratico Cornute ſinu. Vide Crinitum.

Perusia, Tuscorũ vrbs, authore Ptolemæo lib.3.cap.1. Perusium hodie, vulgo Perugia, Perouse.

Pessinus, Pessinuntis, emporiũ Phrygiæ habens templũ maximũ (vt inquit Strabo lib.12) magnæ venerationis matris deûm, quã Angidistã vocãt. Hic locus magnifice ab Attalicis regibus structus est, & templo & porticibus ex albo lapide, Romani celebre reddiderũt, accersita inde deæ statua, & Pessinũtia appellata. Pessinuntem Dindymenam & Cybelem vocant, ait Ptolemæus lib.5.cap.4: ibi Gorgius nodus est ab Alexandro rescissus.

Petilia, oppidũ Lucaniæ, conditũ à Philoctete. Virgilius 3.AEneid. Parua Philoctetæ subnixa Petilia muro.

Petosiris, AEgyptius mathematicus insignis. De quo Plinius lib. 7.cap.49, Durat & ea ratio quam Petosiris ac Necepsos tradiderũt, & tetartemorion appellant, à triũ signorũ portione. Meminit idem lib.2.cap.23, rationis quam de lunari circulo habebant, quam & ipse vt inualidam reiicit: vnde Iuuenalis Satyra 6,

-capiendo nulla videtur
Aptior hora cibo, nisi quem dederit Petosiris.

Petra, Siciliæ oppidũ prope Hyblam. Petræ Sirenum, vrbs Lucaniæ. De qua Plinius lib.3.cap.4, Surrentum cum promontorio Mineruæ, Sirenum quondam sede. De eo Virgilius 5.AEneid.

Iámque adeò scopulos Sirenum aduecta subibat
Difficiles quondam, multorúmque ossibus albos. Vbi multa de Sirenibus Seruius. Item Petra, Straboni lib.decimosexto, Arabiæ oppidum, Nabatæorum metropolis. vnde ea pars Arabiæ Petræa nuncupatur.

Petracorii, Ptolemæo lib.2.cap.7, Galliæ populi: vulgo Perigort.

Petræa, nympha Oceani & Tethyos filia, teste Hesiodo in Theogonia.

Petreius Atinas, Cimbrico bello primipilus sub Q. Catulo, exclusam ob hoc legionem suam adhortatus, Tribunum suum dubitantem per hostium castra erumpere interfecit, legionémque eduxit: donatus propterea corona graminea ob seruatũ exercitum.

Petreius, dux Pompeianus à Cæsare in Hispania superatus, vt in ipsius Commentariis scribitur.

Petronia, vxor Vitellii Romanorum imperatoris, consularis viri filia, ex qua Petronium captum oculo altero habuit. Author Tranquillus.

Petronius, AEgypti præfectus, ab Augusto missus, Cornelio Gallo successit, aduersus AEthiopes bellum gessit. quibus regina Candace imperitabat, virili quidem animo mulier, sed altero capta

oculo. De quo vide apud Strabonem lib.17. Petronius Granius, centurio octauæ legionis, sub Cæsare bello Gallico militans. De hoc Plutarchus in Cæsare scribit, qui vnus è partibus Cæsarianis, cum nauis eius, qua quæstor designatus in Africam vehebatur, in Scipionis potestatem venisset, & cæteris interfectis, quæstori Scipio incolumitatem polliceretur: respondit Cæsarianos, aliis incolumitatem dare, non accipere consueuisse: quo dicto se gladio transuerberauit. Vide Plutarchum in Cæsare. Petronius alius, qui AElii beneficio ex humili loco ad equestrem ordinē peruenerat. Mox quum AElius Placentiæ præesset, ne in manus hostium veniret, gladio incubuit. Petronius quoque, qui morientem iuuerat, super eundem cecidit. Author Valerius de amicitia. Petronius consularis, moriturus inuidia Neronis, vt mensam eius exhæredaret, trullam murrhinam CCC. sestertiis emptam fregit. Hæc Plinius cap. 2. lib. 37. Petronius, pater Vespasiani Cæsaris. Petronius Perpēna, qui Constantinianas thermas in pristinum splendorem restituit. Petronius, Diodotus medicus, qui scripsit antilegomena, citatur testis à Plinio cap. 8. lib. 20. Petronius poeta, cuius aliqua de medicina versibus conscripta, ad nostram ætatem peruenerunt, vt scribit Volaterranus.

Peuce, insula Borealis in Istro, à qua vni ex Danubii ostiis nomē datum, vt Plinius docet lib. 4. Lucanus lib. 3,

-& barbara Cone
Sarmaticas vbi perdit aquas, sparsámque profundo
Multifidi Peucen vnum caput abluit Istri.

P H

Phabiranum, Ptolemæo lib. secundo cap. 11, Germaniæ vrbs, vulgo Bremen.

Phæaces, populi Corcyræ sub ditione Alcinoi. De quibus Virgilius tertio AEneid.

Protinus aerias Phæacum abscondimus arces. Hinc Phæacius & Phæacus, adiectiua. Propertius lib. 3,

Nec mea Phæacas æquant pomaria syluas.

Phædon fuit, teste Gellio lib. 2. cap. 18, Atticarum Noctium, Elidensis ex cohorte Socratica, Socratique & Platoni familiaris. Vide Gellium & Laertium.

Phædra, fuit Regis Minois ex Pasiphae coniuge filia. Hæc vna cum Ariadne sorore Theseum AEgæi regis Athenarum filium secuta est: quam ille, relicta Ariadne, vxorem sibi copulauit, cui Demophontem peperit & Antigonum. Volater.

Phædrus, fuit vnus ex discipulis Platonis, cuius nomine Plato no

bilem librum edidit,qui inscribitur Phædrus.

Phædyma,Otantis nobilis Persæ filia,teste Herodoto lib.4.

Phæniana,apud Ptolemæum lib.2. cap.12, Rhetiæ vrbs,alio nomine Phebiana castra:vulgo hodie Behenhusium.

Phæstum,vrbs in Creta, à qua Epimenides Phæstius dictus est: quem adiutorem Solonis legibus cōdendis fuisse tradit Plutarchus in vita Solonis.

Phæst⁹ fuit,teste Homero in 5.Iliados,Bori Mæonii filius,siue Lydii, qui veniens in auxilium Troianorum,ab Idomeneo interficitur. Est etiam mons Cretæ, siue promontorium circa Cortynam vrbem, ac ciuitatis in eo loco nomen, vt ostendit idem Homerus in 2.Iliados,& in Odyssea.

Phaeton,Ligurum rex fuit vetustissimus, cuius multæ in Hetrusco litore coloniæ fuerunt,vt Cato est author. De quo antea in dictione ERIDANVS. Fuit & alter Solis ex Clymene filius, qui cū à patre impetrasset vt eius currū vno die regeret: cū non modo terras, sed etiā cælum cōbureret, imperitus equos solis gubernādi, Iouis fulmine in Padum fluuium præcipitatus est.Huius verò sorores cum finem lachrymis non imponerent,deorum miseratione in populos arbores,earúmque lachrymæ in electrū conuersæ sunt. De hoc vide finem primi & initiū secundi libri Metamor. Ouidii.

Phaetusa,Solis filia ex Neæra nympha,& soror Lampetiæ, quæ in Sicilia patris sui,id est Solis armenta custodiebant: de quibus socii Vlyssis contra Circes monita degustantes naufragium fecerunt,vt in 12.Odysseæ monstrauit Homerus. Ouidius item Phaetusæ meminit Metamor.libro 2.dum de transmutatione sororum Phaetontis loquitur,cum ait,

Illæ more suo(nam morem fecerat vsus)
Plangorem dederant:è queis Phaetusa sororum
Maxima,cum vellet terræ procumbere:questa est
Diriguisse pedes,&c.

Phago,vir adeò gulosus fuit & vorax, vt adhibitus mensæ Aureliani,aprum integrum,centū panes, veruecem & porcellum vno die comederit, biberítque horcam vini. Author Flauius Vopiscus.

Phalacrus,AEoli filius, vt scribit Homerus in decimo Odysseæ: quanquam Græcis etiam caluum significat.

Phalara,Plinio libro 4.cap.7,oppidum Atticæ in sinu Maliaco.à Phalaro amne Ithomæ Mineruæ proximo.

Phalaris, Agrigentinorum in Sicilia tyrannus, qui ob sæuitiam à suis,tauro quo alios prius suffocauerat, inclusus & crematus est. Ouidius in Ibin,

Vtque ferox Phalaris lingua prius ense resecta,

More bouis Phario clausus in ære gemas. De hoc diximus in dictione PERILLVS. Meminit huius Cicero libro Offic.2. Huius, vt ait Volaterranus, epistolæ tenues admodum diu sibi authoritatem vendicauerant: verum nunc passim legi desierunt.

Phalera, Plinio lib.4.cap.7, portus est Athenis celeber, à quo Demetrius Phalereus cognominatus est.

Phaleriũ, vrbs Tyrrhenæ Hetruriæ. Inde Phalerius. Stephanus.

Phalisci. vide FALISCI.

Phalora, vrbs Thessaliæ, Stephano.

Phanæus, mons est in promontorio Chii, vitibus consitus: sic dictus à Phanæo rege. Author Serui⁹ explicãs illud Virgilii Georg.2,
Sunt & Amineæ vites, firmissima vina.
Tmolus & assurgit quibus, & rex ipse Phanæus.

Phanes, vir Halicarnasseus: qui cum diu in amicitia & societate Amasis regis AEgypti fuisset, tandem accusatus, ex AEgypto in Persas transfugit, & Cambysæ traiicere volenti in AEgyptum adhæsit, eiúsque consilio Cambyses vsus est: & cum viam non satis commodam ad traiiciendum comperiret, hic eum docuit per Arabiam iter facere. Herodotus lib.3.

Phanesii, populi in insulis Oceani Septentrionalibus, qui, vt Solinus ait, aures habent adeò effusas, vt reliqua illis viscera contegãt.

Pharæ, Plinio lib.4.cap.2, vrbs Cretæ, quam Misenii condiderunt.

Pharia, Ptolemæo lib.2. cap.17, insula, in qua & eiusdem nominis ciuitas, quæ Dalmatiæ adiacet.

Pharmacusæ, teste Strabone lib.9, duæ sunt insulæ exiles iuxta Atticam regionẽ, in mari Salaminiaco, è quibus maior sepulchrũ Circes ostentat.

Pharnaces, Mithridatis Ponti in Asia regis filius, qui cum (vt ait Florus) magis discordiæ ciuilis inter Pompeium & Cæsarem fiducia, quàm virtutis suæ, infesto in Cappadociam agmine rueret, hũc Cæsar aggressus, vno & non toto prælio obtriuit more fulminis, quòd vno eodémque momento venit, percussit, abscessit. vnde nec vana est prædicatio Cæsaris de se, ante victũ esse hostẽ quàm visũ.

Pharos, olim parua AEgypti insula, Plinio lib.4.cap.31: quondam diei nauigatione distans ab AEgypto, nunc Alexãdriæ (quæ illi opposita iacet) ponte iuncta, Nili recessu siue exundatione, vt Mela lib.2.& Plinius eodem libro, capite vero 85, testantur. Simul & Lucanus lib.10, -cepit Pharon insula quondam:
In medio stetit illa mari sub tempore vatis
Protheos: at nunc est Pellæis proxima muris. In eadem insula Pli

nio lib. 36.cap.13. & Strabone lib.17. testibus, inter orbis miracula magnificatur turris,multis tabulatis excelsa,& albo lapide mirifice structa,eodem nomine quo insula appellata. Eam Sostratus Gnidius architectus Ptolemæi regis impensis, ad nauigantium salutē struxit,noménque suum in ea inscripsit.nam cum Alexandria insidioso accessu,fallacibus vadis,cæco mari,tribúsque tantum canalibus admittat nauigantes Tegamo, Possidonio, Tauro: signum aliquod necessarium & clarum fuit,quo nauigantes ad portus ingressum dirigerentur.Hinc igitur in portibus machinas, authore Solino,ad prælucendi ministerium fabricatas,pharos dicunt:quoniam in ea turri nocturnis facibus accensis dirigebatur nauigatio. In hac Alexander nouam vrbem condere voluit: sed quia magnæ sedis capax non esset, ex illius aduerso condidit Alexandriam. Eadē insula palmis abundat,teste Ouidio libro Amorum 2.Elegia 13,

Quæ colis,& Memphim,palmiferámque Pharon.

Pharphariades,Plinio lib.5.cap.27, pars vna est Tauri montis.

Pharsalus, ciuitas Thessaliæ, in cuius campis Pharsalicis dictis Cæsar & Pompeius congressi sunt. Vnde Pharsalica pugna dicta, quam descripsit Lucanus.

Pharusii,vel Pharusi Plinio lib.5.cap.8:& Pomponio lib.1,populi sunt Africæ vltra Mauritaniam,quondam Persæ: comites fuisse dicuntur Herculis ad Hesperidas tendentis. Pomponius quoque in fine libri tertii, Deinde Pharusii aliquando tendente ad Hesperidas Hercule dites,nunc inculti: & nisi quòd pecore aluntur, admodum inopes. Qui fabulosa narrant, Thebano hæc Herculi tribuunt. at qui historicam veritatem prosequuntur, AEgyptio Herculi, qui Libycus cognominatus est, potius ascribenda censent. Meminit & horum Strabo lib.17 ,vbi de Mauris mentionem fecit, At Pharusii qui vltra hos habitant, Hesperiis AEthiopibus vicini, sagittant quemadmodum AEthiopes: falcatis quoque curribus vtuntur.miscentur nonnunquam Mauris Pharusii per deserta, aquarum vtres equis portantes: nonnunquam per loca quædam palustria & lacus, Cyrtam veniunt.Quidam ex eis Troglodytarum more sub terrá habitare,& æstiuis imbribus abundare, hyeme verò siccitate laborare.Nonnunquam ex iis barbaris,serpentum ac pisciū coriis,indumentis ac stramentis vtuntur.

Phaselis, Pamphiliæ vrbs in monte sita, piratarum olim perfugium.Proinde Cicero act.in Verr.6, Mamertinū Siciliæ oppidum Verri prætori,prædoni & piratæ Siciliensi,Phaselim quandā fuisse ait,quòd omnes furtorū aceruos illuc deportasset: Phaselis,inquit, illa quā cepit P.Seruilius, nō fuerat vrbs ante Cilicū atque prædo-

num,Lycii illam Græci homines incolebant.sed quòd erat eiusmodi loco,atque ita proiecta in altum,vt & exeuntes è Cilicia prædones sæpe ad eam necessariò deuenirent:& quũ ex hisce locis se reciperent,eodem deferrẽtur,asciuerunt illud sibi oppidũ piratæ,primò cõmercio,deinde etiam societate. Mamertina ciuitas improba antea non erat,etiam erat inimica improborum. mox subdit,Verum hæc ciuitas isti prædoni ac piratæ Siciliensi Phaselis fuit. Huc omnia vndique deportabantur:apud istos relinquebantur: quod celari oportuerat,habebant sepositum ac reconditum:per istos,quæ volebat,in nauem clàm imponẽda, occultè exportanda curabat:nauem denique maximam, quam onustam furtis in Italiã mitteret, apud istos faciendam,ædificandámque curauit.Hactenus Cicero.

Phasis,Colchorum fluuius,in Moschis ortus, & quamlibet magnis nauigiis nauigabilis,author est Plinius. Lucanus lib.3, Colchorum qui rura secat ditissima Phasis. Ex hoc fluuio ab argonautis ad nos phasiani,aues notæ,traducuntur.Multa in vniuersum Strabo lib.11. Est & oppidum, authore Plinio cap.4.lib.6.

Phemonoe, virgo, prima Apollinis Delphici vates dicitur fuisse, carménque Heroicum inuenisse.Author Pausanias.

Pheneum,Plinio lib.4.cap.6,oppidum Arcadiæ: in quo,vt idem testatur lib.25.cap.4,nascitur illa herba cõtra omnia veneficia præsens remedium,quam Homerus à diis moly vocari putat.

Pheræ,Plinio lib.4.cap.8.& Cicerone 1. De diuinatione testibus, oppidum est Thessaliæ, quod crudeli dominatu tenuit Alexander quidam tyrannus,à quo & Pheræus vocitatus est.Huius Alexandri libris De inuentione & Officiis 2.meminit Cicero. Appellatur & Plinio lib.4.cap.5,locus & oppidum in Achaia. Eodem autem lib. cap.7,oppidum Atticæ inter Megaram & Thebas.

Pherecides Syrius,præceptor fuit Pythagoræ.Ipse autem magistrum nullum habuit, sed per se plurimum doctrinæ est adsecutus, vt scribit Suidas.Diogenes autẽ Laertius Pittaci auditorẽ dicit fuisse,& pediculari morbo interisse. Pherecides alter à Diogene ponitur,antiquior etiã superiore,Atheniensis & philosophus,qui ab Orpheo multa didicit,scripsitque Theogoniã libris decem: item libellum De rerum principio. Pherecidem alium Lereum genere,historicum scripsit Suidas.

Pherecrates, Atheniensis poeta comicus,militauit sub Alexãdro Magno,docuítque fabulas XVII.Author Suidas.

Pherenice, nomen mulieris, de qua AElianus de varia historia li.10.sic scribit,Duxit ad Olympicũ certamẽ filiũ suũ Pherenice fœmina,prohibẽtibus eã spectare qui præsidebãt.Licere id sibi persuasit,

quæ patrem & fratres tres haberet Olympionicas. Spectauit,& victorem filium reduxit.

Phidias primùm pictor,deinde statuarius.Cuius artis Iupiter Olympius testimoniū exhibet, & Romæ in porticibus Octauiæ Venus.Author Plinius lib.35.cap.8.Hic etiam statuam Nemesis decem cubitorum,apud Rhamnuntem Atticæ oppidum fecit,quæ in manu mali ramum tenebat, ex quo parua surgebat complicatio : vbi,teste Antigono,inscriptum erat, Agoracritus Parius fecit. Hunc enim discipulum suum Phidias adeò dilexit, vt nomen eius suo inscripserit operi, ex quo prouerbiū, Rhamnusia Nemesis. Ex libro prouerbiorum Græcorum.

Phidippus,vir Thessalus quidā,de quo meminit Homerus. Est & nomen comœdi apud Terentium.

Phila,insula est in mari Gallico,vt scribit Plinius cap.5.lib.3.

Philadelphia,ciuitas Lydiæ,ad radices Tmoli mōtis. Strabo eam ponit in Mysia proximā Lydiæ, quam terræ motibus vexari dicit ad finem libri duodecimi.

Philæ Philarum,insula aspera,& vndique prærupta, adiacēs AEgypto,duobus in vnum coituris amnibus cingitur, qui Nilo mutantur, & eius nomen ferunt. Philæ autem Straboni lib.17. infra Meroen sunt, ad quas ipse Strabo se ex Syene plaustro per plana aliquando vectum scribit.Meminit & Lucanus lib.decimo,

Rursus multifidas reuocat piger alueus vndas,
Qua dirimunt Arabum populis AEgyptia rura,
Regni claustra Philæ.

Philagrus,Sophista Cilix,auditor Lolliani, fuit iracundus maximé . Nam & dormitanti quandoque auditori pugnum in malam fertur impegisse,& infregisse colaphum.Cælius cap.41.lib.11.

Philemon,poeta comicus, quanuis (inquit Quintilianus) prauis sui temporis iudiciis,Menandro sæpe prælatus est: consensu tamen omnium meruit secundus credi.

Philesius,authore Bocatio lib.5,nomē est quo vocatus fuit Apollo, quòd lumen eius exoriens amabile amicissima veneratione oculorum consalutamus. Philesia quoque templa vocauit Bocatius,Apollini consecrata, quæ ab osculo Branchidis,siue à certamine puerorum Philesia vocari dicit.

Philetas Cous, temporibus Philippi & Alexandri Macedonum grāmaticus,criticus & poeta,præceptor Ptolemæi Philadelphi,scripsit elegias,epigrammata,& alia.Author Suidas.

Phileū,Ptolemæo lib.2.cap.11,ciuitas Germaniæ,in regione quæ hodie Frisia vocatur:vulgo Groningen.

Philides, fuit quiſpiam equorum nutritor, à quo cum Themiſtocles equum dono poſtulaſſet, paſſúſque eſſet repulſam, minatus eſt ſe domum eius continuò ligneum equum facturum. Quo ænigmate ſignificabat ſe propinquorũ accuſationes & crimina in eum coniecturum. Plutarchus in Themiſtocle.

Philippi, ciuitas eſt Theſſaliæ (inquit Seruius) in qua primò Cæſar & Pompeius, poſtea Auguſtus & Brutus cum Caſſio dimicauerunt. Virgilius Georg. 1,

Ergo inter ſeſe paribus concurrere telis
Romanas acies iterum videre Philippi.

Philippides, comicus poeta, haud ignobilis, ætate iam prouecta, cum in certamine poetarum præter ſpem viciſſet, gaudio repente mortuus eſt: quod & Diagoræ Rhodio accidit. Suidas.

Philippus Macedo, Amyntæ filius, puer quondã bis obſes datus ab Alexandro fratre, primùm Illyriis, deinde Thebanis, cõciliandæ pacis gratia. Quo tẽpore per trienniũ in domo Epaminondæ ſummi ducis, pueritiæ rudimenta exercuit. De hoc legito Diodorum: & Trogum 7.8.& 9. Philippus, Demetrii filius, rex Macedoniæ à T. Quintio Flaminio victus. Is, vt author eſt Liuius, cũ videret Annibalem fœliciter in Italia res gerentem, legatos ad eum de ſocietate miſit, qui in redtu à Marco Valerio Flacco præfecto claſſis, intercepti cum literis, miſſique ad ſenatum: ſtatim Leuinus COS. contra eum mittitur, qui regem agentem Apolloniæ, incautum, ſemíque ſopitum nocte intempeſta adoritur. Ille in Macedoniam cum exercitu terreſtri itinere fugit, incenſis prius, ne hoſtis potiretur, ſuis nauibus. Vide Liuium lib.1.de bello Macedonico. Philippus, medicus Alexandri, teſte Curtio lib.2. Huius etiam meminit Plutarchus in vita Alexandri. Philippos etiam Romanos viros claros legimus, inter quos L. Philippus orator, Craſſi aduerſarius, vt ſcribit Cicero lib.3.de Oratore.

Philiſtion, Nicæus poeta comicus, qui Socratis ætate floruit, nimio riſu mortuus eſt.

Philix, nutrix fuit Domitiani principis, vt eſt author Suetonius.

Phillyra, mater Chironis Centauri, à qua Chiron Phillyrides dictus, authore Seruio apud Virgilium 3. Georgic.

-ceſſere magiſtri,
Phillyrides Chiron, Amythaoniúſque Melampus.

Philo, Academicus Clitomachi diſcipulus, Romæ profitebatur quò profugerat Mithridatico bello, teſte Cicerone: Eodem (inquit) tempore cũ princeps Academiæ Philo cũ Athenienſium optimatibus Mithridatico bello domo profugiſſet, Romámque veniſſet, to-

tum ei me tradidi, admirabili quodam ad philosohiam studio concitatus: in quo etiam commorabar attentius, etsi rerũ ipsarum varietas, & magnitudo summa me delectatione retinebat, &c. Philo Herẽnius, Byblius genere, grammaticus tempore Adriani, de cuius imperio scripsit: præterea de ciuitatibus & viris claris libros XXX. Suidas. Philo Iudæus, Alexandriæ natus, disciplinisque omnibus eruditus, in nostra & Græcorũ philosophia bene versatus. Eloquentiæ Platonis adeò æmulator, vt prouerbium fuerit ἢ πλάτων φιλωνίζει, ἢ φίλων πλατωνίζει. id est, aut Plato Philonizat, aut Philo Platonizat. In diuinis autem legibus & patriis institutis quantus fuerit, ex his quæ nobis librorum suorum tradidit monimentis, palàm est. Igitur temporibus Caii quanta acciderint Iudæis mala, voluminibus absoluit, quibus & suam legationem pro Iudæis apud ipsum imperatorem retulit. Sed & Iosephus huius legationis meminit lib. 18.

Philocles, Atheniensis poeta Tragicus, filius sororis AEschyli, suscepit filiũ Morsimũ poetã, & ipsum tragicũ. Erat Philocles ore improbo, acuto capite. tragœdiæ ipsius plures cõmemorãtur à Suida.

Philochorus Atheniẽsis, vir doctissimus & vates, tempore Eratosthenis extinctus est, insidiis Antigoni Macedoniæ regis ob amicitiæ suspicionẽ cum Ptolemæo rege. Scripsit Atthidis libros XVII, qui continẽt res gestas Atheniensiũ, & reges & magistratus, vsq; ad Antiochum cognominatũ Deum, aliáque cõplura. Author Suidas.

Philocrates, vir Atheniensis, proditionis nota infamis, apud Demosthenem.

Philoctetes, Pæantis filius, Herculis comes. De quo Propertius,
Tarda Philoctetæ sanauit crura Machaon.

Philolaus Corinthius, qui leges Thebanis dedit, ex familia Bacchiadum fuit: amicus Dioclis, qui Olympia vicit: sed vbi ille ciuitatẽ deseruit, cõmotus ob amorẽ matris Alcinoæ, Thebas migrauit, atq; ibi ambo defuncti sunt. Habitauit igitur ob huiusmodi causam apud Thebanos, legésque illis descripsit & de aliis quibusdam, & de sobole procreanda, quas illi proletarias appellant. Et hoc est præcipuè ab illo prouisum, vt numerus hæreditatum cõseruetur. Aristoteles 2. Politic.

Philomela, Pandionis Athenarum regis filia, & soror Prognes vxoris Terei regis Thracum. quam historiam Ouidius lib. 7. Metamor. persequitur.

Philopœmenes Megalopolitanus, dux Achæorũ præstãtissimus, Lacedæmonios & Messenios multis cladibus afflixit, vt est author Plutarchus. Huius etiã meminit Liuius in bello Macedonico lib. 5.

Philoſtratus Lemnius temporibus Seueri principis,eiúſque vxoris Iuliæ epiſtolarum magiſter,vt ipſe planè monſtrat in vita Apollonii Tyanei: ſcripſit vitas ſophiſtarũ ad Seuerum, de vita Apollonii libros octo, præterea heroica. Philoſtratus,huius pater, Athenis docuit Neronis tempore:ſcripſit panægyricos plures, & declamationes oratoribus valde probatas, compluráque alia quæ à Suida commemorantur. Philoſtratus tertius,ſuperioris filius,docuit Athenis:ſcripſit Panathenaicum,Troiam,Paraphraſim Homerici clypei,Iconáſque huic multi referunt.Suidas.

Philoxenus,grammaticus Alexandrinus, Romæ ſcripſit de monoſyllabis verbis,de helleniſmo, de genere linguarum,& alia.Suidas. Philoxenus,Eretrienſis pictor, Nicomachi diſcipulus, cuius tabula nullis poſtponenda,Caſſandro regi picta, continuit Alexandri prælium cum Dario.Idem pinxit & laſciuiam in qua tres Sileni comeſſabantur.Hic præceptoris celeritatem ſequutus,breuiores etiamnum quaſdam picturæ vias & compendiarias inuenit.Verba ſunt Plinii cap.10.lib.35. Philoxenus,poeta Lyricus,ſcripſit Lyrico carmine AEacidarum genealogiam. Hic etiam quum aliquando apud Dionyſium tyrannum ageret, tragœdiáſque eius in quibus ille ambitioſiſſimus erat, minimè laudaret, coniectus eſt in latomias,indéque Tarentum aufugit.Dionyſio verò eum per literas reuocare conanti reſpondit hoc tantum monoſyllabum, Non ſæpius iteratum.Suidas.

Phineus, rex Arcadiæ qui quum filiis ſuis vxoris ſecundæ impulſu oculos eruiſſet, ira diuina ipſe etiam cæcus eſt factus,& Harpyiæ aues rapaciſſimæ cibos eius aut rapuerũt,aut fœdauerũt. Sed poſtea Zetus & Calais à Phineo humaniter tractati eas fugauerũt, vt videbimus in dictione STROPHADES.

Phiſon,teſte Ioſepho lib.1. cap.2, vna eſt è partibus illius magni fluminis,omnem terram vndique profluentis, à quo paradiſus rigatur:hic,vt idem teſtatur,eductus in Italiam,pelago late diffunditur:Getha nuncupatur à Græcis.

Phla,authore Herodoto lib.4,inſula eſt in Tritonide palude grãdi.Aiunt Iaſonem poſtea quàm ſub Pelio,Argo exædificauit,impoſitis in ea cum aliis ſolennibus hoſtiis,tũ verò tripode æreo,circuiſſe Peloponneſum animo Delphos eundi:cúmque,cum teneret curſum circa Maleam, abreptum à vento Aquilone, & abductum in Africam: & priuſquam tellurem cerneret, in aſpretis paludis Tritonidis aſtitiſſe, eíque hæſitanti de egreſſu apparuiſſe Tritonem,ac iuſſiſſe ſibi dari tripodem,quòd diceret oſtenſurum ſe illis exitum, atque incolumes remiſſurum. Cætera vide apud Herodotum libro,

quem suprà diximus.

Phlanates, Plinio lib.3.cap.21, populi in Illyria, à quibus nomen sinui est inditum, quem modo nautæ Quernarium appellant, alii Carnarium, propter naufragia procelloso fermè semper transitu. In recessu eius, Senia vrbs est, cuius à tergo specus sunt, vnde vehementes nulla ferè non hora venti perflant: eáque res infamem sinum eum reddit. Per hæc forte loca id genus tēpestatis est, de qua Plinius lib.2.cap.45, In Dalmatiæ (inquit) ora specus vasto in præceps hiatu, in quem deiecto leui pondere, quanuis tranquillo die, turbini similis emicat procella. Dicti autem Phlanates ab oppido Phlano, vnde sinus omnis hic Phlanoticus vocatur.

Phlegeton, inferorum fluuius est ab ardore dictus, authore Seruio. De quo Virgilius 6. AEneid.

Mœnia lata videt triplici circundata muro,
Quæ rapidus flammis ambit torrentibus amnis
Tartareus Phlegeton, &c.

Phlegon, vnus equorum solis ab ardore dictus. Phlegon item Trallianus, libertus Augusti, nonnulli Adriani dicunt: historiam scripsit Olympiadum libris X V I. Author Suidas.

Phlegra, vrbs est Macedoniæ, vt scribit Plinius cap.10. lib.4. in descriptione Macedoniæ.

Phlegræus, campus quibusdam in Thessalia, aliis in Macedonia: Plinio verò lib.3.cap.5: & Straboni lib.5, in Campania, iuxta Cumas, in quo Gigantes Herculem superasse fabulantur: illícque sepulti quoties anhelant, terram quatiunt. Silius lib.12,

Tradunt Herculea prostratos mole Gigantes
Tellurem iniectam quatere, & spiramine anhelo
Torreri latè campos, quotiésque minantur
Rumpere compagem impositam, expallescere cælum.

Id autem ideò fictum est, quoniā ea regio tota sulphure plurima scatet. Hinc fit, vt ventorum impulsu excitetur passim ignis: qui cum exitum è cauernis natura expetat, dum luctatur assiduè, terram tandem quatit & commouet, exurítque frequenter. vnde & nomen fortitur. φλέγειν enim Græce exurere ardeéque significat. De hoc sic Strabo lib.5, Superioribus annis fortunatus erat & cāpus nomine Phlegræus, in quo res à Gigantibus gestas fabulæ diuulgant, nullam aliam ob causam (vt credi fas est) quàm quòd terra ipsa suapte virtute præliorum concitatrix esset. Theagenes verò & Eudoxus qui ad historicam fidem pugnam hanc conātur reducere, Palléuem (inquiunt) quæ veteri nomine Phlegra vocabatur, homines tenuerunt, quibus immanitas & superbia morum: Gigātum cognomen

peperit. In hos ineunte prœliū Hercule, fulmina de cælo missa sunt, donec ii fugere coacti sunt, sicque ingenti victoria superati. Ex hac re rumor in vulgus ortus, vt Gigantes mouerint bellum diis. Phlegræus item, Bocatio vnus ex Centauris Ixionis, & Nubis filius.

Phlegyas, Martis filius, rex Lapitharū Ixionis pater, habuit Coronidē filiā, quā Apollo vitiauit, vnde suscepit AEsculapiū. Phlegyæ, populi sunt insulani Thessaliæ, à Phlegya Ixionis patre cognominati. hi cū sacrilegi essent, deósque & homines spernerēt, ab irato Neptuno immisso, diluuio submersi fūt, quorū apud inferos meminit Virgil. AEneid. 6, -Phlegyásq; miserrimus omnes Admonet, &c.

Phlius, Straboni lib. 8, vrbs est in medio Sicyoniæ Argiuæque & Cleonum, vbi eximie colitur Hebe.

Phocæ, Phocarū, insulæ sunt Cretæ adiacētes, vt ait Plin. ca. 13. li. 4.

Phocion, vir Atheniensis, qui etsi sæpe exercitibus præfuit, summósque magistratus gessit: tamen multo notior fuit eius integritas vitæ, quàm rei militaris labor. fuit perpetuò pauper, quum propter delatos honores ditissimus esse potuisset: repudiauítq; munera magnæ pecuniæ, quæ illi à rege Philippo dabantur. ad quæ recipienda, quum legati regis hortarētur, simúlque admonerēt, si ipse his facile careret, liberis tamē suis prospiceret, quibus difficile esset in summa paupertate tātam tueri paternā gloriā. Quibus ille, Si mei similes erūt, nequaquā difficile erit: idem hic agellus illos alet, qui me ad hāc dignitatē perduxit. Sin dissimiles sunt futuri, nolo impēsis meis illorū ali augeríque luxuriā. De hoc vide Plutarchum in Phocione.

Phocis, teste Liuio lib. 2. de bello Macedonico, parua regio est Græcorum, Apollinis oraculo insignis, in qua est ciuitas Delphi. Est item Phocis Pomponio, Ioniæ ciuitas: quam Strabo Phoceam vocat, à qua Phocænses cū diphthongo, vt à Phocide Phocēses sine diphthongo. Hi, teste Herodoto lib. 1, Græcorum longis nauibus vsi feruntur. Nauigiis autem vtebantur non rostratis, sed penticonteris, hoc est lembis quinquagenum remorum. Dicta autem Phocæa, teste eodem, quòd vituli marini magno numero comparuissent vrbem condentibus.

Phocusa, Plinio lib. 4. cap. 12, insula vna ex Sporadibus.

Phœbas, sacerdos Phœbi, & vates, authore Seruio.

Phœbe (inquit Seruius) Luna dicitur. Virgilius Georgic. 1,
Vento semper rubet aurea Phœbe.

Phœbus, id est Apollo, filius Iouis & Latonæ. Virgilius,
Et me Phœbus amat, Phœbo sua semper apud me
Munera sunt lauri.

Phœmon, lacus est Arcadiæ. De quo Ouidius 15. Metamor.
Est lacus Arcadiæ, Phœmon dixere priores:

Ambiguis suspectus aquis: quas nocte timeto:
Nocte nocent potæ: sine noxa luce bibuntur.

Phœmonoe, filia Phœbi, & vates, quæ prima carmen heroicum cecinit, vt est author Hesiodus in Theogonia.

Phœnicia, vel Phœnice, Asiæ regio: sic dicta à Phœnice, Neptuni & Libyes filio, vt Stephanus author est: ad quod accedit Silius lib.1. cum inquit,
Et qui longa dedit terris cognomina Phœnix. Huius regionis incolæ Phœnices dicuntur, quos Strabo lib.16. Arithmetica & Astronomia insignes scribit. Rufus ex Dionysio,
Phœnicum, regio est: hi rubro gurgite quondam
Mutauere domum, primíque per æquora vecti
Lustrauere salum, primi docuere carinis
Ferre cauis orbis commercia, sydera primi
Seruauere Poli, &c. Lucanus item lib.3.
Phœnices primi, famæ si creditur, ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris. Ob Syrorum & Phœnicum nimis solertem vafritiem, adagio locus factus est, Aduersum Phœnicas Syri. quo vsi sunt veteres, quoties versutus versuto imponere velle videbatur.

Phœnix, vt nonnulli afferunt, filius fuit Agenoris regis, & frater Cadmi: vel, vt alii etiam ferunt, Agenoris pater, à quo regio in qua habitabat Phœnicia dicta. Fuit & Phœnix, Amyntoris filius, teste Homero 8. Iliados.

Pholoe, mons est Arcadiæ, vt scribit Pomponius. Lucanus in 7,
Scilicet ipse petet Pholoen, &c.

Pholus, vnus fuit ex Centauris Ixionis ex Nube filius. Hic, teste Seruio in 8. AEneid. Herculem suscepit hospitio, cum ad expugnãdos Centauros pergeret, dicente Lucano, Hospes & Alcidæ magni, Phole: &c. Tandem in nuptiis Pirithoi, orto prælio inter Lapithas & Centauros occubuit, dicente Virgilio lib.2. Georgic.
Letho domuit Rhœtúmque Pholúmque.

Phorbas, teste Seruio, pater Ilionei Troiani, AEneæ in fuga comitis: Mercurio deo eloquentiæ fauente semper pugnauit. Vnde Virgilius AEneidos 5, -puppíque deus consedit in alta.
Phorbanti similis, fudítque has ore querelas.

Phorcus, apud Græcos dicitur Phorcys: filius fuit Theseæ nymphæ & Neptuni, vt Seruius est author. Huius patronymicũ est Phorcynis Phorcynidos. Lucanus in 9.

Phormio, Crotoniata dux, bello nauali Lacedæmonios vicit. Cuius meminit Theopõpus in Philippicis. Phormio, dux Atheniensiũ in bello Pelopõnesiaco, vt scribit Thucydides li.2. Phormio, phi-

losophus, teste Cicerone 2. de Oratore, Peripateticus dicitur: cũ Annibal Carthagine expulsus Ephesum ad Antiochum venisset exul: próque eo, quòd eius nomen erat magna apud omnes gloria, inuitatus esset ab hospitibus suis, vt eum, quem dixi, si vellet, audiret: cúmque is se non nolle dixisset, locutus esse dicitur homo copiosus aliquot horas de Imperatoris officio, & de omni re militari: tum, cum cæteri, qui illum audierant, vehementer essent delectati, quærebant ab Annibale quidnam ille ipse de illo philosopho iudicaret. Hic Pœnus, non optime Græce, sed tamen libere respondisse fertur, Multos se deliros senes sæpe vidisse: sed qui magis quàm Phormio deliraret, vidisse neminẽ. Neque mehercule iniuria: quid enim aut arrogantius, aut loquacius fieri potuit, quàm Annibali, qui tot annos de imperio cum Pop. Ro. omnium gentium victore certasset, Græcum hominem, qui nunquam hostem, nunquam castra vidisset, nunquam denique minimam partem vllius publici muneris attigisset, præcepta de re militari dare? Hactenus Cicero.

Phormus, Syrasanus comicus, Geloni tyranno familiaris, & filiorũ ipsius altor, docuit fabulas septem, quas cõmemorat Athenæus.

Phoroneus, primus Inachi fluuii filius: hic initio dispersos populos in vrbẽ coegit, appellauítque Phoronicõ. Author Volaterranus.

Phraortes, rex Indorum, ad quem Apollonius Tyaneus peruenit, quem quum de victu interrogaret, respondit, Tantum vini bibo, quantum Soli sacrifico: quæ autem venando acquiro, pascuntur alii: mihi sat fuerit ipsa exercitatio. Cibus mihi olera & palmarum fructus: multa mihi quoque ex arboribus nascentia, quæ manus hæ plantauerunt. Author Philostratus in vita Apollonii.

Phrygia, prouincia est, teste Solino, & Plinio lib. 5. cap. 29, minoris Asiæ, quæ à Phryge amne, qui eam à Caria diuidit, sic cognominata est. De Phrygia & Phrygibus scribit Plinius cap. 32. lib. 5.

Phryne, nomen meretricis apud Athenas, de qua Quintilianus lib. 2. cap. 15, Et Phrynen non Hyperidis actione quanquam admirabili, sed conspectu corporis, quòd illa speciosissimum alioqui diducta tunica nudauerat, putant periculo liberatam.

Phrynicus, Atheniensis tragicus, Thespiadis discipulus, qui primus vultum fœmineum protulit in scenam, & tetrametrum reperit: filium habuit Polyphradmonem poetam, & ipsum tragicum: docuit tragœdias nouem. Alter item Atheniensis comicus, inter secundos antiquæ comœdiæ, qui docuit fabulam vnam. Tertius eiusdem nominis Bithynicus sophista, qui scripsit de Atticis dictionibus. Horum author Suidas.

Phryxus, Athamantis regis Thebarum filius, fratérque Helles,

vt ſcribit Heſiodus: qui cum nouercales inſidias ferre non poſſent, & conſentiēte patre aufugerent,in Aſiámque traiicerent,Helle puellari more exterrita,decidit in pontū,dicente Lucano, Delapſæ portitor Helles. Phryxus autem incolumis euaſit, Colchóſque peruenit.De quo Iuſtinus lib.42.

Phthia,oppidum eſt Theſſaliæ,Achillis patria,vt ſcribit Seruius ad illud Virgilii 1.AEneid.

Cum domus Aſſaraci,Phthiam,claráſque Mycænas
Seruitio premet,ac victis dominabitur Argis.

Phtiotia,Straboni lib.9,vna è quatuor partibus Theſſaliæ.De qua ſic,Cæterum Phtiotia tractum continet Auſtralem ad OEtam à ſinu Maliaco & Pylaico vſque ad Dolopiam orámque Pindi protēſum. In latitudinem verò porrectum vſque ad Pharſalium planáque Theſſalica.

Phthirophagi,populi ſunt, de quibus Strabo lib.11, Ex gentibus quæ Dioſcuriadem cōueniunt, eſt Phthirophagorum natio,cui nomē à ſordibus ac fame datū eſt.his proximi ſunt Soanes nihilo fame meliores,robore autē meliores,nam vi ac potētia penè præſtāt. Hi gentibus circūuicinis dominantur,Caucaſi extrema obtinentes.

Phycus,Phycuntis,Cyrenarum promontorium,vt ſcribit Plinius cap.12.lib.4.

Phyleus,vnus è ducibus Græcorum qui ad Troiam nauigarunt, teſte Homero.

Phyllis(inquit Seruius) regina Thracum fuit, & Lycurgi Thracum regis filia. Hæc Demophoontem Theſei filium regem Athenienſium redeuntē de Troiano bello dilexit,& in coniugium ſuum rogauit.ille ait ante ſe ordinaturū rem ſuam, & ſic ad eius nuptias reuerſurum.Profectus itaque quum tardaret,Phyllis & amoris impatientia,& doloris impulſu,quòd ſe ſpretam eſſe credebat, laqueo vitam finiuit, & conuerſa eſt in arborem ſui nominis, id eſt amygdalum ſine foliis. Poſtea reuerſus Demophoon, cognita re, eius amplexus eſt truncum, qui, velut ſponſi ſentiret aduentum, folia emiſit.Vnde etiam phylla ſunt dicta à Phyllide,quæ ante petala dicebantur.Sic Ouidius in Metamorphoſeon libris. Hæc Seruius enarrans illud Virgilii Eclogæ 5,

Incipe Mopſe prior,ſiquos aut Phyllidis ignes,
Aut Alconis habes laudes,aut iurgia Codri.

Phytecuſa,inſula Tyrrheni maris Ptolemæo lib.3.cap.1.Inarime Homero,AEnaria Plinio:hodie Iſchya.

P I

Picentes, populi ſunt Italici ſupra Rubiconem ſupra Anconam

siti.Strabo lib.5,Ad mare Tyrrhenum(inquit) Picentinorum natio colit,eorum pars modica, qui Adriam habitant: quos quidem Romani in Possidoniatem sinum traduxerunt, &c. Straboni aliisque Picentes, iam Picentini nominantur: quorum tractus Picenum dicitur.Vide Strabonem lib.5.

Pictones,Galliæ populi, Ptolemæo lib.2.cap.7. Vulgo Poictou.

Picus, Saturni filius, augur. De quo sic scribit Seruius, Fabula (inquit) talis est,Picum amauit Pomona,dea pomorum,& eius volentis est sortita coniugium. Postea Circe quum eum amaret, & sperneretur:irata eum in auem Picum maritum conuertit.nam altera est Pica.Hoc autem ideo fingitur,quia augur fuit:& domi habuit Picum, per quem futura noscebat: quod pontificales indicant libri.Hactenus Seruius enarrans illud Virgilii 7.AEneid.

Ipse Quirinali lituo,paruáque sedebat
Succinctus trabea,læuáque ancile gerebat
Picus equûm domitor:quem capta cupidine coniux
Aurea percussum virga,versúmque venenis,
Fecit auem Circe:sparsitque coloribus alas.

Pidytes,vir fuit Percosius:& ab Vlysse, vt ait Homerus Iliad.7. in bello Troiano interemptus.

Pierides(inquit Sextus Pompeius)Musæ dicuntur,propter amœnitatem ac solitudinem Pierii montis,quo ex secretis locis propter studia liberalia delectantur.Hæc Sextus. Pierides etiam, authore Perotto, à Pieria,quæ regio est Macedoniæ,dictæ. Cicero de natura deorum lib.3, Pierias & Pieridas à poetis appellari, quòd Pierio patre ex Antiopa natæ sint, author est,vt scripsimus in dictione MVSAE. Vide Ouidium lib.5.Metamor.

Pigres,Halicarnasseus frater,Artemisiæ vxoris Mausoli poeta,vt scribit Suidas.

Pilumnus, Iouis fuit filius. Hic,teste Seruio, fratrem habuit Pithumnum,qui primus stercorãdorum agrorum vsum inuenit:vnde & Sterquilinius dictus est. Pilumnus verò pinsendi frumenti: vnde & à pistoribus colitur.Ab ipso etiam pilum dictum est.

Pimpla,Thraciæ mons est & locus,vt scribit Strabo lib.decimo: Pieria (inquit)& Olympus,& Pimpla, & Libethrum,quondam loca fuere Thraciæ, & montes, quos nunc Macedones possident: quique musis Helicona consecrarunt,Thraces fuere,Bœotiæ accolæ.Hæc Strabo.

Pinarius & Potitius,duo senes,quibus qualiter coli vellet, ostẽdit Hercules: scilicet vt mane & vesperi ei sacrificaretur. Perfecto itaque matutino sacrificio,cum circa solis occasum essent, sacra repe-

tenda Potitius prior aduenit,Pinarius postea extis iã redditis. Vnde iratus Hercules statuit,vt Pinariorum familia tãtum ministra esset epulantibus Potitiis & cõplentibus sacra. Vnde & Pinarii dicti sunt ἀπὸ τῆς πείνας, id est à fame. Nam senem illum Pinarium constat alio nomine nuncupatum. Hæc Seruius explicans illub Virgilii AEneid.8,

-primúsque Potitius author:
Et domus Herculei custos Pinaria sacri. De his Fenestella.

Pindarus, genere Thebanus,temporibus fuit AEschyli poetæ, & Persarum expeditionis in Græciam. Duas suscepit filias: à patre tibiam primùm, mox ab Hermione lyram edoctus est. Eius gratia Lacedæmonii in reliquam Bœotiam sæuiẽtes,Thebis pepercerunt. Altissimus fertur & verborum & sententiarum copia,vt ait Quintilianus: grauitate arduus, constructionéque ac ordine immensus ac prolixus. Quem etiam imitabilem Horatius scribit 4. Carm. Ode 2,

Pindarum quisquis studet æmulari
Iule,cæratis ope Dædalea
Nititur pennis vitreo daturus
Nomina ponto.

Pindarus alter, Ephesiorum tyrannus, qui capta Epheso,postea à Crœso auunculo suo iussus discedere, secessit in Peloponnesum cum parte substantiæ,dimisso domi præside amico. Author AElianus de varia historia.

Pindus,mons est in finibus Thessaliæ,& fluuius Ciliciæ. Author Strabo lib.9.

Pinna,Vestinorum, qui Prægutiis magis sunt Orientales, in Italia vrbs: hodie Penna. Inde Pinnenses, Plinio libro tertio, cap.12, populi.

Pintia, Ptolemæo lib.2.cap.6, Vallis Oletana,alio nomine dicta vrbs Hispaniæ: vulgo Valladolit.

Pinton,insula est ex Cuniculariis,inter Sardiniam & Corsicam.

Pinythus,nobilis grammaticus Romæ vnà cum Epaphrodito liberto Neronis. Pausanias.

Piones,populi in Mysia Asiæ,quæ supra Caicũ amnem sita est.

Piquentum,Ptolemæo libro 3. capite 1, vrbs Istriæ. Vulgo Pinquento.

Piræeus (inquit Strabo) Athenarum portus, & emporium duorum millium passuum muro recedentibus,Athenis iunctus,quadringentarum nauium capax. Statius libro 12. in catalogo copiarum quæ Theseum secutæ sunt,

Munichiam,& trepidis ſtabilem Piræea nautis. Gellius huius por tus meminit cap.21.lib.2.Et Strabo initio libri noni.

Pirithous,Ixionis filius nō ex Nube,ſed ex coniuge,fuit rex Lapitharum:qui cum ad inferos cum Theſeo deſcendiſſet, à Cerbero cane tricipiti deuoratus poetis fingitur, vt ſcribit Seneca in Hercule furente.

Pirous,nomen fuit herois cuiuſdam, vt ſcribit Homerus libro Iliados 2.

Pirus, Lambraſi filius,& Thracū princeps, profectus ad bellum Troianorum, à Thoante AEtolorū rege interficitur, vt ſcribit Homerus lib.4.Iliad.

Piſa,Arcadiæ oppidum eſt, præterfluente Alpheo amne. Ab hac igitur & Elide ciuitatibus Arcadiæ,teſte Seruio,venerunt qui Piſas in Italia condiderunt,quas ſic ex priſtina ciuitate vocauerunt,vt teſtatur Virgilius 10.AEneid.

Hos parêre iubent Alpheæ ab origine Piſæ,
Vrbs Hetruſca ſolo. Iuſtinus lib. 20, Habuerunt Piſæ authores Græcos,&c. Piſæ Piſarū igitur,vrbs eſt Italiæ: Piſa autē,Arcadiæ.

Piſandrus Camireus,(Camirus autem ciuitas eſt Rhodi) Eumolpi tempore, poeta,vt nonnullis placet, antiquior Heſiodo. Piſandrus alter Lycaonius,ſub Alexandro Mammeæ verſificator, ſcripſit variam hiſtoriam. Piſandrus tertius, Neſtoris filius. Author Suidas.

Piſaurū,vrbs eſt Vmbriæ & amnis,vt ſcribit Plinius cap.14.li.3.

Piſeus Tyrrhenus qui æneam tubā inueniſſe dicitur. Author Plinius lib.7.cap.56.

Piſiſtratus,Athenienſis tyrannus, clarus genere, eloquentia verò tanta, vt ea deliniti Athenienſes, libertate qua nihil charius habebant, ſe ſponte exuerent, illiúſque facundiæ ſanctitatem Solonis, qui numen fuerat ciuitatis poſthaberent. Artes liberales maximè fouit:bibliothecam primus Athenis publicauit, quam Xerxes vrbe potitus ad Perſas tranſtulit.Eam deinde multis poſt annis Seleucus Nicanor reſtituendam curauit.Homerus eius iuſſu in eum ordinem qui nunc eſt redactus.Regnauit annos triginta tres quo tempore Seruius Tullus Romæ,vt author eſt Gellius. Plura de hoc, & quibus artibus tyrannidem adeptus ſit, vide apud Trogum lib.2. Piſiſtratus alter,Lariſſæus hiſtoricus,commemoratur à Suida.

Piſones, Calpurniorum è Proſapia fuere, quæ à Numa rege deſcendit.Calpurnius enim Numæ filius fuit,vt ait Feſtus. Horatius item in arte poetica ad Piſones, Vos ô Pompilius ſanguis,&c.

Piſtorium, Italiæ ciuitas,quam Ptolemæus lib.3. cap.1,ponit in-

ter Mediterraneas Tusciæ. Est enim inter Florētiam & Lucam, à qua Pistorienses dicti. Plinius cap.4.lib.3.

Pitane, oppidum est AEolidis, à qua incolæ Pitanei & Pitanitæ dicuntur. Est & Pitane, Laconiæ oppidum, cuius incolæ Pitanatæ dicuntur. Author Hermolaus apud Plinium.

Pithecusa, insula est in mari Tusco, sinúque Campano sita, in cuius quodam colle oppidum fuit Pithecusæ, numero multitudinis. Hæc insula, AEnaria quoque dicta est ab statione nauiū AEneæ, & Homero Inarime dicta: hodie Ischia ab oppido, cui coxendicis similitudo, vt Hermolaus 31.lib.Plinii, cap.2.docet. Græcis verò Pithecusa (inquit Plinius) non à simiarū multitudine, vt aliqui existimauere, sed à figlinis doliariorum. Hæc Plinius cap.6.lib.3.

Pitho, mulier flexanima, illa dicendi præses, quā Ennius suadam, Quintilianus persuadendi deam: Horatius suadelam, & poetica mella, Cicero lepôrem appellauit.

Pithodemus, luctator fuit egregius, cuius statuam fecit Dinomenes. Plinius lib.34.cap.8.

Pithumnus. Vide in dictione PILVMNVS.

Pittacus Mitylenæus, vnus è septem sapiētibus tēpore Crœsi regis. Huius illud, Prouidere ne casus veniant: si fortè venerint, æquo animo tolerare. Fuit alter Pittacus legislator (vt Fauorinus & Demetrius in homonymis meminere) qui minor est appellatus. AElianus autem de varia historia, Pittacum quēdam commemorat, qui de mola pistrina Encomiū conscripsit, vt in paruo argumento vim dicendi ostentaret. Idem de sapiēte dicit, eū in tēplo Fortunæ scalā constituisse, vt eius exprimeret effectū, qu ū multi in vita mortales ascendāt, descendántque.

P L

Placentia, vrbs Italiæ ad Trebiam amnem, nec procul à Pado, vt scribit Plinius cap.15.lib.3.

Placia, Mysiæ oppidum, iuxta Cyzicum Milesiorum oppidū, vt scribit Plinius cap. vltimo lib.5.

Planaria, Plinio lib.3.cap.6, insula vltra Corsicam, à specie sic dicta, æqualis freto, ideóque nauigiis fallax.

Planasia, Ptolemæo lib.3.cap.1, insula in mari Tyrrheno.

Planci, qui supra modum pedibus plani sunt: id est, qui pedes imos graciles habent, planósque æqualiter, quasi tabellas quæ plancæ vocātur. Quo nomine dictus est Romanus quidā, cuius extant epistolæ luculenter scriptæ. Qui (teste Eusebio) quū Galliam comatam regeret, Lugdunū condidit: quæ ciuitas Senecæ

temporibus deflagrauit incendio.

Plateæ, ciuitas est Bœotiæ, vt ostendit Homerus lib.1.Iliados. De qua Statius in 7.lib.Thebaid.

Nuntiat excubiis vigiles arsisse Plateas. Eodem nomine est insula in mari Libyco quasi opposita ad Cyrenē, vt scribit Herodotus lib.4.

Plato, philosophus clarissimus Athenis primùm Socrati dedit operam. Deinde dū licuit per ætatem, in Italiam profectus est, vti Pythagoreos audiret, vbi Philolai Crotoniatæ libros de secta Pythagorea centum minis etiam in difficultate rei familiaris mercatus est, ex quibus multa in suū Timæum transtulit. In AEgyptum deinde properans, vt audiret Gymnosophistas, oleum (ait Plutarchus) secum mercaturæ gratiá vexit, vt viatico suppeditaret, vbi libros Moseos legisse creditur. Ter in Siciliam nauigauit, primùm AEtnæ flagrātis visendæ gratia, vt Apuleius ait. Reuersus, apud AEginā captus est à piratis, ac minis triginta venundatus. Deinde à Nicete Cyrenæo redemptus fuit. Iterum rediit sub iuniore Dionysio spe liberandi Siciliam. Sed paulò post expulso Dione, & ipse suspectus remigrauit. Tertio quum maximè nollet, rogatus ab Archita vt Dionem tyranno recōciliaret, iter ingressus ab eodem Dionysio obuiam procedente quadrigis exceptus est. Demum in suspicionem veniens, vix rogante & spondente pro eo Archita dimissus. Dialogum primus illustrauit, licet prius, vt aiunt, inuentū à Zenone Eleate, vt Aristoteles tradit: vt Fauorinus, ab Alexamene Teio. Decessit annos natus LXXXI, morbo vti fertur pediculari. De quo Quintilianus, Platonem (inquit) quis dubitet esse philosophorum præcipuum, ex quo multū eloquentiæ se traxisse Cicero fatetur, siue acumine differendi, siue eloquendi facultate, diuina quadam & Homerica: multum enim supra prosam orationem, & quā pedestrem Græci vocant, surgit, vt mihi non hominis ingenio, sed quodā Delphico videatur oraculo instructus. Vita fuit cælebs, ac castus, vt scribit Augustinus. De quo plura vide apud Plutarchum. Plato alter, Atheniensis poeta priscæ Comœdiæ, tempore Aristophanis & Eupolis. Cuius fabulas Suidas & Athenæus commemorant in Dipnosophistis. Tres item alios, Diogenes Laertius commemorat: vnū Rhodium philosophum discipulū Panætii: Alium Peripateticū de Aristotelis ludo: Tertium Praxiphanis discipulum.

Plautius, poeta comicus, cuius meminit post Varronem Gellius cap.3.lib.3.

Plautus, poeta comicus Farsinas, quum vulgo Sarsinas corruptè scribatur. Plotus ab initio, teste Festo, appellatus, à pedum planitie, quos plotos Vmbri vocant. Siquando à mola asinaria vacabat, cui addictus ob paupertatem erat, fabulas componebat quas venditaret. Ponitur a Marco Varrone epigramma huiusmodi à Plauto ipso factum,

Postquam morte est captus Plautus,
Comœdia luget, scena est deserta:
Deinde risus, ludúsque, iocúsque, & numeri,
Innumeri simul omnes collachrymauerunt.

Legito Gellium cap. 24. lib. 1. Hic cæteris comicis præfertur, sententia multorum, præsertim Varronis, qui ait, Si musæ Latinè loquerentur, Plautino sermone loquerentur.

Plaxaura, Nympha fuit, Oceani & Tethyos filia, vt est testis Hesiodus in Theogonia.

Pleiades, Pherecydes tradit septē sorores fuisse, Lycurgi filias ex Naxo insula. Et quia Liberū educauerūt, eas à Ioue inter sydera fuisse relatas. Harū nomina putātur, Electra, Alcinoe, Celæno, Merope, Sterope, Taigeta, Maia: quarū septima (vt ait Aratus) vix cerni potest, propterea quidā existimāt vocatā Electrā. Sūt qui pudore occultasse se dixerint, quòd quū aliæ diis nupsissent, sola Electra nupsit mortali. Alii quòd Electra non tulerit spectare ruinas Troiæ, manúmque ante oculos opposuerit. Ouidius 4. Fastorum,

Pleiades incipient humeros releuare paternos:
 Quæ septem dici, sex tamen esse solent:
Seu quòd in amplexus sex hinc venere deorum,
 Nam Steropen Marti concubuisse ferunt:
Neptuno Alcinoen, & te formosa Celæno:
 Maian, & Electran, Taigetámque Ioui:
Septima mortali Merope tibi Sisyphe nupsit:
 Pœnitet, & facti sola pudore latet.
Siue quòd Electra Troiæ spectare ruinas
 Non tulit, ante oculos opposuítque manum.

Alii has Atlantis filias esse dixere, ex Pleione nympha genitas, vnde sint Pleiades appellatæ. Seruius, Pleiades (inquit) signū est ante genua Tauri, quod ortu suo primæ nauigationis tempus ostendit. Vnde Græcè Pleiades dicūtur ἀπὸ τοῦ πλεῖν. Latinè Vergiliæ, à verni tēporis significatione quo oriuntur. Hæc Seruius.

Pleione, nympha, Oceani filia & vxor Atlantis, ex qua Pleiades suscepit. Ouidius 5. Fastorum,

Duxerat Oceanus quondam Titanida Tethyn:
Qui terram liquidis,qua patet,ambit aquis.
Hinc sata Pleione,cum cælifero Atlante
Iungitur,vt fama est,Pleiadásque parit.

Plemmyrium, fluuius est Siciliæ, quem Virgilius vndosum appellauit,verbũ de verbo exprimens.Idẽ enim vndosum,quod Plemmyriũ. Author Seruius enarrans illud Virgilii 3.AEneid.
Sicanio prætenta sinu iacet insula contra
Plemmyrium vndosum:nomẽ dixere priores Ortygiam:&c.

Pleuron,vrbs est AEtoliæ,vt scribit Plinius cap.2.lib.4.

Plinius Secundus Veronensis, temporibus Vespasiani vixit, cuius negotia administrabat:noctibus verò & succisiuis(vt ipse inquit) tẽporibus,opus de rerũ natura conscripsit, vnus omniũ parcissimus temporis.Periit in montis Vesuui incendio,dũ eius causam indagare cupit. Eius vitã diligentius narrat nepos eius, ex sorore Cæcilius Plinius, cuius extat liber epistolarum & Panegyricus,Traiano Cæsari dictus,quo gratias agit consul ab eo factus. Quintiliani filiam dote iuuisse, & Martialem poetã secedentem viatico prosecutũ fuisse testatur ipse in epistolis. Volaterranus lib.18.

Plistonicus,nomen medici,de quo Athenæus.Fuit & Appion quidam cognominatus Plistonicus,nõ multo tempore Plinio superior.Hic à Plinio sæpe citatur testis.

Plotæ, insulæ duæ sunt AEoliæ, alio nomine Strophades dictæ, supra Zacynthum in Meridiẽ sitæ.Plinius cap.12. lib.4,In Eurum (inquit) ventum Strophades duæ,ab aliis Plotæ dictæ. Seruius à conuersione Harpyiarum ex Arcadia volantium nomen insulis datum scribit apud Virgilium 3.AEneidos,
Seruatum ex vndis Strophadum me littora primum
Accipiunt:Strophades Graio stant nomine dictæ
Insulæ Ionio in magno &c.

Plotina, Traiani Cæsaris vxor,sanctitate,probitate, & omnibus quæ in muliebrẽ sexũ cadũt virtutibus celebrata.Hæc tõso capillo virũ mentita, coniugem comitata,in exiliũ exeuntem imperterrita, & quasi quædã virago, tolerãs ærumnas acerbas.

Plotinus, philosophus Platonicus AEgyptius natione, fuit è ciuitate Lyco,discipulus Ammonii,præceptor Porphyrii,Galeni, Taciti & Probi temporibus. Fuit corpore gracili, tenuíque valetudine,morbóque sacro obnoxius. Hæc ex Suida.

Plotius Gallus,patria Lugdunẽsis,dicendi præceptor, Romæ profitebatur,à quo se Cicero in lib. de Oratore vnà cũ Q.fratre

Latinas literas edoctum fuisse testatur: à Tranquillo autē inter rhetores ponitur. Plotius Crispinus, quem Aretalogum fuisse cognominatum, quòd garrula scripserit carmina, Porphyrio est author.

Plutarchus Chæroneus, Traiani temporibus, à quo in Illyricum missus cōsulari potestate, iussúmque omnibus Illyricis magistratibus vt absque eo nihil agerent. multis libris editis notissimus est. Plutarchus alter, Nestorii filius, Atheniensis sophista, præceptor Syriani, qui scholæ præsidebat Atheniensi sub Iuliano principe. Author vtriusque Suidas.

Pluto, Saturni ex Ope vxore filius, frater Iouis, sed eodem partu cum Glauca natus. Dis etiam Cicerone authore appellatur lib.2. de natura deorum, Terrena autem vis omnis atque natura Diti patri dedicata est, qui diues vt apud Græcos πλούτων, quia & recidant omnia in terras, & oriãtur è terris. Hactenus Cicero. Plutoni sorte datum est inferorum imperium, Statio teste,

Sorte sedens media regni infœlicis in arce
Dux Erebi, populos poscebat crimina vitæ.

P O

Podalirius, teste Homero lib.2. Iliados, filius fuit AEsculapii & frater Machaonis, qui ob solertiam medicinæ artis vnà cum fratre ex Creta ad Troianum bellum conuocatus fuit. De quo Ouidius 2. de arte Amandi,

Quantus apud Danaos Podalirius arte medendi,
Antomedon curru, tantus amator ero.

Pœan, Pœantis, Philoctetis pater. Vnde & ipse Philoctetes Pœãtius dictus est. Ouidius in 5. Tristium,

Pene decem totis aluit Pœantius annis
Post serum tumido virus ab angue datum.

Pœcilasium, vrbs Cretæ, Ptolemæo lib.3.cap.17.vulgo Peulalo.

Pœcile, Plinio lib.35.cap.9, porticus clara Athenis, quã Polygnotus Thasius gratuito pinxit, cũ partē eius Mycon mercede pingeret

Pœni (inquit Seruius) ἀντίστοιχον est, quasi Phœni, quia à Phœnicibus orti. Virgil.1. AEneidos, -ponúntque ferocia Pœni Corda volente deo.

Pola, Istriæ ciuitas, quondam à Colchis condita. Pietas Iulia Plinio dicitur cap.19.lib.3.in descriptione Istriæ.

Polemon, Atheniensis philosophus, prima adolescentia lasciuus, & voluptatibus deditus, cum patentem Xenocratis scholam intrasset, déque modestia & moribus sermo haberetur, ita demum ad eũ flexit animum, vt relicta incontinentia, se totum philosophiæ addixerit: ex quo postea eius scholæ successit. Author Gellius. Dio-

genes eum multa scripsisse testatur. Suidas nihil scriptum reliquisse asserit. Polemon, cognomento Helladicus, genere Iliæus, historicus nobilissimus, æqualis Aristophanis grammatici, Panætii discipulus, scripsit de origine ciuitatum Phocidis, Ponti, Laconiæ geographiam, & de cursu Solis libros tres. Suidas. Polemon alius è Laodicæa Cariæ, qui Smyrnæ vixit ac præcepit, æqualis Herodis Attici, sub Adriano principe, ad quem legatus quandoque Smyrnæorum missus, ab eóque honorificè exceptus, & musæo AEgyptio adscriptus est.

Polemoniũ, Ptolemæo li.5.ca.6, Cappadociæ vrbs: vulgo Leona.

Polentia, vrbs Liguriæ Ptolemæo lib.3.cap.1. vulgo Palanza.

Polliones, vide suprà in dictione ASINIVS.

Pollux Iulius, Naucratita grammaticus sub Commodo principe præcipiebat Athenis. Decessit annos natus LVIII. Scripsit ad Commodum Onomasticon libris decem: scripsit & alia quædam, quæ non extant, vt author est Suidas. Pollux, Castoris frater, vide in dictione CASTOR.

Polus Agrigentinus, sophista, Gorgiæ auditor, primus in oratione inuenisse dicitur parisa & antitheta, & similiter desinentia: quod minimè verum: sed iam inuentis sæpe vsum fuisse constat. Hæc Philostratus. Suidas scribit eum genealogiam eorum qui ad Troiam profecti sunt, scripsisse, simul & nauium catalogum.

Polyænus Sardianus, temporibus Cæsaris Dictatoris & Antonii Triumuiri, scripsit orationes iudiciales, triumphi Parthici M. Antonii libros tres. Fuit alter eiusdem nominis, Macedo genere, qui de Thebis scripsit & de re militari. Author Suidas.

Polybius è Megalopoli ciuitate Arcadiæ, præceptor Scipionis Africani, Ptolemæo Euergetæ apud AEgyptum regnante, scripsit Romanam historiã libris quadraginta. Incipit à fuga Cleomenis Spartiatæ & Persei Philippi filii Macedonum regis. Posthæc Romam attigit. Author Suidas.

Polycletus, statuarius, duas eodem argumento statuas fecit: alteram arte sua, alteram verò de vulgi opinione, quam de sententia cuiusuis prætereũtis cælauerat. Quibus perfectis turbam admittit: ac primùm sua ostensa magnopere laudatur. Altera deinde non æquè. Atqui scitote quòd hãc quam tantopere laudatis, ego feci: quã verò vituperatis, vos fecistis. Author AElianus de varia historia.

Polycrates & Sylosontes, fratres, Samiorum tyrãni. Quorũ alter Polycrates, fortuna opibúsque clarus: perpetua vsus fœlicitate, præterquã ad extremũ, quam vti temperaret, annulũ sibi charissimum in mare proiecit, quẽ deinde à piscatore recepit capto pisce qui eum

deuorauerat. Ad postremum à Persarū satrape Oronte dolo captus ac suspensus est. Ex Strabonis lib. 14. Huius itē meminit Cicero lib. 5. de finibus bon. & mal. Fuere hoc tēpore Pythagoras & Anacreon. Fuit & Polycrates, Ephesiorum præsul, temporibus Seueri principis, vt scribit Hieronymus.

Polydamas pancratiastes, æmulatus Herculem, leonem inermis amplexus superauit: taurum ingentē apprehensis extremis pedibus retro tenebat: currū agitatum sese opponendo altera manu apprehensum ex cursu retrahebat, in equósque insiliebat deiecto auriga. Accersitus à Dario Artaxerxis magni filio, ter apud eum ex prouocatione victor fuit. Postremò post cœnam in cauerna, cū saxum à vertice ruinam minaretur, diffugientibus conuiuis, confisus ipse viribus, ac manibus posse illud sustinere, oppressus est. Author Pausanias. Polydamas Troianus, Panthoi filius, socius & magister, & æqualis Hectoris, vt est author AElianus. Homerus scribit Iliados lib. 18. hunc eloquentia, Hectorem armis valuisse. Dares historicus hunc dicit ad castra Græcorū noctu profectum Troiam prodidisse.

Polydectes, Magnetis filius, rex Seriphi insulæ. Hic Perseū Iouis & Danaes filiū educauit. Cuius tandem ingenium veritus, audaciámque & fœlicitatem, sub prætextu æternæ gloriæ illum ad superādum Gorgonem Medusam compulit: qua deuicta, redeunti Perseo cum semper detraheret, conuersus est ab illo in silicem, monstrato capite Medusæ, vt ostendit Ouidius lib. 5. Metamor.

Polydora, nympha, Oceani & Tethyos filia, teste Hesiodo in Theogonia. Est & Plinio lib. 6. cap. 32, insula Propontidis.

Polydorus, Priami filius, missus à patre initio belli cū magna vi auri, ad Polymnestorem Thraciæ regem cōseruandus nutriendúsque: vt si contingeret Troiam capi, ipse genus & vrbem instaurare posset. Sed destructa Troia, auri cupiditate Polydorum interfecit, vt testatur Virgilius AEneid. 3,

Hunc Polydorum auri quondam cum pondere magno
Infœlix Priamus, furtim mandarat alendum
Threicio regi: cum iam diffideret armis
Dardaniæ, cingíque vrbem obsidione videret:
Ille, vt opes fractæ Teucrûm, & fortuna recessit,
Res Agamemnonias, victriciáque arma secutus,
Fas omne abrumpit: Polydorū obtruncat, & auro Vi potitur, &c.

Polygnotus, pictor antiquissimus, cui⁹ meminit Quintilianus lib. 12. de institutione oratoria: & Plinius lib 7. & 35. Is in picturæ tenuitate valebat, plicas vestium, mollitiásque signorū imitabatur, vt est author AElianus. Pausanias libro decimo de eodem sic scribit,

Polygnotus pinxit Ocnum torquentem ſpartum, & aſinam propè rodentem. Quod ſanè ænigma eſt eius, qui fruſtra laborat, ſi vxorem habet prodigam. Vide Eraſmum in prouerbio, Ocnus torquet ſpartum. Meminit & huius Plinius lib. 35. cap. 9. Vide in dictione POECILE.

Polymedia, Plinio lib. 5. ca. 3, Troadis oppidũ Helleſpõto adiacẽs.

Polymneſtor, rex Thracũ tempore belli Troiani, ad quem Priamus dubitans de ſtatu Troiæ & belli euentu, filiũ Polydorum cum magno auri pondere cõſeruandum, nutriendúmque miſit: vt ſi contingeret Troiã capi, ipſe genus & vrbem inſtaurare poſſet. Sed deſtructa Troia, auri cupiditate Polydorum interfecit. Quod quum cognouiſſet Hecuba, finxit ſe illi aliud auri pondus velle ſecretò indicare. Quæ auarus rex vera eſſe credens, & in conſpectum Hecubæ veniens, ab illo vnguibus occæcatus eſt, vt elegantiſſimè ſcribit Euripides in Hecuba: Et Ouidius tetigit lib. 13. Metamor.

Polymnia, vna ex Muſis, quaſi Polyhymnia, à multitudine carminum ſiue laudationum dicta, vt notant Grammatici.

Polynices, OEdipi Thebanorum regis filius, & Eteoclis frater, qui OEdipo mortuo, de hæreditate & ditione diſſidentes, contractis vtrinque copiis, ambo ſe mutuis vulneribus interfecerunt. id quod teſtatur Virgilius in Culice,

At diſcordantes Cadmeo ſanguine fratres,
Iam truculenta ferunt, infeſtáque lumina corpus
Alter in alterius: iámque aduerſatus vterque
Impia germani manat quod ſanguine dextra.

Polyphemus, teſte Homero in Odyſſea, Neptuni filius, Cyclops. De quo Seruius ſic ſcribit, Multi Polyphemũ dicũt vnum habuiſſe oculum, alii duos, alii tres: ſed totũ fabuloſum eſt. Nam hic vir prudentiſſimus fuit, & ob hoc oculum in capite habuiſſe dicitur: id eſt iuxta cerebrum, quia prudentia plus videbat. Verùm Vlyſſes eum prudẽtia ſuperauit, & ob hoc eum cæcaſſe fingitur. Hæc Seruius ad illud Virgilii 3. AEneid.

-& telo lumen terebramus acuto
Ingens, quod torua ſolum ſub fronte latebat,
Argolici clypei, aut Phœbeæ lampadis inſtar.

Cicero quoque de Polyphemo lib. 5. Tuſcul. quæſt. ſic ſcribit, At verò Polyphemum Homerus, cum immanem ferúmque finxiſſet, cũ ariete etiam colloquentem facit, eiúſque laudare fortunas: quòd quò vellet ingredi poſſet, & quæ vellet attingeret. Rectè hic quidem. Nihilo enim erat ipſe Cyclops, quàm aries ille prudentior. Hæc Cicero.

Polypœtes, filius Pirithoi & Hippodamiæ, teſte Homero Iliad. 12.

Polytes, Priami filius ex Hecuba vxore, à Pyrrho capta Troia interfectus, vt scribit Virgilius lib. 2. AEneid.

Ecce autem elapsus Pyrrhi de cæde Polytes
Vnus natorum Priami, per tela, per hostes,
Porticibus longis fugit, & vacua atria lustrat
Saucius: illum ardens infesto vulnere Pyrrhus
Insequitur: iam iámque manu tenet, & premit hasta.

Polyxena, Priami regis filia ex Hecuba cõiuge, quæ à Pyrrho ad Achillis tumulum iugulata est. Achilles enim, vt scribit Seruius, dũ circa muros Troiæ bellum gereret, Polyxenam visam adamauit, & conditione pacis in matrimonium postulauit. Quam quũ Troiani fraude promisissent, Paris post Tymbræi Apollinis simulacrum latuit, & venientem Achillem ad fœdus missa sagitta vulnerauit. Tum Achilles moriens petiit vt euicta Troia ad eius sepulchrum Polyxena immolaretur. quod Pyrrhus impleuit. Hæc Seruius illud Virgilii 3. AEneidos enarrans,

O fœlix vna ante alias Priameia virgo
Hostilem ad tumulum Troiæ sub mœnibus altis
Iussa mori, quæ sortitus non pertulit vllos,
Nec victoris heri tetigit captiua cubile.

Polyxenus inter Græcorum duces numeratur Homero libro Iliados 2.

Polyzelus, poeta comicus, Græcus, cuiꝰ fabulas enumerat Suidas

Pompeii. Q. Pompeius contra Numantinos missus, ab eísque superatus, turpem & ignominiosam pacẽ fecit. Author Florus lib. 2. Huius filius, siue nepos Cn. Pompeius Strabo, magni Pompei pater, Nouocomum Coloniã deduxit: in bello sociali imperator creatus, de Picentibus triumphauit: vir admodum duræ disciplinæ.
Cn. Pompeius huius filius, Syllæ partes secutus est, ab eóque ad vlciscendos inimicos in Africam missus. Domitium prius expugnauit, Iarbam regem cepit. De quo triumphauit ante legitimam ætatem: quare ab exercitu Syllæ Magnus est salutatus. Inde contra Sertorium in Hispaniam profectus, Metelli copiis sese coniungens, eũ cum tota factione sustulit. Mox delectus imperator ad bellum piraticum, tribus mensibus id confecit. Dein successor L. Lucullo missus, de Mithridate triumphauit. Tigranem Armeniæ regem ei ad genua procumbentem, in regnum restituit. Inde Iberos, Albanos, Iudæos debellauit, capto eorum rege Aristobulo. Extincta vxore Iulia Cæsaris filia, Corneliam Scipionis filiam viduam à P. Crasso, M. filio viduam relictam duxit. Neapoli demum acutissima febre correptus, parum abfuit à morte: quæ si contigisset, melius cum eo

factum fuisset,ob insequentis belli ciuilis calamitatem. Nam Pharsalica pugna à Cæsare copiis longè inferiore superatus, & in AEgyptum fugiens, regis perfidia ab Achila præfecto interfectus est. Triumphum cum ex Oriente olim rediisset, biduo egit,prænotatis gentium titulis victarum, quæ à Plinio in X, item à Plutarcho ordine adnotantur. Pompeii eius liberi,alter apud Mundam à Cæsare in Hispania,alter in Sicilia ab Augusto postea victi:ex quibus Sex.Pompeius piraticam exercuit,vt est author Lucanus,

Sextus erat magno proles indigna parente,
Qui mox Scyllæis exul grassatus in vndis,
Polluit æquoreos Siculus pirata triumphos.

Sex.Pompeius alius,vir prætorius: sub quo Valerius Maximus se militasse dicit, & quem Ouidius de Ponto pluribus locis laudat. Huius pater Sex. Pompeius Hispaniæ citerioris princeps,cum horreis suis ventilandis præsideret, correptus dolore podagræ, mersit in triticum sese super genua, leuatúsque siccatis pedibus mirabili modo : quo postea remedio vsus est Plinius. Q. Pompeius Rufus, Syllæ è filia nepos, tribunusplebs. cum T. Numatio Planco aduersissimus Miloni, in cuius causa dixerat paucis pòst diebus, quàm Clodius esset occisus, Milo dedit quem ex Curia desyderetis:ego dabo quem ex Capitolio mulctetis. Idem Milonem ad se venientem in hortis aspiciens,misit nuntium ne veniret. Q. Pompeius qui Bithynicus est dictus,summo studio dicendi, multáque doctrina, incredibilísque labore atque industria . Huius actio non satis commendabat orationem: in hac enim satis erat copiæ, in illa leporis parum. Hæc Cicero. Festus quoque de eodem sic ait,Pompeius Bithynicus, è supellectili regia signum ephebi mitram tenentis, arenámque ruentis,exercitationis gratia more Græcorum Romam portauit,& in Capitolio posuit. Pompeii, oppidum Campaniæ, non procul à Puteolis & Neapoli, vt scribit Pomponius Mela lib.2.

Pompeiopolis, Ciliciæ vrbs, dicente Pomponio Mela libro primo in descriptione Ciliciæ,Deinde vrbs est à Rhodiis, Argiuísque, pòst Piratis,Pompeio assignante possessa: nunc Pompeiopolis,tunc Soloe. Quæ etiam, Solino teste, postea Traianopolis est appellata, mutato nomine, postquam in ea fato cedere Traianus coactus est.Sic alia quoque ingentia passim oppida principum nomina non rarò odiosa sustinere iussa sunt,vt scribit Vadianus.

Pompelon Ptolemæo lib.2.cap.6, Martua dicta:Pampilona,Hispanicè Pamplona, Pompeiopolis:caput regni Nauarræ.

Pomponius Atticus à Cornelio Nepote elegantissimè scribitur. Is nobilis eques Romanus, excellenti ingenio, & amicus Cicero-

nis in primis fuit:vnde Atticus Ciceronis est appellatus.Qui postquam vidit Cinnæ tumultu Rempublicam esse turbatam, secessit Athenas, vbi longo tempore moratus, & ciuitatem, & omnium gratiam moribus elegantissimis promeruit: linguam ita probè didicit, vt Attici nomen adsequeretur. Humanitate diuitiísque simul præditus fuit, quibus amicos libenter impertiebat. Nam & Ciceronem ab Vrbe pulsum opibus iuuit,& Brutum ab Vrbe fugientem nummis centum est prosecutus. Erat alioqui grauissimus, vt quæ religiose polliceretur, præstare niteretur. Mendacium nec ipse dicebat, nec pati poterat. Plura Cornelius Nepos. Pomponii quoque duo Ciceronis tempore fuere. Quorum alter L.Pomponius Bononiensis Atellanarum scriptor, quem Solinus ait, vt mirum,nunquam ructasse. Alter Cn. Pomponius orator,patronus acer,acerbúsque dicendo, & lateribus pugnans,vt ait Cicero in Oratore. Iulius item Pomponius Secundus tempore Quintiliani interTragicos longè princeps:quem senes Pindarum tragicum putabant, compositione atque nitore præstare confitebantur.Quintilianus. Tacitus verò de eodem, Pomponius Secundus in nostris temporibus,Domitio Afro,vel dignitate, vel famæ perpetuitate cessit. Hæc Tacitus. Plinius verò cap. 4. lib.14,eum cœnam C.principi Germanici filio dedisse ait, in qua vinũ C L X.annorum fuit. Põponius Iurisconsultus ex Pandectarum libris notissimus. Præter hos Põponius Mela insigni opere de situ orbis clarissimus.

Pontia,insula Tyrrheni maris, teste Ptolemæo lib.3.cap.1: vulgo Ponce.Ex hac fuit Pontius Pilatus. Pontiæ item, insulæ sunt in mari Tusco, vt scribit Plinius cap.6. lib.3, Ab his vltra Tyberina ostia in Antiano,Astura,mox Palmaria,Sinonia, & aduersum formias Pontiæ.

Pontus,propriè id mare dicitur quod à Mæotide palude vsque in Tenedum protenditur: sed vbi primùm se arctat, à Tenedo incipiens,post Helles casum Hellespontus vocatur,à quo Hellespontiacus adiectiuum,vbi expandit Propontis: vbi iterum premit,Thracius Bosphorus:vbi iterũ effundit Pontus,Euxinus qui paludi committitur.Palus ipsa,Mæotis in Põto iuxta Phasidis ostium: Tomus ei loco proxima insula est,Medeæ crudelitate memoranda,quæ ibi fratrem suum Absyrtium interfecit,nec minus Nasonis exilio nota.Cur autem Tomos dicta sit vrbs ipsa & insula, exponit Ouidius Tristium lib.1.his versibus,

Inde Tomos locus est dictus,quia fertur in illo
Membra soror fratris consecuisse sui.

Pontina palus,Volscorum palus est iuxta viam Appiam, quam

Plinius lib.3. cap.5, non longe fuisse à Circeis dicit, quem locum XXIIII. vrbium fuisse Mutianus ter consul prodidit. Exsiccata est à Cor.Cethego COS.cui ea prouincia obuenerat:agérque ex ea factus,vt scribit Liuius lib.47.Insequentibus deinde seculis iterum exsiccata à Theodorico Gothorum rege, vt ex eius inscriptione in eo loco cernitur. Latrunculorum autem fuisse sedem Iuuenalis satyra 3,ostendit his versibus,

Interdum & ferro subitus grassator agit rem:
Armato quoties tutè custode tenentur
Et Pontina palus,& Gallinaria pinus.

Popilii,à Pompiliis diuersi leguntur, quorum princeps M. Popilius,qui quum COS. esset, eodémque tempore sacrificium publicum cum læna faceret, quòd erat flamen Carmentalis:plebis contra patres concitatione & seditione nuntiata, vt erat læna amictus, ita venit in concionem, seditionémque cum authoritate, tum oratione sedauit.Author Cicero in Bruto.Hic etiam secundùm consul cum M. Fabio Ambusto factus,Tyburtes bello vicit, agris eorum vastatis,teste Liuio. M.Popilius à Numátinis cum quibus pacem factam irritam censuerat,cum exercitu fusus fugatúsque est,vt etiam author est Liuius lib.55.Hic deinde ob rem sua culpa malè gestam in exilium est actus. Popilius, legatus ad Antiochum, qui Ptolemæum regem, amicum populo Romano obsederat, missus nuntiatum vt à sociis populi Romani abstineret: cunctantem, responsúmque differentem, virga circunscripsit, ne vltra spatium illud differendo exiret:ex quo territus Antiochus bellum omisit.Liuius lib.45.& Valerius. Popilius Lanatus,qui Ciceronem occidit patronum suum in causa capitis.Author Valerius.

Populonia, Hetruriæ ciuitas iuxta Pisas,authore Pomponio Mela lib.2.Hodie Plumbinum.

Populonium,Tuscorum promontorium, Ptolemæo lib.3.cap.1. Baractus portus hodie.

Porphyrione, insula est in Propontide ante Cyzicum, vt scribit Plinius cap.vltimo lib.5.

Porphyris,Plinio lib.4.insula est in sinu Laconico,à Maleæ promontorio quinque millibus passuum distans, ancipiti mari propter angustias. Eadē postea Cythera appellata est, ob memorabile templum Veneris quod in ea constructum fuit.

Porphyrius philosophus, Tyrius genere, clara ortus prosapia, à puero vsus est præceptore Longino,viro doctissimo:prius Malchus vocabatur: deinde ob vestem regiam purpuream, qua ob nobilitatem vtebatur,Porphyrius appellari cœptus est.Romam postea pro-

fectus. Plotinum audiuit, vnà cum Origene & Amelio condiscipulis. Inde in Siciliam nauigans, apud Lilybæum morbo correptus, à Plotino magistro, qui eò se contulerat, & præsentia, & philosophica oratione recreatur, adeò vt statim conualuerit: móxque Romam simul repetens, ibidem diem obiit, relictis operibus, in quibus contraria & pugnantia inter se videtur asserere. Causa putãda est, quòd quæ prius probauerit, ea postea retractauerit. Eius opera sunt, De diuinis nominibus liber vnus. De principiis duo. De materia sex. De anima quinque. De animalium abstinentia quatuor. De cognoscendo seipsum quatuor. Quòd vna fuerit Platonis Aristotelísque secta, libri septem. In historiã Iuliani Chaldæi philosophi libri quatuor. Contra Christianos libri quindecim. In dialectica Isagôge, aliáque complura. Floruit Aureliani Cæsaris temporibus, vsque ad Tacitũ & Probum principes. Hæc ex Suida. Aduersus autẽ libros quos cõtra nos edidit Methodius, Eusebius & Apollinaris, XXX voluminibus apologiam edidere, vt est author Hieronymus.

Porsena, rex Tusciæ qui vrbem Romam obsedit. Martialis,
Hanc spectare manum Porsena non potuit. Additur etiã nonnũquam N, Porsenna, vt producatur. Virg. lib. AEneid. 8,
Necnon Tarquinium eiectum Porsenna iubebat
Accipere, ingentíque vrbem obsidione premebat.

Porta Augusta, Hispaniæ vrbs Ptolemæo lib. 2. ca. 6. Torquemada vulgo.

Portunus, deus marinus, vide in dictione PALAEMON.

Posidippus Casandreus, comicus, docuit anno tertio post Menãdri mortem, cuius fabulas triginta commemorat Suidas.

Posidiũ, Syriæ vrbs, authore Ptolemæo lib. 5. cap. 2. vulgo Pualo.

Posidonius, Rhodius philosophus, Stoicus, docebat Rhodi, discipulus & successor Panætii. Venit etiam Romam M. Marcelli tempore, scripsítque multa. Author Plutarchus. Posidonius Olbiopolita historicus, scripsit post Polybium historiam libris LII, vsque ad bellum Cyrenaicum & Ptolemæi. præterea declamationes rhetoricas, argumenta in orationes Demosthenis. Suidas. Hunc Strabo testatur suo tempore fuisse. Posidonius Africæ præsul, Augustini contubernalis, cuius etiam vitam scripsit: præterea homiliarũ libros septem, epistolarum totidem, aliarúmque rerum complures. Author Ptolemæus Lucensis.

Possideum, Ioniæ promontorium est, teste Pomponio Mela lib. 1. in descriptione Ioniæ.

Posthumia, virgo Vestalis de incesto causam dixit, crimini obnoxia, ob suspicionem cultus elegantioris, ingeniúmque liberius,

quàm virginem deceret:parum abhorrens à fama.Tãdem sententia pontificis maximi absoluta,qui eam abstinere iocis, coliq; sanctè potius,quàm scitè iussit.Volaterranus. Posthumia item Seruii Sulpitii vxor,cuius sæpe meminit Cicero Epistolarum lib.4.

A.Posthumius Albinus missus ad Iugurtham,ab eóque corruptus auro, patriam magno damno adfecit. Idem de Vaccæis & Lusitanis triũphauit.Liuius li.64. A. Posthumius dictator in bello Latinorum,quod Tarquinii fuga excitauit, confugientis ad generum suũ Manlium ducem Tusculanorum.Itaque collatis signis ad lacum Regillum,cum victoria vtrinque nutaret, magister equitum Romanis equis frænos detrahi iussit,vt irreuocabili impetu ferrentur in hostes: vbi tandẽ aciem Latinorũ Romani fudere. In eo prælio visi duo iuuenes acriter pugnare, quos post pugnam ad præmia quæsitos,dictator reperire nõ potuit.Ratus itaque eos Castorem & Pollucem:eis cómuni titulo templum dedicauit.Author Cæcilius. Posthumius Tubero, magister equitũ AEmylii Mamerci dictatoris in prima dictatura contra Volscos:mox in eodem bello à Q.Cincinnato cõsule eius genero,dictator dictus,de eisdẽ triumphauit:quam victoriam funestauit mors filii,viri magna virtute:quẽ quòd iniussu eius, occasione rei bene gerũdæ pugnã iniisset,securi percussit.Ex Liuio lib.4. L.Posthumius post Cãnensem pugnam consul in Galliam profectus,à Boiis cum exercitu profligatus, ne caperetur, magno studio cadere in prælio contendit. Cuius inuenti caput præcidentes Barbari ouantes in tẽplo obtulerũt, idque sacrum vas erat in quo in solẽnibus libarent. Liuius lib. 22. Sp.Posthumius,& T.Veturius coss.apud furcas Caudinas deducto in locum iniquum exercitu, quũ nulla euadendi spes esset,fœdere cũ Samnitibus facto,& sexcẽtis equitibus Romanis obsidibus datis, ita exercitum abduxerũt, vt omnes sub iugum mitterentur,iidémque, authore ipso Posthumio,qui in senatu suaserat, vt eorũ deditione, quorũ culpa tam turpe fœdus ictũ erat, publica fides liberaretur, cum duobus Tribunis plebis, & omnibus, qui per fœdus spoponderant,dediti Samnitibus non sunt recepti:nec etiã multo post fusis à Papyrio Cursore Sãnitibus,& sub iugũ missis receptísque sexcentis equitibus Romanis obsidibus, pudor prioris flagitii abolitus est. Liuius lib.9.

Potamus,oppidum Atticæ,vt scribit Plinius cap.7.lib.4.

Potentia,Ptolemæo lib.3.ca.1, Picenorum vrbs.vulgo S.Maria de Loret.

Potidæa, Macedoniæ vrbs, antè Cassandria dicta, vt scribit Plinius cap.58.lib 2.& cap.10.lib.4.

Potina, Stephano, ciuitas Bœotiæ ex qua Glauc⁹ fuit, & à qua Potineus dictus. Est & Straboni fons prope Thebas Bœotias. Plinius tamē lib.4.cap.19.oppidum in Magnesia statuit, circa quā, vt idem testatur lib.25.cap.8.asini pasti rabie inflammantur.

Potitius.vide PINARIVS.

P R

Practius, ciuitas Ponti, quæ Troianis auxilia misit, teste Homero.

Prægutii, Italiæ populi, qui Marsis magis oriētales sunt Ptolemæo authore lib.3.cap.1.hodie Præcutini, Abruzi vulgó.

Præneste neutrum, & hæc Prænestis, nomen vrbis in Latio haud longè ab vrbe, ἀπὸ τῶν πρίνων, id est, ab Ilicibus quæ illic abundant, dicta. Solinus à Præneste Vlyssis nepote & Latini regis filio deducit. Olim Polystephanos, à multitudine coronarum dicta, vt scribit Plutarchus. Quidam à Cæculo, Vulcani filio conditam dicunt super Aretino monte. quod sequitur Virgilius. Vide CAECVLVS.

Prasii, Indiæ populi, dicente Plinio cap.19.lib.6, Sed omnium in India prope nō modo in hoc tractu, potentiā, claritatémque antecedunt Prasii, amplissima vrbe, ditissimáque Palibotra.

Praxaspes, vir Persa nobilis, qui Smerdim Cambysæ fratrem iussu ipsius occidit, vt est apud Herodotum lib.3.

Praxiteles, statuarius, marmore nobilitatus duplici Venere Gnidia & Coa: Sed Gnidia, vesano amore iuuenis, insignis, qui delituit in templo, simulacróque cohæsit. Tum Nicomedis æstimatione regis, grādi Gnidiorum ære alieno permutare eam conantis. Natus est in Græcia Italiæ ora, ciuitate Romana donatus. Scripsit, teste Varrone, quinque volumina nobilium operum in toto orbe. Eius Romæ opera Triptolemus, Flora, Ceres in hortis Seruilianis, Boni euentus, & Bonæ fortunæ simulacra in Capitolio: Item & Mænades, & quas Thyadas vocant & Caryatidas, & Sileni in Asinii Pollionis monumentis, & Apollo, & Neptunus. Ex Plinio cap.5.lib.36.

Præpenissus, vrbs est Mysiæ maioris in Mediterraneis.

Priamus, fuit Laomedontis Troiani regis filius, sic παρὰ τὸ πρίαμαι, emo, dictus, authore Seruio. Nam puer ab Hercule captus cū Hesiona sorore solus pecunia redimi potuit. Eum à Ioue originē traxisse ferunt. Dardanus filius fuit Iouis ex Electra, cuius filius fuit Ericthonius. Hic filiū habuit Troē, qui re-

gionē quæ à Dardano Dardania dicebatur, Troiam à se dixit. Huius filii fuerunt Assaracus & Ilus,qui vrbem ipsam Ilion à se vocauit.Hic filiū habuit Laomedontē, qui pater fuit Priami:at Priamus ipse patre ab Hercule interfecto, & auro redēptus,Iliō reformauit & exornauit. Habuítque, teste Cicerone Tusculan. quæst.lib.1,filios quinquaginta:quorū decem & septem ex iusta vxore sunt nati. At verò ex altero latere Assaracus Capyn genuit,ex quo Anchises, & ex illo AEneas. Quam sanè genealogiam Ouidius lib.4.Fastorum pulcherrimè expressit,

Dardanon Electra quis nescit Atlantide natum?
 Scilicet Electram concubuisse Ioui?
Huius Erichthonius:Tros est generatus ab illo:
 Assaracum creat hic,Assaracúsque Capyn.
Proximus Anchises:cum quo commune parentis
 Non dedignata est nomen habere Venus.
Hinc satus AEneas,&c.

Priaponnesos,insula est in sinu Ceramico, vt scribit Plinius cap.32.lib.5.

Priapus (inquit Seruius)Dionysii ac Veneris filius,deus Lampsacenus Hellesponti,qui hortos tuetur.Is ob mēbri virilis magnitudinem immoderatā,ex Hellesponto primùm eiectus. deinde pro deo habitus est.Vnde Virgilius lib.Georg.4,Hellespōtiaci seruet tutela Priapi. Asserunt etiam nonnulli priscos illos quum vellent hominū pudenda occultius nominare, priapum dixisse.Author Diodôrus lib.5. Est & Priapus,Hellespōti vrbs,teste Plinio cap.32.lib.5.à Priapo superiore,Liberi &Veneris filio condita: cœptus est enim ibi coli ob vineta vberrima, quæ iuxta in Pariana & Lāpsacena regione sunt, Authore Strabone.

Priene,Ioniæ vrbs,Biante alumno nobilis:qui patria aliquādo ab hostibus capta,quum reliqui omnes fugientes,quidpiam rerum suarum asportassent, interrogatus ipse cur adeò nil efferret,Omnia (inquit) mea mecum fero. summas diuitias in animo statuens.Meminit huius Cicero in Paradoxis.

Priscianus Cæsariensis claruit Athenis tempore Iustiniani principis: scripsit de arte grammatica ad Iulianum consulem: ad Cosroen verò Persarum regem librum de naturalibus quæstionibus.Cōuertit in Latinum sermonē Dionysii de situ orbis carmina.Sunt qui scribant hunc ab initio Christianum,deinde fidei desertorem fuisse.Volaterranus.

Priscus Eluidius,sub Nerone quæstor Achaiā administrauit,

Quæstoriúsque adhuc à Pæto Thrasea gener adscitus, è moribus soceri nihil æquè ad libertatem hausit, opum contemptor, recti peruicax, constans aduersus metus. Erant quibus appetentior famæ videretur. Quinetiam sapientibus, cupido gloriæ nouissima exuitur. Hæc Tacitus. Probus quoque grammaticus de eodem sic ait, Priscus (inquit) post damnationem Thraseæ soceri sui, interdicta sibi Italia, Apolloniam concessit. Sed post interfectum Neronem restitutus à Galba, nō aliter quàm liberæ ciuitatis statu egit. Idem postea Vespasianum in studio libertatis offendit, vt putaret id optante Clodio pristinum libertatis statum posse reuocare. Quo nomine reus, ac præter spem absolutus est. Hactenus Probus. Priscus alter, Panites genere, sophista, Theodosii iunioris epistolarum magister fuit, qui se scribit à Cæsare missum fuisse oratorem in Scythiam, ad Attilam Hunnorum regem, ac eius regiam pulcherrimè describit, magnifico opere, sumptuosóque factam. Scripsit historiam Constantinopolitanam, & ipsius Attilæ libris VIII. præterea declamationes & epistolas, vt est author Suidas.

Priuernum, vrbs Volscorum in Latio. Vnde Priuernates, vt notat Seruius apud Virgilium, explicans carmen illud,
Hos super aduenit Volsca de gente Camilla.

Proæresius è Cæsarea Cappadociæ, adolescens Antiochiā venit, permotus fama Vlpiani dicendi magistri, apúdque eum primas tulit. Cum quo paruo post tempore Athenas profectus, sub Iuliano sophista adeò profecit, vt primus inter auditores esset: Ephestionem condiscipulum amicum, comitem sibi adiunxit. Accersitus inde in Galliam à Constātio principe, apud eum fuit in honore. Romam postea petiit, vbi aliquot annos magna nominis fama moratus, tandem opibus ac honoribus auctus, Athenas rediit, vbi magno exceptus applausu, extemporalem orationem habuit in theatro. Hæc ex Suida.

Probus Berytius, grammaticus, Romæ docuit, non tamen vt magistri personam sustineret, vnum & alterum, vel cumplurimum tres aut quatuor, pomeridianis horis admittere solebat, cubánsque inter longos & vulgares sermones legere quædam, ídque perraro. Nimis parua & exigua de quibusdam minutis quæstiunculis edidit. Reliquit autem non mediocrem syluam obseruationum sermonis antiqui: ab initio enim ad studia se contulit, postquam in militia diu centuriatum frustra petisset. Hæc ex Tranquillo.

Procas, rex Albanorū, qui Amuliū & Numitorē filios habuit.

Prochyta,insula est in sinu Puteolano, sic dicta,nõ ab AEneæ nutrice, sed quia ab AEnaria profusa erat. Plinius cap.6.lib.3.

Procilius grammaticus,cuius meminit Seneca, vir suis tẽporibus doctissimus.Quũ de peregrinãdis regionibus loquitur,cõmemorat apud Memphim, in aurea columna AEgyptiis literis scriptum,tunc demum AEgyptum liberã fore,cum in eam venissent Romani fasces.Author Lampridius.

Proclus Lycius,discipulus Syriani,philosophus Platonic',præfuit scholæ Atheniẽsĩ, cuius discipulus & successor fuit Marinus Neapolitanus.Scripsit plura in Grãmatica & Philosophia. Commentarios in totum Homerum,in Hesiodi ἔργα καὶ ἡμέρας, in remp.Platonis,præterea cõtra Christianos Epicheremata XVIII. Hic est Proclus qui post Porphyrium secundus cõtra nos latrauit:aduersus quẽ Iohannes cognomẽto Grãmaticus scripsit apologiam,dictitans eum,quanquã in rebus Græcanicis magnum, stultum tamẽ esse,& in hac parte indoctũ.Author Suidas. Is etiã est, cuius hodie cõmentarios in Platonem habemus. Præceptor item M.Antonini,quem ad consulatũ vsque prouexit,vt scribit Spartianus. Proclus item Malleotes patria, qui scripsit in Sophismata Diogenis, & contra Epicurum. Proclus cognomẽto Proculeius è Laodicea Syriæ, qui scripsit theologicum in Pandoræ fabulã Hesiodi,in Aurea carmina, Isagogem in arithmeticam Nicomachi,& alia quædam geometrica. Proclum Naucratitam his Philostratus addit, qui dicit vnũ fuisse ex suis præceptoribus, ac docuisse Athenis, filiúmque habuisse luxui deditum,in quem nõ modo non seuerus fuit, sed vsqueadeo indulgens,vt in alendis canibus,auibúsque adesset, dictitãs has nugas eum citius cum senibus dimissurum, quàm cum æqualibus.In docendo hunc omnino seruasse morem,vt ab initio à discipulis centũ drachmas pro totius temporis mercede acciperet, bibliotheca domi publicata: vt illi solum lectioni intenti, dum cogerentur minime per otium,vti moris est in ludo,inter se sibilent aut iurgentur,pueris cum pædagogis,ac adolescentibus in medio constitutis. Philostratus.

Proconnesus, insula est in Propontide . Plinius cap. vltimo lib.5, Insulæ in Propontide ante Cyzicum Elaphonnesus,vnde Cyzicenum marmor.Eadem Neuris & Proconnesus dicta.

Procopius, è Cæsarea Palæstinæ orator & sophista,scripsit res Iustiniani,quæ in Oriente aut Occidente, aut Africa per Belisarium patricium gesserat.Cuius subscriba & comes,in cũctis expeditionibus fuit.Cõposuit item alterumlibrũ,quem inscripsit

ἀνέκδοτα,id est non edenda,siue nō edita: vbi Comœdia quædā Iustiniani,& eius vxoris Theodoræ vituperationē describit.Author Suidas. Procopius, tyrannus Constantinopolitanus,insurgens contra Valentem principē apud Nataliā Phrygiæ ciuitatē, in eius potestatē cum exercitu venit, proditus à duobus militibus: alligatúsque deinde duabus per vim reflexis arboribus,discerptus est. De proditoribus etiam sumptum supplicium. Ex historia tripartita.

Procris(inquit Seruius)filia Iphidi,vxor Cephali fuit,qui cum venandi studio teneretur,labore fessus, ad locum quendā adire cōsueuerat,& illic ad se recreandū Aurorā vocare.Quod cum sæpè faceret,amorē in se mouit Auroræ, quæ ei canē velocissimū Lælapā nomine donauit:& duo hastilia ineuitabilia,eúmque in amplexus rogauit. Ille respondit iusiurandū se habere cum coniuge mutuæ castitatis.Quo audito, Aurora respondit,Vt probes igitur coniugis castitatē,muta te in mercatorem: quo facto ille it ad Procrin,& oblatis muneribus,impetratóq; coitu,confessus est maritū se esse: quod illa dolens,quū audisset à rustico quodā amare eum Aurorā,quam inuocare cōsueuerat,ad syluas profecta est,& in frutetis latuit ad deprehendendū maritū cum pellice.Qui cum more solito Aurorā vocaret, Procris egredi cupiēs, fruteta cōmouit.Sperās Cephalus ferā, hastam ineuitabilē iecit, & ignarus interemit vxorē.Hæc Seruius enarrās illud Virgilii 6. AEneid.His Phædrā,Procrínque locis, mœstámque Eriphylen.

Proculeius,vt scribit Acron,Horatii interpres,eques fuit Romanus, Augusti amicissimus, qui pius sic erga fratres suos Scipionē & Murenā fuit,vt spoliatis bello ciuili patrimoniū suum ex integro diuideret,quod cū eis iam antè diuiserat. Hæc Acron apud Horatium lib.2.Carm.

Viuet extento Proculeius æuo,
Notus in fratres animi paterni:
Illum aget penna metuente solui,
Fama superstes. Huius meminit & Plutarchus in vita Antonii, dicens Antoniū paulò antè quàm expiraret, admonuisse reginam Cleopatrā,vt sibi ac rebus suis cōsuleret:& maxime omnium,qui cum Cæsare Augusto erant,Proculeio se crederet. Mortuo Antonio Augustus Proculeiū misit,vt curaret Cleopatrā viuā in suā potestatē habere.Demū quū illa arrepto ense voluisset sibi mortē inferre, Proculeius ensem è manibus ademit.

Procustes,latro insignis super Cephisum flumē habitās,& nocte suos hospites trucidās, à Theseo AEgei filio,vt ait Bocatius, superatus atque interemptus est.

Procyon,teste Plinio lib.18.cap.38,stella est,quæ alio nomine Canicula dicitur,quoniam ante maiorem Canem exoritur.Caniculæ enim exortu,accendi solis vapores quis ignorat?cuius syderis effectus amplissimi in terra sentiuntur:feruent maria,exoriente eo,fluctuant in cellis vina,mouentur stagna,canes etiam in rabiem agitantur. Columella lib.12.scribit, quòd Idibus Iulijs Procyon exoritur mane, & tempestatem significat. Postea inquit,VII.Calend.Augusti,Canicula apparet,éstq; caligo æstuosa.Horatius lib.3.Car.Iam clarus occultum Andromedæ pater
Ostendit ignem,iam Procyon furit
Et stella vesani leonis
Sole dies referente siccos. Cic.2.de nat.deorum,
-geminis est ille sub ipsis
Ante Canem,Procyon Graio qui nomine fertur.

Prodicus Cous,cuius quãta fuerit authoritas, ex Xenophonte deprehendere licet,qui in Bœotia captus,vadem pro reditu dedit. In concilio Atheniensium magnam est laudem adeptus, quanquam voce grauiore atque absóna. Conatúsque est in ea ciuitate primarios ex quaque nobili familia adolescentes sibi deuincire, quorum hospitium vsui sibi & voluptati foret. Hæc è Philostrato. Suidas autem dicit eum Chium fuisse & Democriti ac Gorgiæ temporibus fuisse,librúmque edidisse,qui inscribitur ὧραι, in quo finxit Herculem, virtuti pariter ac voluptati congressum, & vtraque adhortante tandẽ à virtute persuasum alteram spreuisse.

Prœtus, fuit Abantis Argiuorum regis filius, cui successit in regno.Hic,teste Homero lib.11.Odysseæ,Antiam habuit vxorẽ, ex qua filias quatuor habuit, quæ,teste Pherecide, cum in forma seu pulchritudine se Iunoni prætulissent, offensa dea eis furorem talem immisit,vt vaccas se esse arbitrarentur,& aratra timentes syluas peterent, dicente Virgilio in Sileno,
Prœtides implerunt falsis mugitibus agros.

Progne,filia Pandionis regis Atheniensis,& vxor Terei regis Thraciæ.De qua in dictione TEREVS.

Prometheus, teste Ouidio lib.1.Metamorph. Iapeti filius ex Asia nympha coniuge,
Quam satus Iapeto mixtam fluuialibus vndis
Finxit in effigiem moderantum cuncta deorum. Promethei fabulam sic refert Seruius, Prometheus (inquit) post factos à se homines,dicitur auxilio Mineruæ cælum ascendisse,& adhibita facula ad rotam Solis,ignem furatus:quẽ hominibus indicauit.

Ob quam causam irati dii, duo mala immiserunt terris, febres & morbos, sicut & Sappho & Hesiodus memorant. Quod tangit & Horatius dicens, Post ignem æthærea domo
Subductum, macies, & noua febrium
Terris incubuit cohors. Ipsum etiam Prometheum in monte Caucaso per Mercurium religauerunt ad saxum: & adhibita aquila est, quæ eius cor exederet. Hæc autem omnia non sine ratione finguntur. Nā Prometheus, vir prudentissimus fuit. Vnde etiam Prometheus dictus est ἀπὸ τῆς προμηθείας, id est à prouidentia. Hic primus astrologiam Assyriis indicauit: quam residēs in monte altissimo Caucaso, nimia cura & solicitudine deprehenderat. Hic autem mons positus est circa Assyrios, vicinus pene syderibus. Vnde etiā maiora astra demonstrat, & diligenter eorum ortus occasúsque significat. Dicitur autem aquila cor eius exedere, quòd ἄχος est solicitudo, qua ille affectus, syderum omnes deprehenderat motus. Et hoc quia per prudentiā fecit, duce Mercurio, qui prudentiæ & rationis deus est, ad saxum dicitur esse religatus. Deprehendit præterea rationem fulminum, & hominibus indicauit: vnde cælestem ignem dicitur esse furatus. Nam quadam arte ab eodem monstrata, supernus ignis eliciebatur, qui mortalibus profuit, donec eo bene vsi sunt. Nā postea malo hominum vsu in perniciem eorum versus est: sicut in Liuio lectum est de Tullo Hostilio, qui eo igni exustus est cū omnibus suis. Numa verò Pompilius impunè eo vsus est tantum in sacris deorum. Hinc est quòd igne rapto ab iratis numinibus morbi hominibus dicūtur immissi. Hactenus Seruius, enarrans illud Virgilii 6. Eclogæ,
Hinc lapides Pyrrhæ iactos, Saturnia regna,
Caucaseásque refert volucres, furtúmque Promethei.

Propertius, Elegiarum poeta ex Meuania oppido oriundus: quod in Vmbria est, vt ipse author copiose testatur. Sunt qui scribant eius patrem equestri dignitate ornatum, ac triumuirali potestate fuisse: tum inter eos connumeratum, qui L. Antonium secuti Perusia capta ex Octauii Cæsaris authoritate, ad aram diui Iulii perducti, ibidem occisi fuerunt. Illud omnino constat, hūc Propertium magna ex parte amissis bonis Romā se recepisse, cùm patrem suum in tenera adhuc ætate amisisset: quod illis versibus apparet,
Aspice me: cui parua domus, fortuna relicta est:
Nullus & antiquo Marte triumphus aui. Ex Crinito.

Propontis, maris pars est, quæ à Meridie, Bithynia: ab Arcto

Thraciæ litoribus ferè cingitur. Eius situm vt expansus est inter Hellesponti & Bosphori fauces, ex Ptolemæi tabula prima Asiæ discito.

Proserpina, Iouis & Cereris filia, à Plutone dum Siciliam lustraret rapta, in campis Ennæis, cum Cyane nympha & Sirenibus flores legens. Cuius fabulam sic scripsit Seruius, Ceres (inquit) cum raptam à Plutone Proserpinam filiam diu quæsisset: tandem aliquando eam esse apud inferos comperit: pro qua re cum Iouis implorasset auxiliũ, ille respondit posse eam reuerti, si nihil apud inferos gustauisset. Illa autem iam punici mali in Elysio grana gustauerat: quã rem Ascalaphus Stygis filius prodidit. Vnde Proserpina ad superos remeare non potuit. Hinc ait Lucanus, -quæ te

Detineant Ennæa dapes. Sanè Ceres à Ioue postea meruisse dicitur, vt Proserpina sex esset cum matre mensibus, sex cum marito: quod ideo fingitur, quia Proserpina ipsa est quæ & Luna, quæ toto anno sex mensibus crescit, sex deficit, scilicet per singulos menses quindenis diebus: vt crescens apud superos, deficiens apud inferos esse videatur. Hæc Seruius apud Virgilium lib.1. Georgicorum,

Quanuis Elysios miretur Græcia campos:
Nec repetita sequi curet Proserpina matrem. De Proserpinæ raptu scribit Cicero in Verrem act.9. lib.6.

Prosopis, insula est in Delta Nili ostio, teste Herodoto.

Protagoras Abderites, domi Democriti auditor fuit, natus Menandro patre Thracũ locupletissimo, qui & Xerxem aduersus Græcos proficiscentẽ, domo, muneribúsque excepit: ob quã liberalitatẽ, Magi qui cum eo erãt, facta à rege potestate, eius filium Protagorã, tunc adolescentẽ sua disciplina erudierũt. Nã iniussu regis eam cõmunicare nõ licet, quòd de diis haud bene sentiãt, dubitaréque se dicant eos esse. Illis quoque clàm sacrificant, ne clara religionis professione illis seruire, aut per illos aliquid posse videãtur. Ex hac igitur consuetudine & ritu Protagoras ab Atheniensibus cõdemnatus: vt autẽ placet nõnullis, tantum accusatus, sponte exulauit. Quúmque sparsas toto orbe triremes Atheniensiũ videret, paruo se nauigio credens, insulas lustrauit, vbi tunc mercede dicitur primus omniũ profiteri cœpisse. Igitur Plato cum videret eum arte rhetorica intumescentem, verbáque ex poetica plus iusto ostentantẽ, eius ideam longo sermone expressit. Hæc ex Philostrato. De eodem secus scribit Gellius cap.3. lib.5. Protagoras alius fuit astrologus, in quẽ

Euphorion Epicedium ſcripſit. Alius item Stoicus, Diogene Laertio authore.

Prote, Inſula eſt vna ex Stœchadibus tribus, in Ionio mari cõtra AEtoliam ſita, teſte Plinio cap.5.lib.3.

Proteſilaus, vnus è Græcorũ ducibus, qui ad Troiam profecti ſunt: cum primus ex nauibus in litus proſiliret, ab Hectore eſt interfectus. Fuit ex Phylace Theſſaliæ oppido. Inde Phylacides dictus. Eius vxor Laodamia, cum interitũ reſciſſet, in ſolatium mœroris optauit vt mortui vmbrã videret. Quod cum impetraſſet, in illius amplexibus expirauit. Propertius,

Illic Phylacides iucundæ coniugis heros
 Non potuit cæcis immemor eſſe locis:
Sed cupidus falſis attingere gaudia palmis,
 Theſſalis antiquam venerat vmbra domum.

Proteus, deus marinus, Oceani & Tethyos filius, & vates, dicente Virgilio Georg.lib.4, -nouit nanque omnia vates
Quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.
Quippe ita Neptuno viſum eſt, immania cuius
Armenta, & turpes paſcit ſub gurgite Phocas. Diodorus lib.2. ſcribit, Quũ AEgyptus rege careret, ex dignioribus quidam in regẽ aſſumptus eſt, quẽ AEgyptii Cetea, Græci Proteum appellant, qui Iliaci belli tempore extitit. Hunc artiũ peritum fuiſſe tradunt, & in varias ſe formas vertere ſolitum, vt nunc animal, quandoque arbor, aut ignis, aut quid aliud videretur. Conſuetudo autẽ regibus AEgyptiis, cauſam huiuſmodi trãſmutationes fingẽdi præbuit. Nam AEgyptiis mos erat regibus, aut leonis, aut tauri, aut draconis, priorem partẽ in capite ferre inſignia principatus, quandoque verò arborẽ, aliquando ignem, quãdoque redolẽtia ſupra caput vnguẽta. Hæc tum ad decorẽ ſpectãt, atque ornatum: tum ſtuporẽ, ac ſuperſtitionẽ quandã aſpicientibus iniiciebant, &c. Diodorus. Proteum aliquãdo in Carpatho inſula regnaſſe, Pallene vrbe Theſſaliæ relicta, ad quã tamẽ reuerſus eſt poſtea, Seruius author eſt enarrãs carmẽ illud Virgilii, Eſt in Carpathio Neptuni gurgite vates
Cæruleus Proteus, &c.

Prothenor, Homero teſte Iliad.2, vnus ex quinque Bœotiorũ principibus qui ad Troiam cum Græcis profecti ſunt.

Prothous, Vnus è Græcorũ ducibus, qui ex Magneſia ad Troiam venit, teſte Homero lib.Iliad.2.

Protogenes, Pictor nobiliſſimus, cui patria fuit Caunus, gens Rhodiis ſubiecta. Palmã habet tabularũ eius Ialyſus, qui eſt Ro-

mæ dicatus in tẽplo Pacis: quẽ cum pingeret,traditur madidis lupinis vixiſſe, quoniam ſimul famem ſuſtinerent & ſitim, ne ſenſus nimia dulcedine obſtrueret.Huic picturæ quater colorẽ induxit ſubſidio iniuriæ & vetuſtatis, vt decedente ſuperiore, inferior ſuccederet.Eſt in ea canis mire factus: vt quem pariter caſus & ars pinxerit.Nõ iudicabat ſe exprimere in eo ſpumam anhelantis poſſe, quum in reliqua omni parte (quod difficillimum erat) ſibi ipſe ſatiſfeciſſet. Diſplicebat autem ars ipſa,nec minui poterat,& videbatur nimia, ac longius à veritate diſcedere, ſpumáque illa pingi,non ex ore naſci, anxio animi cruciatu:cum in pictura verum eſſe,non veriſimile vellet, abſterſerat ſæpius,mutauerátque penicillum, nullo modo ſibi approbans. Poſtremo iratus arti quòd intelligeretur,ſpongiam eam impegit inuiſo loco tabulæ, & illa repoſuit ablatos colores, qualiter cura optauerat, fecítque in pictura fortuna naturam. Hæc Plinius,& alia multa de Protogene cap.10.lib.35.

Protogenia,Deucalionis & Pyrrhæ filia.Author Ariſtarchus in decimum Odyſſeæ.

Pruſa,authore Strabone lib.12,vrbs eſt in Myſia ad Olympũ ſita.Ea à Pruſia cõdita eſt,qui cum Crœſo bellum geſſit. Hinc ortus eſt Dion ſophiſta & philoſophus,qui tẽpore Traiani claruit,eodémque propter familiaritatem curru dignatus.

Pruſias, de quo multa Liuius, Bithyniæ rex,qui Annibalem huc concedentem ſuſcepit,poſt Antiochum ſuperatũ, & Phrygiæ Helleſpontiæ ſeditionem,aduerſum Attalicos ex compoſito factam.

Prymneſia,vrbs Mæoniæ,in finibus Lydiæ, Ptolemæo lib.5. cap.2.

Prymno, Nympha,filia Oceani & Tethyos,teſte Heſiodo in Theogonia.

Prytaneũ,locus erat Athenis in arce digniſſimus,vbi iudices & magiſtratus habere conſiliũ ſolebant. Cic. lib.1.de Oratore, Et vt ei victus quotidianus in Prytaneo publice præberetur.

P S

Pſammenitus,Herodoto lib.3,Amaſis filius,& AEgyptiorum rex,qui à Cãbyſe conuictus,epoto ſanguine taurino expirauit.

Pſammetichus, rex AEgypti, cuius tempore,teſte Herodoto lib.2,ducenta & octo millia AEgyptiorũ ad AEthiopes trãſiere. Cum enim triennium in præſidio fuiſſent AEgyptii,neque illinc ab aliquo dimitterentur, communi vſi conſilio, à Pſammeticho ad AEthiopiam ſibi tranſeundum putauerũt. Strabo

quoque lib.16, Regio quæ interior est, Tenesis dicitur, eam AEgyptii habent à Psammeticho profugi: & Sebritæ, id est aduenæ, appellantur.

Psophis, Plinio lib.4.cap.6:& Ptolemæo li.3.cap.16, Psopthis, oppidū dictū à Psophide, Erycis Sicani filia. Ouidius 5.Metam. Vsque sub Orchomenon, Psophidáque, Cyllenénque. Perhibētur & aliæ Psophides: nam & insula Venetorum Zacyntho, arx ipsa vocabatur Psophis, & aliæ multis locis. Author Hermolaus in Plinium.

Psylli, populi sunt Libyæ in Africa, à Psyllo rege dicti, quibus (vt scribit Plinius cap.2.lib. 7.) virus exitiale serpētibus ingenitum fuit, vt cuius odore eas sopirent. Mos verò illis fuit, liberos genitos protinus obiiciendi sæuissimis earum: eóque genere pudicitiam coniugum experiēdi, non profugiētibus adulterino sanguine natos serpentibus. Hactenus Plinius. Meminit & Herodotus lib.4. Silius item de Atyro Psyllo lib.1,

Necnon serpentes diro exarmare veneno
Doctus Atyr, tactúque graues sopire chelydros,
Ac dubiam admota sobolem explorare ceraste.

In eandem sententiam de Psyllis Lucanus lib.9.scripsit. Gellius etiā lib.16. ca.11. Crinitus cap.3.lib.1.& Solinus. Plutarchus scribit Catonē per deserta Libyæ iter facientē secum Psyllos duxisse, qui morsibus serpentum mederentur, ore trahentes venenum, & ipsos serpentes cantibus mitigantes. In Catone.

Psyllium, Ptolemæo li.5.cap.1, vrbs Bithyniæ: vulgo Picello.

Psyra, Straboni lib.14, insula in Chio, iuxta Melænam promontorium. Est & in eadem insula vrbs eiusdem nominis.

P T

Pteria, Herodoto lib.1, vrbs Cappadociæ omnium munitissima, quam Cyrus expugnauit.

Pterophoros, Plinio lib.4.cap.12, regio iuxta Riphæos mōtes. Sic dicta ab assiduo niuis casu pinnarum similitudine.

Ptolemæus, Lagi filius, primus ex Alexandri ducibus AEgyptum, Cyprum, & Phœniciam obtinuit. Vxorem habuit Eurydicem, Antipatri filiam : deinde Berenicem Philippi notham, ex qua maxime dilecta, Philadelphum, Arsinoen, & Lysandram genuit. Decessit in rerum gestarum gloria cum paulò ante regni sese abdicans administratione, regem filium constituisset Philadelphum. Author Trogus lib.15. Ab hoc reliqui reges AEgypti, Ptolemæi dicti, vt Romanorum Augusti, Persarum Arsacidæ, Atheniēsium Cecropidæ. Ptolemæorum seriem descri-

bit Strabo lib.17. Ptolemæus, astrologus, natione AEgyptius, Alexandriæ professus est: liberalium artium ac Græcarum literarum studiis clarus, temporibus Antonini, vt ipse scribit. In astrologiæ scientia priorum nulli cessit. Primus enim apud Græcos cæli rationem omnem diligẽtius explicuit: inuentáque ab Hipparcho instrumenta clarius demonstrauit. De musica & rebus aliis, tum de geographia absolutissime scribit. Suidas.

Ptolemæos quoque sex alios commemorat Suidas, quinque grammaticos & vnum versificatorem : quorum opera ad nos minime peruenerũt. Iosephus item alium ponit, Abobi filium, Simonis ducis Iudæorum generum, quem socer Iericho tempore belli Machabæorum præfecerat. At ille incensus regni cupiditate, inuitatum ad cœnam, incautũ interfecit. De quo multa in Ierosolymitana historia Iosephus.

Ptolemais, oppidum in margine Rubri maris, ad primos elephantorum venatus, à Ptolemæo Philadelpho conditum est in regione Troglodytarũ. Author Plinius cap.73. lib.2. Ptolemæus enim Troglodyticen primus excussit, ad venatus elephantorũ, quæ ideo Epitheras à Græcis cognominata est : eodem Plinio authore cap.29. lib.6. Est & Ptolemais, vrbs AEgypti Straboni lib.17. Est item Phœniciæ vrbs, colonia Claudii Cæsaris, quæ quondam Ace dicta est, vt scribit Plinius cap.19. lib.5.

P V

Publius & Laberius poetæ mimorum, Iulii Cæsaris familiares ambo, sed Publius acceptior. Nam Laberii maledicentia, simul & arrogantia, Cæsar magnopere offendebatur. Is Publius, genere Syrus fuit, conditione seruus: puer enim & forma & ingenio à Domitio manumitti & erudiri meruit. Romam venit ad ludos Cæsaris, vbi mimos suos egit, magno ipsius populi applausu. Authores Gellius & Macrobius. Publius item, prænomen eius qui populo gratus fuit.

Pucinum, Ptolemæo lib.3. cap.1, Oppidum est Histriæ in mediterraneis.

Punicus, Nomen quo Carthaginenses vocantur. Virgilius, Punica regna vides. Vnde Bella Punica dicuntur, quæ Romani gessere cum Carthaginensibus.

Puppius, poeta Tragœdiographus (inquit Acron apud Horatiũ) ita affectus spectantium mouit, vt eos flere compelleret. Inde huius poemata, lachrymosa vocauit Horatius epist. lib.1, Vt propius spectes lachrymosa poemata Puppi.

Puteoli, Plinio lib.3. cap.4, ciuitas Campaniæ: ab aquæ calidæ

putore dicta, vt inquit Festus: licet alii putent à multitudine puteorum earundem aquarum gratia factorum. Hæc etiam vocata est Dicæarchia, à iustitia administrationis & gubernationis, à Samiis condita, vt voluit Eusebius, eo tempore quo Tarquinii à Bruto sunt expulsi. Hinc fit Puteolanus, adiectiuum. Cicero Thermo, Cluuius Puteolanus valde me obseruat.

P Y

Pygmæi, populi sunt ad extremos fines Indiæ. De quibus Plinius cap.2.lib.7.sic scribit, Super Astomos extrema in parte mōtium spithamæi Pygmæi narrantur, ternas spithamas longitudine, hoc est ternos dodrantes non excedentes, salubri cælo, sempérque vernante, montibus ab Aquilone oppositis: quos à gruibus infestari Homerus quoque prodidit. Fama est, insidentes arietum caprarúmque dorsis, armatos sagittis, veris tempore, vniuerso agmine ad mare descendere, & oua pullósque earum alitum consumere: ternis eam expeditionem mensibus cōfici, aliter futuris gregibus nō resisti. Casas eorum luto pennísque, & ouorum putaminibus construi. Aristoteles in cauernis viuere Pygmæos tradit. Cætera de his vt reliqui. Hactenus Plinius. In Thracia quoque Pygmæorum gentem fuisse, idem Plinius scribit cap.11.lib.4. quod secutus videtur Iuuenalis,

Ad subitas Thracum volucres, nubémque sonoram
Pygmæus paruis currit bellator in armis.
Mox impar hosti, raptúsque per aera curuis
Vnguibus à sæua fertur grue. si videas hoc
Gentibus in nostris, risu quatiere: sed illic
Quanquam eadem assiduè spectentur prælia, ridet
Nemo, vbi tota cohors pede non est altior vno.

Pylades, Strophii filius, Agamemnonis amicissimi: nec ipse eius filii Orestis minor amicus, quem nunquam deseruit. Ouidius lib.2.de Ponto, Affuit insano iuuenis Phocæus Oresti. Et in eodem libro, Non ita vixerunt Strophio atque Agamemnone nati. De Pyladis & Orestis amicitia, scripsit Cicero lib. 2.de finibus.

Pylæmenes, dux Paphlagonum, ex his qui venerunt in auxilium Troianorum, atque in bello à Menelao interfectus. Scribitur & Pylæmeneus. De hoc Homerus.

Pylartes, vir Troianus ab Aiace in bello interfectus, vt scribit Homerus lib.Iliad.11.

Pylene, ciuitas est AEtoliæ, teste Homero lib.2.Iliados.

Pylos, Achaiæ iuxta Thessaliam vetusta ciuitas in agro Mes-

fenio, quem Coryphasium Græci nominauerunt: à Sparta, stadia circiter quadraginta sita, vt Thucydides libro quarto scribit: Nestore alumno, qui Pylius inde cognominatus est, celebris. Ouidius, Illius à tactu Pylius iuuenescere posset. Idem libro 1. de Ponto, Crede mihi, Pylio Nestore maior ero. De Pylo multa Strabo lib.8.

Pyræchmes, nomen proprium viri, cuius sæpe meminit Homerus.

Pyracmon nobis inter Cyclopes est dictus, dicente Virgilio lib.8, Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro,
Brontésque, Steropésque, & nudus membra Pyracmon.

Pyramides. Hæ in AEgypto nihil aliud fuerunt, quàm regũ pecuniæ otiosa & stulta ostentatio, vt Plinius ait lib.26. cap.12. Quippe cum faciendi eas causa à plerisque traditur, ne pecuniam successoribus aut æmulis insidiantibus præberent. Plures in AEgypto passim extiterunt, nullæ tamen clariores tribus illis, quarum Pomponius Mela meminit, quæ orbem impleuere fama, conspicuæ vndique adnauigantibus, sitæ in parte Africæ, monte saxeo sterilíque inter Memphim oppidũ & Delta. Turres autẽ sunt (inquit Solinus) fastigiatæ vltra excelsitatem omnem quæ manu fieri possit. Sub pyramidibus fuerũt AEgyptii reges sepulti. Lucanus lib.9, Non mihi pyramidum tumulis euulsus Amasis.

Pyramus, fuit adolescens Memphiticus, qui apud Pyramides amore Thysbes amatæ seipsum interemit, vt pulcherrimè narrauit Ouidius lib. Metam.4. Est & Pyramus, Ciliciæ fluuius, teste Pomponio Mela lib.1. De quo & Cydno digna sunt lectu in Arriano & Curtio.

Pyrander, quæstor Atheniensis, à populo saxis obrutus, quòd tempore belli triticum parcè suppeditaret. Author Calisthenes apud Plutarchum.

Pyrasus, vir Troianus, ab Aiace bello interfectus, vt scribit Homerus lib.11. Iliad.

Pyrene, Acrocorinthi fons haud affluentes aquas habens, cæterum perspicuas ad imum, potúque suauissimas Straboni. De eo scribit Persius, Heliconidésque pallidamque Pyrenen, &c.

Pyrene & Pyreneus dicitur, & numero multitudinis Pyrenei montes, qui Gallias Hispaniásque disterminant, promontoriis in duo diuersa maria proiectis. Plinius lib.3. cap.3. Silius lib.3,
Pyrene celsa nimbosi verticis arce
Diuisos Celtis altè prospectat Iberos,

Atque æterna tenet magnis diuortia terris. Strabo lib.3, Pyrenes(inquit)latus in Hispaniam vergens consitum est variis arboribus, materiæ multitudine, & quæ semper virens germinet: alterum autem Galliam spectans, nudum omnino. Nomen accepit à fulminum ictu. Silius à Pyrene Bebrycis filia dici fabulose tradit lib.3. Diodorus lib.6, vbi de Pyrene, Ferunt(inquit) priscis temporibus igne à pastoribus iniecto, montanas omnes regiones fuisse combustas, qua ex re montes aiunt cognominatos Pyrenæos. Est & Pyrenæus, siue vt melius quidam, Pyrenus, rex Thraciæ, qui Daulida Phocidis vrbem occupauit: vbi cum quodam die pluuioso Musas ad Parnasum euntes vidisset, vt domum suā subirent, donec pluuia cessaret, inuitauit. Cum verò iam imber cessaret, Musæque discedere vellent, Pyrenus clausis foribus, illis vim inferre parabat. At Musæ in aues conuersæ euolauerunt: quas cum persequi vellet, ex arce se dans præcipitem, caput terræ illisit, sicque expirauit. Author Ouidius lib. Metamorph.5.

Pyrgi, Pyrgorum, oppidum est Hetruriæ, authore Plinio cap.5. lib.3.

Pyrgoteles, gemmarum sculptor artificiosissimus, à quo tantum Alexander Magnus se in gemmis sculpi passus est, edictóque alios vetuit. Plinius cap.1. lib.37, Ismeniæ(inquit)ætate multos post annos, apparet sculpi etiam smaragdos solitos. Confirmat hanc eandem opinionem edictum Alexandri Magni, quo vetuit in gemma se ab alio sculpi, quàm à Pyrgotele, nō dubiè clarissimo artis eius. Hactenus Plinius. Rursum cap.37. lib.7, Idem hic imperator edixit, nequis ipsum alius quàm Apelles pingeret, quàm Pyrgoteles sculperet, quàm Lysippus ex ære duceret: quæ artes pluribus inclaruere exemplis.

Pyro, fuit nympha quædam Oceani & Tethyos filia, teste Hesiodo in Theogonia.

Pyrodes, Plinio lib.7. cap.56, Cilicis filius, primus è silice ignē excussisse, quemadmodum & Prometheus in ferula asseruasse dicitur.

Pyrois, vnus equorum Solis, quasi totus ardens. De quibus Ouidius lib. Metamorph.2,

Interea volucres Pyrois, Eous, & AEthon
Solis equi, quartúsque Phlegon hinnitibus auras
Flammiferis implent, pedibúsque repagula pulsant.

Pyrrha, quæ cum Deucalione marito poetis dicitur humanū genus reparasse. Iuuenalis,

Ex quo Deucalion nimbis tollentibus æquor
Nauigio ascendit montem, fortésque poposcit,
Paulatímque anima calluerunt mollia saxa,
Et maribus nudas ostendit Pyrrha puellas. Est & Pyrrha, Cariæ ciuitas, iuxta Myrtoum pelagus: & insula circa Mæotin, quam pontus abstulit. Author Plinius cap. 92. lib. 2.

Pyræeus. Vide PYRAEVS.

Pyrrho, philosophus fuit, qui in sapiente ἀπάθειαν non admittebat, vt scribit Cicero Academicarum quæstionum lib. 4.

Pyrrhodes, Elidensis philosophus, Philistarchi filius. Hunc Apollodorus prius fuisse pictorem dixit.

Pyrrhus, rex Epirotarum, materno genere ab Achille, paterno ab Hercule oriundus, Trogo authore libro 17. Cum propter odium patris AEacidæ, qui ab Epirotis fuerat interfectus, ad necem & ipse posceretur, furtim subtractus, ad Illyricos defertur, traditúsque Heroæ Glauci regis vxori nutriendus fuit. Cúmque natus annos vndecim esset, reuocatus à suis, tanta virtute creuit, vt cum (sicut Cæcilius scribit) imperiũ orbis agitaret, & Romanos potentes videret, Apollinem de bello consuluerit: Ille ambiguò respondit, Aio te AEacida Romanos vincere posse. Hoc ad se dictum putans, auxilio Tarentinis contra Romanos venit. Pyrrhi res gestas in Italia, conscripsit Zeno historicus ille, qui etiam Epitomen Romanarum & Carthaginensium rerum cõposuit, teste Diogene. Vide & Plutarchum in Pyrrho. Pyrrhus (inquit Seruius) à capillorum qualitate vocitatus est, antè Neoptolemus dictus, Achillis & Deidamiæ filius, Pelei & Thetidis nepos ex patre: ex matre verò Lycomedis regis Syriæ insulæ. Hactenus Seruius.

Pythagoras, Samius philosophus, patre Demaratho locuplete ac negotiatore, in AEgyptum primò, mox Babyloniã, discendi cursus syderum gratia profectus est. Inde regressus, in Cretam ac Lacedæmonem peruenit, vt Lycurgi & Minois inclytas ea tẽpestate leges agnosceret. Denique in Italiam transmittens Crotone consedit, vbi populos assuetos luxuriæ, authoritate ac doctrina, ad frugalem cultum reuocauit. Matronas ad pudicitiam, iuuenes ad modestiam cohortari cœpit. Eius passim sanctitate ac vitæ abstinentia inductæ mulieres, auratas vestes, ornamentáq; lasciuiora, in templo Iunoni consecrauere. Pythagoras itaque cum multos annos Crotone egisset, Metapõtum migrauit, ibíque decessit. Cuius tanta fuit admiratio, vt eius ex domo templum facerent, eúmque pro deo colerent. Hæc ex Trogi lib. 20.

Docuit in Italia regnante Seruio Tullo,vt Liuius & Dionysius sunt authores.

Pythermus,vir Phocensis,qui cum Ionum,AEolúmque legati Spartam appulissent, ex omnibus delegatus est, qui postulata proponeret.Hic purpurea veste indutus,in Spartiatarum conuẽtum processit, hortatúsque est Lacedæmonios multis verbis ad auxilium Ionibus ferendum. Author Herodotus lib.2.

Pythodorus,viri sculptoris eximii proprium nomẽ apud Plinium,lib.36.cap.5.

Python, orator Byzantius eloquentissimus, apud Philippum Macedoniæ regem,cuius meminerunt AEschines & Demosthenes in orationibus. Fuit & Python,serpens à Iunone immissus, vt Latonam persequeretur, ab Apolline occisus, à quo ipse Pythius dictus est.Seruius. Et Pythia,pythiorum,ludi in Apollinis laudem instituti.Ouid.lib.1.Metamorph.

Instituit sacros celebri certamine ludos
Pythia,perdomitæ serpentis nomine dictos.

Pythonos come,teste Solino, & Plinio lib. 10.cap.23, locus in Asia in campis patentibus, vbi primo aduentus sui tempore,ciconiæ aduolant, & eam, quæ vltima aduenit, laniant vniuersæ.

Pythopolis, teste Solino, ciuitas est in Asia, in eius parte quæ Mysia vocatur,& altera Cariæ.

Q V A

QVADRATVS, apostolorum discipulus,præsul Atheniensis,vnà cum Philippi filiabus, prophetico spiritu clarus perhibetur. Christianos magnis ea tempestate terroribus dispersos, sua prudentia redintegrauit. Adriano principi Athenas venienti, librum pro nostra religione compositum dicauit, valde quidem probatũ: in quo suæ fidei rationẽ assignat, vidisséque plurimos in Iudæa,qui variis pressi calamitatibus, liberati sunt: sed & mortuos quoque reuixisse. Ex Hieronymo & Eusebio.

Quari,Galliæ Narbonensis populi,inter Salyos & Vocontios, vt author est Strabo lib.4.

Q V I

Quinquatria,Quinquatriorũ,dies festus Mineruæ, quòd post diem quintum Iduum celebraretur sic dictus.Iuuenalis,

Eloquium ac famam Demosthenis,aut Ciceronis
Incipit optare,& totis Quinquatribus optat,
Quisquis adhuc vno partam colit esse Mineruam.

Ouidius 3. Fastorum, innuit ita appellata, quoniam quinque diebus post

Idus celebrabantur. Nam dies post Idus sacer erat. Primo die fiebant sacrificia:tribus sequentibus, gladiatores in theatro certabant:quinto die erat lustratio.Vnde ait,

Vna dies media est,& fiunt sacra Mineruæ:
  Nomináque à iunctis quinque diebus habent.
Sanguine prima vacat:nec fas concurrere ferro:
  Causa,quòd est illo nata Minerua die.
Altera,trésque super strata celebrantur arena,
  Ensibus exertis bellica læta dea est.

Quintilianus, rhetor,ortus in Hispania, in ciuitate Calaguritana,vt Eusebio placet.Ipse Quintilianus Hispanos prouinciales suos vocat. Eum dicunt Romam cum Galba venisse, breuíque tempore postea in familiaritatem Domitiani principis veniente eius nepotes erudiisse.Ludum Romæ aperuit,primúsq; è fisco salarium tulit. Scripsit declamationes, quas quidam Quintiliani alterius declamatoris dicunt esse, cuius Seneca in Sexto Declamationum libro meminit. Laurentius Valla, cum in præceptis Ciceroni præferebat, stylóque eius & doctrinæ magnopere adhærebat.Meminit huius & Martialis,& Plinius in epistolis.

Quintiorũ familia,Romæ multiplex: ex ea enim Cincinnati, Flaminii, Crispini,Marcii, diuersis temporibus claruere, vt notat Volaterranus.

Quirinus (inquit Seruius) Romulus dictus est, vel quòd hasta vtebatur, quæ Sabinorum lingua curis dicitur: hasta enim, id est curis, telum longum est: vnde & securis, quasi semicuris, vel quod Græcè κοίρανος rex dicitur.Cõstat autem Græcos fuisse Romanos,vel propter generis nobilitatem.Mars enim quum sæuit,Gradiuus dicitur:cum tranquillus, Quirinus. Denique in vrbe duo eius templa sunt:vnum Quirini intra vrbem,quasi custodis & tranquilli.Aliud in Appia via, extra vrbem, prope portam, quasi bellatoris, vel Gradiui. Hæc Seruius enarrans illud Virgilii 1.AEneidos,

Cana fides, & Vesta,Remo cum fratre Quirinus
Iura dabunt,&c. Ouidius item lib.2.Fastorum,
Proxima lux vacua est:at tertia dicta Quirino:
  Qui tenet hoc nomen,Romulus antè fuit.
Siue quòd hasta quiris priscis est dicta Sabinis,
  Bellicus à telo venit in astra deus.
Siue suo regi nomen posuere Quirites:
  Seu quia Romanis iunxerat ille Cures.

Quirinalis, collis à Quirino dictus, quòd in eo Quirini tem-

plum erat:siue quod (vt alii putant)in eum commigrauere Sabini,à Curibus venientes. Hinc Quirinalis porta Romæ,dicta, quòd ea in collem Quirinalem itur : vel quòd proxime eam esset Quirini sacellum. Præterea Quirinalia vocabant diē, quo sacra Quirino fiebant.Perottus.

Quirites,Romani dicuntur à Quirino,id est Romulo, vrbis Romæ conditore:vel à Curibus,Sabinorum vrbe.Author Seruius enarrans illud Virgilii 8.AEneid.

-postquam in partem data Roma Sabinis,
Vnà ingens Amiterna cohors,priscíque Quirites.

R A

RABIRIVS,eques Romanus,perduellionis, id est læsæ maiestatis,accusatus à T.Labieno tribunoplebis,quòd Saturnium virum sceleratum & hostem patriæ in tumultu occiderit,defensus à Cicerone. cuius extat oratio,quæ inscribitur pro A.Rabirio,perduellionis reo.

Racilius, Tribunusplebis, qui de Clodianis facinoribus est questus in Senatu, vt scribit Cicero in Epist. ad Quintū fratrē.

Radagasus, Gothorum rex, qui floruit Arcadii & Honorii Cæsarum temporibus, dicitur habuisse in exercitu sub signis, supra ducenta bellatorum millia.Author Paulus Diaconus.

Ratiastum,authore Ptolemæo lib.2.cap.7,Lemouicum vrbs, vulgò Limoges.

Rauenna , vrbs in octaua regione Italiæ Sabinorum , in ora litoris Adriatici, olim tota ligneis cōpacta ædificiis, aquis diffusa,pontibúsque ac lēbis peragrata. à Thessalis condita perhibetur,vt scribit Strabo lib.5.De hac Silius lib.8,

Lenta paludosæ proscindunt stagna Rauennæ.

Rauraci,Galliæ Belgicæ populi, vt scribit Cæsar in commēt. & Plinius cap.17.lib.4.

R E

Reate,oppidum Sabinorum, Italiæ vmbilîcus.vnde Reatini populi.Plinius lib.3.cap.12.

Regiū Lepidi, Galliæ Cisalpinæ oppidum,à quo Regiēses.author Plinius cap.15.lib.3.Est & Rhegium aliud promōtoriū Siciliæ.Vide suo loco.

Regulus Attilius,de quo Gellius cap.4.lib.6.sic scribit,Eundem Regulum Tubero in historiis rediisse Carthaginem, nouísque exemplorum modis excruciatum à Pœnis dicit, In atras (inquit) & profundas tenebras eum claudebāt, ac diu pòst, vbi erat visus sol ardentissimus, repente educebant,& aduersus

ictus solis oppositum continebant, atque intendere in cælum oculos cogebant. Palpebras quoque eius, ne conniuere posset, sursum ac deorsum diductas insuebant. Tuditanus autẽ, somno diu prohibitum, atque ita vita priuatũ refert. Idque vbi Romæ cognitum est, nobilissimos Pœnorum captiuos, liberis Reguli à senatu deditos, & ab iis in armario muricibus præfixo destitutos, eadémque insomnia cruciatos interisse. Hactenus Tubero apud Gellium.

Remus, filius Martis & Iliæ, à fratre Romulo interemptus, vt scribit Liuius. Post cuius mortem, natam constat pestilentiam, vnde consulta oracula dixerũt, placandos esse manes fratris extincti; ob quam rem sella curulis cum sceptro & corona, & cæteris regni insignibus semper iuxta sanciente aliquid Romulũ ponebatur, vt pariter imperare videretur: vnde est illud Virgilii,

-Remo cum fratre Quirinus
Iura dabunt. Hæc Seruius.

R H

Rha, authore Ptolemæo lib. 5. cap. 9, Sarmatiæ fluuius, in Europa: alio nomine Volga, Volha, à Tartaris Edel nuncupatus.

Rhadamãthus (inquit Seruius) Minos & AEacus, filii Iouis & Europæ fuerunt, qui postea facti sunt apud inferos iudices. Hæc Seruius enarrans illud Virgilii AEneid. 8,

Gnosius hæc, Rhadamanthus habet, durissima regna:
Castigátque, audítque dolos, subigítque fateri
Quæ quis apud superos, furto lætatus inani
Distulit in seram commissa piacula mortem.

Rhamnus, Atticæ regionis vicus illustris, quòd in ea fanum est Amphiarai vatis, & Phidiaca Nemesis. Verba sunt Pomponii Melæ lib. 2. Inde Nemesis, Rhamnusia dicta. Ouidius,

Exiget ad dignas vltrix Rhamnusia pœnas. De Rhamnute legito Pausaniam in Atticis.

Rhamnusia, Vide NEMESIS.

Rhamnetes, nomen viri proprium. De quo Virgilius lib. 9,

Euryalus, phaleras Rhamnetis, & aurea bullis Cingula &c.

Rhãsinitus, fuit rex AEgypti post Protea, teste Herodoto lib. 2.

Rhaphia, Ptolemæo lib. 5. cap. 16. vrbs Iudææ Palæstinæ prope Iordanem fluuium, à Iudæis Rama appellatur.

Rhea, Cæli & Terræ filia, quo nomine Cybele vocata est. Est & Rhea Syluia Liuio, filia Numitoris, Remi & Romuli mater.

Rhebanus, fluuius in faucibus Bosphori Thracii, vt scribit Orpheus in Argonaut.

Rhebas,fluuius est ad fauces Bosphori,dicēte Plinio cap.1.lib. 6,Ergo à faucibus Bosphori est amnis Rhebas, quē aliqui Rhœsum dixerunt.

Rhedones,Galliæ populi,in ducatu Britanniæ,de quibus Cæsar in Commentariis.

Rhegium, oppidum situm in margine Italiæ, cui Græci nomē dedere à fractura.Hîc enim Sicilia auulsa abruptáque est ab Italia,authore Plinio li.3.cap.8.Trogus lib.4, Proximum Italiæ promontorium Rhegiū dicitur, ideo quia Græce abrupta hoc nomine pronuntiantur.

Rhemi,Galliæ Belgicæ populi, vt scribit Cæsar in Commentariis,& Plinius cap.17.lib.4.

Rhene,insula vna ex Cycladibus in AEgæo, deserta olim, in quam defunctos suos Delii inferebant: cum in Delo,vt Thucydides lib.4.scribit,nec parere,nec sepelire fas esset, sicut nec canem alere.Ex Hermolao.

Rhenus,Germaniæ fluuius celeberrimus,ab Alpibus defluēs, Galliam à Germania separans, quem Cæsar in Commentariis dicit multis capitibus in Oceanum elabi. Cæterùm de duobus ostiis,receptior sententia est.Claudianus in Alarici victoria,
-te Cymbrica Tethys
Diuisum bifido consumit Rhene meatu. Tacitus Augustæ historiæ lib.2,Rhenus(inquit) vno alueo continuus, haud modicas insulas circunueniens,apud principium agri Bataui,velut in duos amnes diffunditur, seruátque nomen & violentiā cursus, donec Oceano misceatur. Hactenus Tacitus. Est item Rhenus, Italiæ fluuius apud Bononiā,cuius meminit Plinius ca.16.lib.3.

Rhesus, rex Thraciæ fuit (inquit Seruius) qui cū ad Troiæ venisset auxilia, clausísque iam portis tentoria locauisset in litore, Dolone prodente Troiano,qui missus fuerat speculator:à Diomede & Vlysse est interfectus, qui & ipsi speculatum venerant, abductíque sunt equi quibus pendebāt fata Troiana. Hæc Seruius apud Virgilium lib.AEneid.1,

Nec procul hinc Rhesi niueis tentoria velis
Agnoscit lachrymans: primo quæ prodita somno,
Tydides multa vastabat cæde cruentus:
Ardentésque auertit equos in castra, prius quàm
Pabula gustassent Troiæ,Xanthúmque bibissent.

Rhœteū,Troiadis oppidū,vbi fuit Aiacis asylū,inquit Seruius: sicut in Sigeo,Achillis. Inde litora Rhœtea apud Virg.6.AEnei.
Tunc egomet tumulum Rhœteo in littore inanem
Constitui:& magna manes ter voce vocaui.

Rheti,inter Alpinas gẽtes,Plinio cõmemorantur, cap.20.lib.3.

Rhetia,regio Europæ,quæ authore Ptolemæo libro 2.cap. 12, ab occasu terminatur mõte Adula, Danubio & Rheno fluuiis. Post Rhetiam autẽ sequitur Vindelicia,quæ & Rhetia vocatur.

Rhetico Rheticonis,mons est in Rhetiis, vt author est Pomponius Mela lib.3.

Rhetus,Centaurus quidã Ixionis filius,de quo Lucanus lib.6,
Téque sub OEtheo torquentem vertice vulsus
Rhete ferox,quas vix Boreas inuerteret ornos.

Rhexenor,Nausithoi filius,& frater Alcinoi Phæacum regis, teste Homero circa initium lib.7.Odysseæ.

Rhion,AEtoliæ promontorium est.De quo Plinius cap.2.lib. 4.sic scribit,Promontorium(inquit)Antirium,vbi ostium Corinthiaci sinus minus mille passuũ latitudine influentis, AEtolósque dirimentis à Peloponneso.Promontorium quod cõtra procedit,appellatur Rhion. Liuius quoque lib.8.tertiæ Decadis huius Rhii meminit.

Rhitymna Ptolemæo lib.3.cap.17,vrbs Cretæ,hodie Rhetinũ, vulgò Aretina.

Rhodanus,ingens fluuius est in Gallia,apud Lugdunum,vbi ArarRhodano commiscetur.De quo multa Strabo lib.4.Silius lib.3.Lucanus primo.

Rhodia , nympha Oceani & Tethyos filia , teste Hesiodo in Theogonia.

Rhodogune,filia Darii,quæ post mortem viri,nutricem quæ illi secundas nuptias suadebat,occidit.

Rhodope(inquit Seruius)& Ismarus, mõtes sunt Thraciæ in quibus Orpheus solitus est canere.Virgilius Ecloga 6,
Nec tantum Rhodope miratur, & Ismarus Orphea.

Rhodopis, meretrix fuit quædam Thraciæ miræ pulchritudinis, quæ vnà cum AEsopo captiua fuit. illam Charaxes Mitylenæus frater Sapphus, maxima pecunia redemit, vt Herodotus scribit lib.2.Cuius rei etiam meminit Sappho in epistola ad Phaonem apud Ouidium,
Arsit inops frater victus meretricis amore:
Mistáque cum turpi damna pudore tulit.
Hanc eandem Plinius lib.36.cap.12.Pyramidem laudatissimam construxisse scribit,nequis opes regum miretur : vt maiore sit miraculo, eam tantas opes meretricio quæstu conquisisse.asserítque vnà cum Herodoto, illam AEsopi philosophi cõseruam & contubernalem fuisse.

Rhodos, insula est & ciuitas in mari Lycio, quam nullo non die sol aspicit, id quod & de Syracusis Cicero tradidit actione in Verrē septima. Eadem & Colosso maximo quondā clara. Gymnasium habuit Asiatica eloquentia & mathematicis studiis clarissimum. Ideo Aristippus philosophus Socraticus clarissimus, cum naufragio eiectus in Rhodiensiū litus animaduertisset Geometrica schemata descripta, exclamasse ad comites ita dicitur, Bene speremus: hominum vestigia video. Author Vitruuius lib. 7. Dicebatur antea Ophiusa, Asteria, AEthræa, Trinacria, Corymbia, Pœessa, Atabyria ab rege. Plin. lib. 5. cap. 31.

Rhœbus, sacrilegus quidam, cuius meminit Virgilius lib. 10. AEneid. Rhœbe diu (res siqua diu mortalibus vlla est) Viximus, &c.

Rhœtus, Marrubiorum rex in Italia, qui Anchemolo filio Casperiam superduxit nouercam. hanc priuignus stuprauit. quo cognito cum eum pater persequeretur, & ad pœnam vocaret, fugiens ille, se ad Turnum contulit. Hæc Seruius in illud Virgilii quinto AEneid. Hinc Helenum petit, & Rhœti de gente vetusta Anchemolum, thalamos ausum incæstare nouercæ. Rhœtus item, mons Troianus in quo Aiax Telamonius postquam seipsum interfecit, sepultus fuit. vnde & Rhœteus & Rhœteius. Virgilius 5. AEneidos,

Tunc egomet tumulum Rhœteo in littore inanem
Constitui, & magna manes ter voce vocaui.

Rhopolani, populi sunt Scythici vltra Danubium, quos quidā Rhutenos esse putant.

Rhymnus, fluuius à quibus Rhymnici populi & montes. Author Hermolaus in Plinium.

Rhyndacus, fluuius, teste Strabone lib. 12, ex Aranitide ortum habens, qui assumptis ex Abrettana Mysia cum aliis, tum etiam Mecesto, ab anchora Abasitica in Propontidem iuxta Besbicū insulam emittit. Metrodorus verò, vt ait Plinius lib. 8. cap. 14, scribit circa Rhyndacum amnem in Ponto serpentes in tantam magnitudinem adolescere, vt superuolantes quanuis altè pernicitérque, alites haustu captas absorbeant.

Rhynitalcus, vir fuit Thracius, cuius exemplo, teste Plutarcho in vita Romuli, Cæsar sæpe dicere consueuerat, amare quidem se proditionem, sed proditores magnopere abhorrere.

Rhynton, Tarentinus nugator vilissimus, à quo Rhyntonicæ fabulæ dictæ sunt.

Rhytius, Cretæ ciuitas, teste Homero lib. 2. Iliados.

R I

Ricina, vna ex insulis quæ Hyberniæ adiacent, authore Ptolemæo lib.2.cap.2. Plinio Ricnea dicitur.

Rigiacum, authore Ptolemæo lib.3. cap.9, Atrebatũ ciuitas: vulgò Arras.

Ripa alta, Britanniæ locus Ptolemæo authore lib.2.cap.3. vulgò Roxemburg.

Riphæi, montes Scythiæ, sic dicti à perpetuo ventorum flatu, vt grammaticis placet. Inde Eurus & Riphæus dictus Virgilio 3. Georg. Gens effræna virûm Riphæo tunditur Euro.

Ripheus, vnus ex Centauris Ixionis & Nubis filius. Fuit & vir Troianus, de quo meminit Virgilius AEneid.2,
-cadit & Ripheus, iustissimus vnus
Qui fuit in Teucris, & seruantissimus æqui.

Risinũ, Liburniæ vrbs Ptolemæo lib.2.cap.17. hodie Rhisiniũ.

Riusiana, Ptolemæo lib.2.ca.11, Germaniæ vrbs: vulgo Gengẽ.

Rizonicus, sinus Liburniæ Ptolemæo, hodie Catharum.

R O

Roma, orbis aliquando caput dicta, & amplissimi imperii iure in hunc vsque diem fœlix. Cuius situm atque habitum quo tempore cœpta est condi obseruauerunt antiqui, è quorum numero fuit Lucius Tarutius Mathematicus, Chaldaicis literis eruditus, quemadmodum Cicero libro de diuinatione secundo scriptum reliquit.

Romandues, Ptolemæo lib.2.cap.9, populi sub Rhotomago, quos Normannos esse Volaterranus scribit. Hodie Veromandi, Vermandois.

Romulus, Martis & Iliæ filius, frater Remi, primus rex Romanorum. Cuius & Remi fratris historiam sic scribit Seruius, Amulius (inquit) & Numitor fratres fuerunt. Amulius fratrem imperio pepulit, & filiũ eius necauit: filiam verò eius Iliam, Vestæ sacerdotem fecit, vt spem sobolis auferret, à qua se puniri posse cognouerat. Hanc, vt multi dicunt, Mars compressit, vnde sunt nati Remus & Romus: quos cum matre Amulius præcipitari iussit in Tyberim: tũ, vt quidã dicunt, Iliam sibi Anien fluuius fecit vxorem: vt alii, inter quos Horat. Tyberis. vnde ait,
Iliæ dum se nimium querenti
Iactat vltorem, vagus & sinistra
Labitur ripa, Ioue non probante,
Vxorius amnis. Pueri verò expositi sunt ad ripam vicinam: hos Faustulus reperit pastor, cuius vxor erat nuper me-

retrix, Acca Laurentia, quæ susceptos aluit pueros. Hi postea auum suum Numitorem occiso Amulio in regna reuocarunt. quibus dum cum eo angustum Albæ videretur imperium, recesserunt, & captatis auguriis vrbem condiderunt. Sed Remus prior sex vultures vidit, Romus postea duodecim: quæ res postea bellum creauit, in quo extinctus est Remus: & à Romi nomine Romani appellati. Vt autem pro Romo, Romulus diceretur, blandimēti gratia factum est, quod gaudet diminutione. Quòd autem à lupa dicuntur nutriti, fabulosum figmentum est, ad celandam authorum Romani generis turpitudinem. nec incongruè fictum est: nam & meretrices lupas vocamus, vnde & lupanaria. Et constat hoc animal in tutela esse Martis. Hactenus Seruius illud Virgilii lib. AEneid. 1. enarrans,

-donec regina sacerdos
Marte grauis geminam partu dabit Ilia prolem.

Roscea, authore Festo, campus in agro Reatino appellatur, quia in eo arua rore humida semper feruntur.

Roscius Otho, Tribunus plebis legem tulit, vt equitibus Romanis in theatro XIIII gradus proximi assignarentur, qui censum CCCC. HS. haberent. Author Liuius. Roscius Gallus Comœdus Ciceronis præceptor in pronūtiationis & gestus exercitatione, eò præstantiæ venit vt cū de perfecto in arte aliqua loquimur, is in suo genere Roscius à nobis dicatur, teste Cicerone libro primo de Oratore. Hic cum obliquos haberet oculos, turpísque esset aspectu, primus persona in scena vsus est: populus tamen eum sine persona intueri malebat, ob pronuntiandi dulcedinem, vt Cicero in libris de Oratore author est. Scripsit & librum in quo histrionicam eloquentiæ comparauit. Hic à Cicerone defensus est, cum à Fannio quodam ob pecuniariam rationem in iudicium adductus esset. Roscius Amerinus etiam in causa parricidii defensus à Cicerone, patrem habuit hominē locupletem, quē quidam clàm interfecerunt: filius per occasionem discordiæ cuiusdam, quæ inter eos interuenerat, paternæ cædis author accusatur. Prædo ad quendam Syllæ satellitem L. Cornelium Chrysogonum redibat, accusatore Erucio quodam. quam causam egit primam publicam annos natus XXIII, vt est author Corn. Nepos. De qua causa ipse in Bruto sic scribit, Itaq; prima causa publica pro Sext. Roscio dicta tātū cōmendationis habui, vt non vlla esset, quæ nō nostro digna patrocinio videretur: deinceps inde multæ, quas nō minus diligēter elaboratas etiā, quā elucubratas afferebamus. Hactenus Cic.

Rothomagus, Ptolemæo authore lib.2. cap.8, Galliæ ciuitas ad Sequanam. vulgò Rouan.

Roxana, Darii filia, & Alexandri cõcubina, quæ cum prægnãs esset, à sorore Statyra in puteum demersa est, quòd eam præcipuis honoribus Macedones cumularent. Author Plutarchus in Alexandro.

Roxicum, Corsicæ insulæ ciuitas, Ptolemæo lib.3.cap.2. vulgò Rogela.

R V

Rubicon, fluuius Galliam citeriorem à reliqua disterminans Italia. Cuius multa mentio est apud Plutarchum in vita Pompeii & Cæsaris.

Rubricatus, Ptolemæo cap.6.lib.2, Hispaniæ Tarraconẽsis fluuius: vulgò Lobregat.

Rudiæ, Rudiarum, vetus Apuliæ oppidum, Ennii patria, dicente Pomponio Mela lib.2, Post Bariũ (inquit) Egnatia, & Ennio ciue nobiles Rudiæ.

Rufinus, cõsularis a Fabritio Censore damnatus, quòd decem pondo argenti apud eum inuenta essent. Rufinus alter, vnà cũ Stilicone & Gildone, relictus à Theodosio seniore imperii administrator, pro tutela Arcadii & Honorii filiorum: Gildo in Africa, Stilicon in Occidente, Rufinus verò in Oriente. omnes sanè cupiditate regni incensi, in suos principes arma conuerterunt, ex quo diuersis modis oppressi periere. Author Volaterranus.

Rufus Purpurio, legatus Romanorum in concilio AEtolorũ apud Liuium lib.32. Rufus, Centurio sub Scipione Africano, cuius res gestas, & quæ in bello præparãtur, scripsit. Author Appianus. Virginius Rufus orator egregius interfectus à Nerone, de quo Tacitus, Virginium (inquit) Rufum claritudo nominis extulit. Et paulò inferius, Nam Virginius Rufus studia iuuenum eloquentia: Musonius præceptis sapientiæ fouebat.

Rufus, poeta Bononiensis, cuius meminit Martialis,

Funde tuo lachrymas orbata Bononia Rufo,

Et resonet tota plãctus in AEmylia. Rufus, medicus, sub Traiano principe multa conscripsit, quorum nihil ad nos peruenit, sæpe tamen ab aliis testis citatur. Rufus Corinthius, sophista, quanquam diuitiis & generis nobilitate pollebat: plus tamẽ ad eius laudem dicendi gloriá, linguǽque gratia contulit. Author Philostratus.

Rullus, teste Plinio lib.8.cap.51, solidum aprum Romanorum primus in epulis apposuit, qui Ciceronis cõsulatu legem Agrariam promulgauit.

Rumia,dicta eſt dea,quæ rumis, id eſt mammis,hoc eſt pueris lactentibus præſidebat. Huius meminit Auguſtinus lib.4.de ciuitate Dei.Varro,Non negârim inquam ideo apud diuæ Rumiæ ſacellum à paſtoribus ſatam ficum. Ibi enim ſolent ſacrificare lacte pro vino & pro lactentibus.

Rutheni, Galliæ Aquitanicæ populi, Narbonenſi prouinciæ contermini,& Cadurcis vicini.Author Plinius cap.19.lib.4.

Rutilius Geminus libros pontificales fecit, de quo Cicero in Bruto, Rutilius in quodam triſti & ſeuero dicendi genere verſatus eſt,magnum munus de iure reſpondendi ſuſtinebat.Sunt eius orationes ieiunæ,multa præclara de iure,doctus vir,& Græcis literis eruditus, Panætii auditor, propè perfectus in Stoicis. Ex Bruto Ciceronis,vbi plura de hoc & Scauro. P.Rutilius,primus legem pugnandi militibus tradidit. De quo Valerius, Armorum tractandorum meditatio,à P.Rutilio conſule Cn.Mālii collega militibus eſt tradita. Is enim nullius ante ſe imperatoris exemplum ſecutus ex ludo C. Aurelii Scauri doctoribus gladiatorum acceríitis, vitandi atque inferendi ictus ſubtiliorē rationem legibus ingenerauit. Hic actus in exilium à partibus Syllanis,& à Sylla deinde redeūdi poteſtate facta,reſpondit illud quod à Seneca in ſexto libro de beneficiis ponitur,Malo vt patria mei exilii erubeſcat, quàm reditu mœreat. Vide Valerium & Senecam lib.6.de beneficiis. M. Rutilius Cenſorinus, teſte Valerio de moderatione,iterum Cenſor creatus,in cōcione populum corripuit,quòd eam poteſtatem bis ſibi detuliſſent, cuius maiores quia nimis magna videretur, tempus coarctandū iudicaſſet. Rutilius Lupus,rhetor,cuius meminit Quintilianus.

Rutuba,fluuius Liguriæ ex Apœnino fluens, cuius meminit Plinius cap.5.lib.3.

Rutuli,antiquiſſimi Italiæ populi,qui Latium tenuerunt, teſte Plinio cap.5.lib.3,Tam tenues(inquit)primordio imperii fuere radices. Colonis ſæpe mutatis tenuere alii aliis temporibus Aborigines,Pelaſgi,Arcades,Siculi,Arunci,Rutuli.Hæc Plinius.

Rutupiæ,Britanniæ inſulæ portus apud Ptolemæum lib.2.ca.3.vulgò Sanduuich.

Rutupinum,pen.prod.promontorium Britanniæ.Luca.lib.6,
Aut vaga quum Tethys Rutupináve littora feruent,
Vnde Calydonios neſcit turbata Britannos.

S A

SABA, Arabum metropolis in monte sita, sic ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι appellata, quod est reuereri: quia thus mittit quo in sacrificiis vtimur, vt notat Seruius, & ideo thuriferam vocat Ptolemæus.

Sabacus, AEthiopum rex, qui Anisim AEgypti regem fugauit, & illius regnum quinquaginta annis obtinuit, teste Herodoto lib.2.

Sabæi, Arabiæ fœlicis populi, quorum metropolis est Saba, quam Strabo lib.16, Meriabam vocat: His proxima est (inquit) fœlicissima Sabæorum terra, quæ maxima natio est. Apud hos thus & myrrha, & cinnamomum nascitur, in ora etiam balsamum, & alia quædam herba valde odorata, quanquam eius odor cito deperit. habent præterea palmas odoratas & calamum. Serpentes quoque palmares, colore puniceo, vsq; ad ilia assilientes, quorum morsus incurabilis est. Homines propter maximam fructuum copiam otiosi segnésque viuunt. In radicibus arborum cubant: & ex eis incidunt, quæ proximi suscipientes protinus alter alteri consequenti tradunt, vsque in Syriam atque Mesopotamiam. Ab odoribus autem stupefacti, bituminis suffitu, & hirci barba stuporem tollunt. Meriaba, Sabæorum vrbs, in monte iacet arboribus pleno. Sub rege sunt, qui iudiciorũ ac cæterarũ rerũ potestatẽ habet. Hactenus Strabo lib.16. Virg.1. Georg. India mittit ebur: molles sua thura Sabæi.

Sabata, Ptolemæo lib.3.cap.1, Sabatium Plinio libro 3.cap.4: Sabatia Põponio lib.2. maritima ciuitas Liguriæ, vulgò Sauona

Sabathra Ptolemæo lib.4.cap.3. vrbs paruæ syrtis, Plinio Sabrata dicta, vulgò Raxaniabes.

Sabidius, vir Romanus, gulæ deditus, plus vorabat quàm posset concoquere: quocirca ita fœtebat eius anima, vt nemo posset cum eo loqui. quem Martialis hoc Epigrãmate insectatur.

Non amo te Sabidi, nec possum dicere quare:
  Hoc tantum possum dicere, non amo te.

Voracitatem eius & fœtorem animæ, altero epigrammate non minus salsè indicat Martialis,

Circunlata diu mensis scriblita secundis,
  Vrebat nimio sæua dolore manus.
Sed magis ardebat Sabidi gula. protinus ergo
  Sufflauit buccis térque quatérque suis.
Illa quidem tepuit, digitósque admittere visa est:
  Sed nemo potuit tangere, merda fuit.

Sabini,antiquissimi Italiæ populi sunt & indigenæ atque Aborigines. Ab iis Picentes, Samnitésque in colonias defluxere. Sabinorum agrum Tyberis alluit,quemadmodum Vmbriam, Latiúmque. Quippe inter Vmbros ac Latinos sunt Sabini, extẽduntúrque vsque ad Nomentum oppidũ, & à religione & deorum cultu,hoc est ἀπὸ τοῦ σέβειν,dicti sunt Sabini,quasi Sebini. Author Plinius cap.12.lib.3.Quanquam Silius à Sabo,gentis au thore,Sabinos dici putat,qui lib.8.sic ait,

-pars laudes ore ferebant
Sabe tuas:qui de patrio cognomine primus
Dixisti populos magna ditione Sabinos.

A Sabinis,Sabellus deducitur, & Sabellicus, Iuuenalis, -mensámque Sabellam. Virgil.Georg.lib.2.de Italia loquens,

Hæc genus acre virum,Marsos pubémque Sabellam,
Assuetúmque malo Ligurem,Volscósque verutos
Extulit:&c.

Idem, -dentésque Sabellicus exacuit sus.

Sabinus,declamator tẽpore Senecæ,lepido vir ingenio.Cuius meminit Seneca in Declamationibus. Sabinus, Vespasiani frater, interfectus à Vitellio, qui Vespasiano res contra Iudæos gerente,post Othonis mortem,Capitolium cum æde Iouis occupauerat. Sabinus,sophista,sub Adriano principe scripsit Isagogen ad materias & hypotheses, declamationum libros quatuor,præterea in Thucydidẽ enarrationẽ.Suidas. Sabinus Masurius, scripsit Fastorũ & memorabilium rerum libros.Sabinus Syrus memorandæ fortitudinis, qui tempore Titi, primus Ierosolymæ muros ascendit:author Iosephus, lib.7.cap.1. Sabinus Tyro qui scripsit περὶ κηπουρικῶν,id est de hortensibus, vt scribit Plinius cap. 10.lib.19.

Sabota,vrbs Arabiæ in mõte excelso, à quo octo mãsionibus differt regio eorũ thurifera.Author Camertes, Solini interpres.

Sabriana,Ptolemæo lib.2.cap.3. æstuarium Britannici maris. Sabrinam fluuium Cornelius Tacitus scribit lib. 12. vulgò Seuerne.

Sabyllus,Gelæ vrbis Siciliæ tyrannus post à seipso interfectũ Cleandrum.Author Herodotus lib.6.

Sacæ,sũt Scythiæ populi, quos Herodotus tradit vocari à Persis omnes Scythas:item Plinius lib. 6.cap 17. Vltra(inquit)sunt Scytharũ populi, Persæ illos Sacas vniuersos appellauere à proxima gẽte,antiqui Arameos,Scythæ ipsi Persas,Chorsaros.Hactenus Plinius.Horum meminit & Strabo lib.11.

Sacamaza Ptolemæo cap.3.lib.4.vicus est Syrtis magnæ,vulgò Zedicho.

Sacarum,authore Ptolemæo lib.6.cap.13, eſt in Aſia vltra mare Caſpium,Sogdianis contermina: in qua nec vrbes,nec vicos eſſe teſtatur, ſed incolæ eius regionis nemora & ſpecus habitãt, ſagittandi arte peritiſſimi, qui olim Bactrianã prouinciam occupauere, & optimam Armeniæ regionem adepti ſunt,vt lib.2. Strabo refert,atque vſque ad Cappadocas proceſſerunt.Sed quũ ex ſpoliis feſta celebrarẽt, Perſarum imperatores eos noctu adorti,funditus deleuere.Hos quidam Sacaſſanos vocant.

Sacer mons,locus eſt ad tertium milliarium ſupra Anienem, quem plebs Romana poſt reges exactos, dum à potentioribus premeretur,occupauit. Author Cicero in Bruto, Videmus item (inquit)paucis annis poſt reges exactos,cum plebs prope ripam Anienis ad tertium milliarium conſediſſet, eúmque montem, qui Sacer appellatus eſt,occupauiſſet, M.Valerium dictatorẽ dicendo ſedauiſſe diſcordias,eíque ob eam rem honores ampliſſimos habitos,& eum primum ob eam ipſam cauſam Maximũ eſſe appellatum.Hactenus Cicero.

Sacra via,locus in vrbe Roma, vbi Romulus & Tatius fœdus fecerunt:cuius meminit Cicero in oratione pro Plancio his verbis,Equidem (inquit)ſiquando,vt fit,iactor in turba, non illum accuſo,qui eſt in ſumma ſacra via, cum ego ad Fabium fornicem impellor: ſed eum qui in meipſum incurrit atque incidit. Hæc ille.

Sacrum promontorium,Luſitaniæ locus,teſte Ptolemæo lib. 3.cap.2.Caput Sancti Vincentii hodie dicitur,vbi Cuneus ager.

Sadyattes,fuit Ardyos filii Gygis filius,qui teſte Herodoto lib. hiſtoriarum primo,poſt patrem regnauit in Lydia. Vide de hoc Herodotum.

Sæpinum,Ptolemæo lib.3.cap.1,vrbs Samnitũ: hodie Sepinũ.

Sætabis,fluuius apud Ptolemæum lib.2.cap.6, Auguſta Valeria alio nomine dicta,Setanis olim,nunc Xatiua.

Sagæ, idem qui Sacæ antea dicti, Author Pomponius Mela lib.3. Sagæ item anus dicũtur, quæ multa ſcire volunt, authore Cicerone lib.1.de diuinatione:Sagire(inquit)ſentire acutè eſt, ex quo Sagæ anus,quia multa ſcire volunt, & Sagaces dicti canes. Hactenus Cicero.

Sagarus,fluuius Phrygiæ,teſte Herodoto lib.3. Liuius autem in ſeptimo de bello Macedonico fluuium eſſe dixit Gallogræciæ,qui per Phrygiam defluens,& ad Berecynthum pertingens, in Propontidem tandem influit. Lege Liuium lib.7.bel.Maced.

Sagra,fluuius eſt in ora magnæ Græciæ in Italia. Author Pli-

nius cap.10.de Locris,& Italiæ fronte lib.3. Huius meminit & Cicero lib.2.de natura deorum.

Saguntia Ptolemæo lib.2.cap.4,&Plinio lib.3.cap.3,Hispaniæ vrbs.Eidem etiam Sarguntia dicta.

Saguntus,vel Saguntum, Hispaniæ ciuitas vltra Iberum fluuium à Zacynthiis condita.Strabo,Saguntus(inquit)occurrit à Zacynthiis condita, quam Annibal contra populi Romani fœdera diruens,belli Punici secundi suscitauit incēdium.Hæc ille lib.3.Huius vrbis situm eleganter describit lib.1,Silius. Meminit cladis lib.1.tertiæ Decadis Liuius.

Sais,vrbs AEgypti iuxta vnum ex Nili fluminis ostiis, quod ab ipsa Saiticum dicitur:&Saitæ,populi in AEgypto,huius loci incolæ, qui Mineruam colunt,authore Cicerone lib.3.de natura deorum,Secunda (inquit) Minerua orta Nilo,quam AEgyptii Saitæ colunt.

Sala,oppidum & fluuius Mauritaniæ.author est Plinius cap. 1.lib.5. Est item Sala,oppidum magnæ Phrygiæ,Pannoniæ superioris atque Armeniæ, Ptolemæo lib.4.cap.1.

Salacon,vir fuit,qui quum pauper esset,se diuitem simulabat, vt author est Suidas.Huius meminit Cicero lib.7.Epist.

Salambria,quæ & Sarabræa,ciuitas estCappadociæ Ptolemæo libro 5.cap.6.

Salamis,Salamin,siue Salamina,insula in mari Euboico contra Athenas sita, in qua vrbs est eiusdem nominis vbi Telamon Aiacis & Teucri pater regnauit. Sed cum reuerteretur Teucer à bello Troiano, nec inimicos Aiacis vltus fuisset, expulsus à patre,in Cyprum nauigauit,ibique vrbem aliam condidit nomine Salaminam.Inde Iouis Salaminii cognomē Teucro authore,qui Telamonis patris ira profugus,ad Saiaminē huic deo insigne & magnificū templū extruxit,vt author est Tacitus lib.3.

Salanga,Ptolemæo libro 2.cap.2, promontorium Hiberniæ, Mōs Domini alio nomine,vbi est monasterium à S.Dominico constructum.

Salapia,vrbs est Apuliæ, vt scribit Plinius cap.11.lib.3.

Salaria via, Romæ dicta est, quòd per eam Sabini sal à mari deferebant.Sipontinus.

Salassii Ptolemæo libro 3.cap.1, populi sub Insubribus: hodie Marchia Salutiarū,Le Marquissat de Salusses.De his multa Strabo libro quarto.

Saldæ colonia, Mauritaniæ Cæsariensis vrbs, Ptolemæo authore lib.4.cap.2.hodie Alger:Barbarossæ regnum.

Salentini campi, peninsulæ forma, intra Tarentinū & Adria-

tici fauces propõsi, Isthmo se iuxta Brũdusiũ & Rudias cõtrahente, non amplius c c c x stadiis lato, quod ex Ptolemæi tabula discitur. A salo autem, id est mari dictos autumat Festus Põpeius. Et Salentinum promontorium est, quod & Iapygium Ptolemæo dicitur. Sale dicitur Pomponio Melæ lib. 2.

Salia, fluuius est Hispaniæ ad oram Britannici maris, à quo Saleni accolæ dicti, quos Selinos Ptolemæum lib. 2. cap. 6. nominasse existimat Hermolaus.

Salii, sacerdotes Martis Romæ à rege Numa instituti, qui lustrantes vrbem saltabant ancilia portantes. Sunt autem ideo Salii dicti, quòd circa aras saliunt & tripudiant, vt scribit Seruius apud Virgilium 8. AEneid.

Hic exultantes Salios, nudósque Lupercos,
Lanigerósque apices, & lapsa ancilia cælo
Extuderat: &c.

Saliocanus, portus Galliæ, vrbs apud Ptolemæum lib. 2. ca. 8. Vulgò S. Paulus.

Salmacis, fons in Caria iuxta Halicarnassum dictus Venereus, ab amœnitate incolarum, vbi paulatim homines allecti, feritatem omnem deposuerunt. Strabo lib. 14, Salmacis (inquit) fons nescio quam ob rem calumniatus, tanquam emolliens eos qui inde bibant. hominum enim mollities, non videtur ab aere, vel ab aqua causam trahere, cũ ea sint minime causa mollitiei, sed diuitiæ & victus incontinentia.

Salmantica Ptolemæo, libro 2. cap. 5, alio nomine Salamanca, Hispaniæ Lusitaniæ vrbs.

Salmoneus, AEoli filius, non regis ventorum (inquit Seruius) sed cuiusdam apud Elidē, vbi regnauit: qui fabricato ponte æreo, super eum agitabat currus, ad imitãda tonitrua: & in quem iaculatus esset facē, eum iubebat occidi. Hic postea verũ expertus est fulmē. Hactenus Seruius enarrãs locũ Virgilii AEneid. 6,

Vidi & crudeleis dantem Salmonea pœnas,
Dum flammas Iouis & sonitus imitatur Olympi.

Salmoxis, Herodoto lib. 4, dæmon quidam Thracum.

Salo, Straboni lib. 7, litus est Salmatiæ, & eorum emporium.

Salon, authore Strabone lib. 12, regio est Bithyniæ, pascendis bobus idonea. vnde etiam Salonensis caseus dicitur.

Salonæ Salonarũ, vrbs Dalmatiæ, capta olim ab Asinio Pollione. Horatius,

Cui laurus æternos honores,
Dalmatico peperit triumpho.

Salonius, Pollionis filius, à captis Salonis sic dictus, authore Seruio: Asinius Pollio (inquit) ductor Germanici exercitus, cum post captas Salonas Dalmatiæ ciuitatē, primò meruisset laureā, pòst etiā cōsulatū adeptus fuisset, eodē anno suscepit filiū, quem à capta ciuitate, Salonium vocauit, cui nūc Virgilius Genethliacon dicit, quem constat natum risisse statim: quod parentibus omen est infœlicitatis. nam ipsum puerū inter ipsa primordia periisse manifestum est. Hactenus Seruius.

Salpiæ, Ptolemæo lib.3.ca.1, Apulorum vrbs in Ionio pelago: Salapia Plinio.

Salsusæ, fons Narbonensis Galliæ iuxta Ruscinonem, nō dulcibus, sed salsioribus, quàm marinæ sint, aquis defluēs. Pomponius Mela lib.2. Vulgò Saulses, vbi est arx munitissima regum Hispaniæ ditionis.

Saltiæ, populi sunt iuxta pōtū Euxinum, à veteribus sic dicti.

Samaria, Iudææ Palæstinæ regio est, vt scribit Plin. ca.13 lib.5.

Samarobrini, Galliæ populi inter Belgas, vbi Cæsar concilium indixit: horū metropolis Cameracum esse creditur. Ptolemæo lib.2.cap.9. Samarobrina: vulgò Cambray.

Same, insula est in mari Ionio, vt scribit Pōponius Mela lib.2.

Samnites, Italiæ populi inter Picenum, Campaniam, & Apuliam. vrbes in Samnitibus sunt, Adria, Aquila, Amiternum, Sulmo, Arpinum, Beneuentum, & aliæ multæ. Dicti sunt autem Samnites, à Samnio colle in quo è Sabinis venientes consederunt, & eiusdem nominis oppidum ædificauerunt. Hi quōdam exercitum Romanorum ad Furcas Caudinas sub iugum miserunt, quos postea L. Papyrius vicit, & sub iugū misit. Author Liuius. De Samnitibus multa Strabo lib.5.

Samonium, Cretæ insulæ promontorium Rhodo aduersum, sicut contrario litore Cyrenas versus κριῶ μέτωπον prominet. Author Pomponius Mela lib.2.

Samos, duarum insularum nomen est: quarum altera est in mari Ionio iuxta Ephesū Iunoni sacra. Altera in mari AEgæo Thraciæ adiacens, quæ ex commistis Thraciæ populis Samothracia dicta est, vt author est Strabo libro 10. Virgilius libro septimo AEneid.

Threiciámque Samum, quæ nunc Samothracia fertur.

Samosata, vrbs Asiæ ad Euphratem, authore Strabone libro 14. Samosata Luciano alumno nobilis.

Sandanis, vir fuit quidām Lydus, qui Crœso suadere conatus est, ne bellum Persis inferret. Herodotus lib.2.

Sanga, Plinio libro 4.cap.20, fluuius Cantabrorum in Hispania citeriori.

Sangaris, fluuius qui per Phrygiam defluens, tãdem in Propontidem influit, vt scribit Seruius. Alio nomine dicitur Coralius, vulgò Zagari.

Sannaus, lacus, de quo Plinius lib.2.cap.103, Lacus Sannaus in Asia circunnascente absynthio inficitur.

Santones, populus Galliæ in Aquitania, vt est author Pomponius Mela lib.3. Vulgò Xantonge.

Santonum portus, Ptolemæo lib.2.cap.7, Galliæ vrbs. Vulgò La Rochelle.

Santonum promontorium in Gallia, Ptolemæo lib.2.cap.7, vulgò Blaye.

Sapiri sunt, teste Orpheo in Argonautica, populi iuxta Pontũ.

Sapis, fluuius Italiæ in Flaminia prope Cesenam vrbem, author est Plinius cap.15.lib.3.

Sappho, fuit fœmina Lesbia & nobilis, à qua versus quidã Lyrici, Sapphici sunt cognominati, quos illa cõperit. De hac Ouidius in 2. de Tristibus inquit,

Lesbia quid docuit Sappho, nisi amare puellas?

Saraca, Ptolemæo lib. 6.cap.2. oppidũ in Mediterraneis Mediæ. Est & eidem lib.5.cap.10, Sarace, ciuitas in Colchide.

Sarcarius, teste Hesiodo in Theogonia, fluuius est Phrygiæ.

Sardanapalus, Assyriorum rex vltimus, de quo Diodorus Siculus & Iustinus multa scripserunt. Cuius epitaphium refert Cicero lib.5. Tuscul.quæst. Quomodo igitur (inquit) iucunda vita potest esse, à qua absit prudentia, absit moderatio? Ex quo Sardanapali opulentissimi Syriæ regis error agnoscitur, qui incidi iussit in busto,

Hæc habeo quæ edi, quæque exaturata libido
Hausit: at illa iacent multa & præclara relicta.

Quid aliud (inquit Aristoteles) in bouis, nõ in regis sepulchro inscriberes? Hæc habere se mortuum dicit, quæ ne viuus quidem diutius habebat quàm fruebatur. Hactenus Cicero.

Sardemisos, Tauri montis promontorium est, quod intra Lyciam & Pamphyliam in nostrum pelagus imminet. Meminit eius cap.27.lib.5. Plinius.

Sardinia, insula maris Mediterranei. de qua Sallustius, Sardinia (inquit) in Afro mari facie humani vestigii, in Occidentem, quàm in Oriẽtem latior prominet. à Sardo Herculis filio dicta, vt lib. 12 Silius & Solinus scribunt. De ea Plinius 7.cap.libri 3.

Sangus Deus Sabinis qui Romanis Janus vide Janum Titum Liuium decadis secundae Libro octauo et super eum locum Commentaria. vide etiam dionysium Alexandrum Halicarnassenm in fine quarti libri

Eadem & Ichnusa & Sandaliotis,à forma humani vestigii dicta. Claudianus in bello Gyldonico,

Humanæ speciem plantæ sinuosa figurat
Insula: Sardiniam veteres dixere coloni. Multa in ea insignia sunt, at nihil magis quàm quæ adagio locũ præbuit herba Sardoa,cuius ex varia opinione scriptorũ meminit Erasmus Roterodamus in Prouerbiis. Sardiniã Ptolemæus multò lõgiorem facit,quàm sit lata.nã Eoũ litus CLXXXVIII mil.pas.lõgitudinis habet,maxima latitudine CXXII mil.pas.existẽte. Eadẽ propè & Põponii Melæ sentẽtia est. Nã angustius spectare eam in ortũ,quàm occasum ait, litoribus videlicet medio cõtractis: in vniuersũ autẽ vbique spatiosiorẽ esse,quàm Corsica sit, etiã tractu quo latissima est. De Sardinia Pausanias & Cælius Rhodiginus cap.19.libri 11.

Sardis,vrbs fuit in Lydia,ad latus Tmoli montis maxime celebris,vt testis est Herodotus li.1.& Plinius lib.5. Eadẽ fuit olim regia Crœsi Lydorum regis,vt latè ostẽdit Herodotus & Horatius in epist.10, Quid cõcinna Samos,quid Crœsi regia Sardis?

Sardonici,mõtes Liburniæ Ptolemæo lib.2.cap.17, vulgò Maranai.

Sarepta,Plinio lib.5.cap.19,vrbs Sydoniorũ, vbi diuinus vates Helias esurientem viduam miraculo pauisse creditur. Hinc Sareptanus,adiectiuum.Sidonius,

Vina mihi non sunt Gazetica,Chia,Falerna,
Quæque Sareptano palmite missa bibas.

Sargacæ,populi(Pomponio authore)iuxtaMæotidẽ,quorum oppida Murmetion,Panticapæum,Theodosia,Hermisium.

Sargapises,Tomyris filius,à Cyro rege Persarum captus,dum manicas & brachiorum vincula eximi sibi impetrasset,seipsum interfecit.Author Herodotus.

Sarissæ,dicuntur hastæ Macedonum.Ouidius lib.12,

Qui clypeo, gladióque,Macedoniáque Sarissa. Lucanus lib.8,
Primi Pellæas arcu fregere Sarissas.

Sarmatæ,populi Scythiæ sunt,qui àGræcis Sauromatæ dicũtur ab oculis lacertarũ.σαῦρος enim,lacerta est:ὄμμα,oculus.Regio,Sarmatia dicitur.Nomina diuersa habẽt Sarmatæ,habitant mõtes & saltus,vtũtur plaustris pro domibus,pascũtúrque lacte equino, vnde quidã eos ἱππημολγοὺς, hoc est equarũ mulsores:alii γαλακτοφάγους, hoc est lacte vescentes. Sunt etiam quidam interius habitãtes,qui sanguinẽ equinũ lacte mistũ potant,quos vocant Gelonos.Virgilius 3.Georg.

Bisaltæ quo more solent,acérque Gelonus,

Cum fugit in Rhodopen,atque in deserta Getarum:
Et lac concretum cũ sanguine potat equino. Itẽ Sarmatæ alii sunt,qui cruda farina equino sanguine mista,ẽ crurisvenis alũtur.Alii etiã qui pro victimis homines immolãt.Alii bellorũ & cædis amatores,quibus bellãtibus mos est cruorẽ eius,quẽ primum interemerint,ex ipsius vulneribus bibere:&vt quisque plu res interemerit, ita apud eos eximius habetur. Sũt etiã in Scythiæ extremis Sarmatæ,qui carne equina vescuntur, alii qui humanæ carnis alimẽto vitã ducũt,propter quod vocãtur Anthropophagi, ἀπὸ τοῦ φαγεῖν τοὺς ἀνθρώπους, hoc est ab hominibus edendis.Iidẽ ab vsu plaustrorũ Hamaxobitæ Põponio,Hamaxobii Ptolemæovocãtur.Hi,vt author est Mela lib.2.auri & argenti maximarum pestium ignari,vice rerum cõmercia exercent: atque ob sæua hyemis admodum assiduè demersis in humum sedibus,specus aut suffossa habitant.Totum brachati corpus, & nisi qua vident etiam oravestiti.Horũ meminerunt Plinius cap. 12.lib.4.& Strabo lib.11.

Sarmantus, Romanus eques scurrilitate notissimus sub Augusto Cæsare.

Sarnus,Campaniæ fluuius, ex Sarno eiusdẽ nominis monte ortũ ducẽs, iuxta oppidũ in Sarni radicibus sitũ: primóq; magno cũ murmure defluit, mox in paludes amplas desinit, quæ graues incolis nebulas toto anno emittũt,deinde coactus rupibus Vesenũ mõtẽ radit,& inde paruo cõtẽtus cursu, in Tyrrhenum mare influit.De hoc Virgilius lib.7.AEneid.
-latè iam tum ditione premebat
Sarrasteis populos,& quæ rigat æquora Sarnus.

Saronicus,portus in Achaia,ad Isthmum Corinthiacũ.Ptolemæus sinũ facit Saronicũ.Plinius quoque cap.5.lib.4,Sinus(inquit)Saronicus olim querno nemore redimitus,vnde nomẽ,ita Græcia antiqua appellante quercũ. Multi à Sarone deo marino. Nam Saronem fuisse regem, qui illic Atlepiæ marinæ regioni imperarit,in Corinthiacis scribit Pausanias.

Sarpedon, teste Homero libro Iliad.16.Iouis filius ex Laodamia Bellerophontis filia. Herodotus verò in Polyhymnia scribit eum fuisse Iouis filium ex Europa, ac Minois fratrem. Hic cum aliquãdo rex esset Lyciæ, & in armis strenuus,Troianis cõtra Græcos fauit:& multa bellãdo strenuitatis documẽta demõstrãs, à Patroclo tãdẽ interfectus est,vt idẽ Homerus scribit. Est & Sarpedon, Ciliciæ promontorium, finis aliquando

regni Sarpedonis,& quod Ciliciā à Pamphylia distinguit.Pomponius Mela lib.1.in descriptione Ciliciæ.

Sarra, vrbs in Phœnicia, quæ deinde Tyrus est dicta, à pisce quodā qui illic abundat appellata,quē lingua sua,Sar appellant. Iuuenalis, -aut pictæ Sarrana ferētē Ex humeris aulæa togæ. Hæc Seruius apud Virgilium Georg.lib.2,

Vt gēma bibat,& Sarrano dormiat ostro.

Sarraceni, populi post Nabathæos Arabiæ populos, vt author est Stephanus.

Sarsina, Plinio lib.3.cap.14.oppidum in Vmbria,ex qua Plautus poeta comicus ortus est. Lacte abūdat vt testatur Silius, Lactis,&c.Sarsina diues.

Sason, insula est inter Epirum & Brundusium, vt author est Strabo lib.6.

Satagytæ,populi in Asia Scythica,vt li.4. testatur Herodotus.

Satarchæ,populi sunt Septentrionales ad paludē Mæotin vergentes, vt scribit Pomponius Mela lib.2. Hi bellicosissimi sunt. De quibus Valerius Flaccus lib.6,

Iaxamatæ,Toriniqúe,& flaui crine Satarchæ.

Sataspes, Persa Teaspis filius à Xerxe rege cruci affixus est, quòd Zopyri filii Megabysi filiam virginem vitiasset,quódque etiam totam Africam non peragrasset,quòd se fecisse ad diluendum stuprum dixisset.Author Herodotus lib.4.

Satræ,populi Græcorum in litoribus Thraciæ, vt ostendit Herodotus suæ historiæ lib.7.

Satrapes, dictio est Persica, quæ Latinis præfectum significat, authore Donato apud Terentium in Heautontim.

Satrapes si fiet,vix eius sumptus sufferre queat.

Saturniana colonia, Tuscorum vrbs Ptolemæo lib.3.ca.1.Hodie Saturnia.

Saturnus,Cæli filius,authore Cicerone li.2.de natura deorum: Vetus(inquit)hæc opinio Græciam oppleuit,scilicet exectū Cælum à filio Saturno, vinctum autem Saturnū ipsum à filio Ioue.Physica ratio nō inelegās inclusa est in impias fabulas. Cælestem enim altissimam æthereámque naturam, id est igneam, quæ per sese omnia gigneret, vacare voluerunt ea parte corporis,quæ coniunctione alterius egeret ad procreandū.Saturnum autem eum esse voluerunt, qui cursum & cōuersionem spatiorum ac temporum contineret, qui deus Græcè idipsum nomē habet:Κρόνος enim dicitur,qui est idem χρόνος,id est spatium temporis. Saturnus autem est appellatus, quòd saturetur annis.

Ex se enim natos comesse fingitur solitus, quia cõsumit ætas tẽporum spatia, annísque præteritis insaturabiliter expletur. Vinctus autẽ à Ioue, ne immoderatos cursus haberet, atque vt eum syderum vinclis alligaret. Hactenus Cicero de natura deorum lib.2. Vide Macrobium Saturnaliorum lib.1.cap.40.41.42.

Saturũ, vrbs Calabriæ fuit non lõgè à Tarẽto. Vnde Satureianus, adiect. possessiuũ. Horat. Me Satureiano vectari rure caballo.

Satyra, carmen maledicum, & ad carpenda hominũ vitia compositum: quale scripserũt Lucilius, Iuuenalis, Horatius, Persius.

Satyri, animalia sunt in vltimis Libyæ gẽtibus, quæ nihil hominis præter effigiẽ habeãt. Satyri autẽ dicti esse credũtur grammaticis, quòd in libidinem semper sint proni à virili membro, quod Græci σάθην dicunt. Veteres huiusmodi mõstra pro semideis siue pro syluestribus diis coluerũt, quẽadmodũ faunos, syluanósque, Faunos ac Satyros nemorũ deos esse dicẽtes, Panas agrorũ, Syluanos syluarũ: cõfundũtur tamẽ hæc omnia à Poetis. Ouidius 1. Metamor.

Sunt mihi semidei, sunt rustica numina Nymphæ,
Faunique, Satyrique, & monticulæ Syluani.
Quos quoniam cæli nondum dignamur honore,
Quas dedimus, certe terras habitare sinamus.

Põponius Mela vltra Atlantẽ Mauritaniæ montẽ scribit noctu persæpe visa lumina, & crepitus cymbalorũ ac fistularũ cãtus auditos: nec die repertum quenquã idcirco pro cõstanti habitũ hos Faunos esse ac Satyros. Vide Melam libro 3. in descriptione AEthiopiæ.

Satyrorũ insulæ, Ptolemæo lib.7.cap.2. tres sunt adiacẽtes Indiæ. Qui has inhabitant, caudas habere dicuntur, quales Satyrorum pingunt.

Sauo, fluuius est in finibus Cãpaniæ, teste Plinio cap.5.lib.3.

Sauona, Ptolemæo lib.3.cap.1, Sabbatiũ Plinio, Sabbatia Põponio, vrbs Liguriæ notissima: hodie Genuẽsium ditionis. vulgò Sauone.

Sauromatæ, superius sunt dicti in dictione SARMATAE.

Saurus, nobilis statuarius, cuius opera commemorat Plinius cap.5.lib.36.

Saxoforatum, teste Volaterrano, oppidũ in Piceni atque Vmbriæ finibus situm, alio nomine Sentinum dictum.

Saxones, Ptolemæo lib.3.cap.11, Germaniæ populi, nõ lõgè à Cimbris, in Oceani Septẽtrionalis litoribus & paludibus inuiis.

S C

Scæa, porta Troiana, in qua sepulchrum fuit Laomedontis,

vt Homerus lib.3.Iliados scribit.

Scæuola, nomen quo nobilissimus vir Romanus Q. Mutius vocatus est.Vide dictionem MVTIVS.

Scalabiscus,Ptolemæo lib.2.cap.5,Lusitaniæ ciuitas, antea Iulium præsidium,siue Turris Iulia:hodie Trosilum,vulgò Trugillo.

Scalde, fluuius Galliæ Belgicæ ex Cæsaris commentariis notissimus.De quo Plinius cap.17.libri 4,A Scalde (inquit) ad Sequanam Belgica.Ab eo adGarumnam Celtica,eadémque Lugdunensis.Inde ad Pyrenæi mõtis excursum Aquitania,Aremorica antè dicta.Hactenus Plinius.

Scamãder,fluuius Troiæ ex Ida mõte descendens, quem Hesiodus θεῖον σκάμανδρον,id est diuinum Scamãdrum appellauit.

Scamandria, Plinio lib.4.cap.30, vrbs Troadis parua,à portu Ilii parum remota.

Scamandrus,Hectoris & Andromaches filius,quod nomen ei pater Hector imposuerat,teste Homero lib.5. Iliados. sed cæteri Astyanacta vocare maluerũt,quòd solus illius pater vrbem tutaretur.

Scandinauia,Plinio lib.4.cap.13, insula Ponti, quam incompertæ magnitudinis esse scribit.Eam gens habitans alterum orbem terrarum appellat.

Scaptensula,locus est in Macedonia,teste Festo,dictus à σκάπτω, id est effodio.Vnde Lucretius,

Quales expiret Scaptensula subter odores.

Scaptia,Plinio lib.3.ca.5,oppidum in Latio,à quo Scaptia tribus vocitata est.

Scardona,Ptolemæo li.2.cap.17,Liburniæ vrbs, hodie Scardo.

Scaurus, cuius pater quanuis patritius carbonariam ob paupertatem exercuit,idẽ primò dubitauit,honores peteret, an argentariam faceret.Sed eloquentiæ studiosus,ex ea gloriam peperit.Plinius in naturali historia dicit eum principẽ fuisse ciuitatis,& Marianarum rapinarũ socium.Frõtinus verò in 4.scribit,Scaurus filiũ suũ,quòd in saltu Tridentino hosti loco cesserat,in cõspectum suũ venire vetuit,adolescẽs verecundiæ ignominia pressus,mortẽ sibi cõsciuit. Plinius rursus de eo, Scaurus (inquit)à Vario Tribuno plebis repetundarum accusatus & absolutus.Sallustius in Iugurthino,Scaurus homo nobilis,impiger,factiosus,audax,sed vitia sua callidè occultãs.Cũ essetvir cõsularis,& in Senatu princeps,ab eo mittitur ad Iugurthã orator, vt eũ ab oppugnatione Cirtæ, & r seditione Adherbalis amo-

ueret. Scaurus alter, ſuperioris filius, de cuius ædilitate lege Pliniũ cap.7.lib.34. Scaurus Aurelius, legatus, à Cimbris fuſo exercitu captus eſt: & cum ad conſilium ab his euocatus eos deterreret, ne Alpes tranſirent Italiam petituri, eo quòd diceret Romanos vinci minimè poſſe, à Bolo rege, feroci iuuene occiſus eſt. Liuius LXVII.

Scenitæ, populi ſunt Arabiæ fœlicis, authore Plinio ca.28.lib.6, vagi, & à tabernaculis cognominati, quæ ciliciis metãtur vbi libuit. De his & Solinus his verbis, Scenitæ cauſã nominis inde ducunt, quòd tentoriis ſuccedunt, nec alias domos habent. Ipſa autem tentoria cilicina ſunt. Ita nuncupantur velamenta, è caprarum pilis texta. Præterea carnibus ſuillis abſtinent. Sanè hoc animalis genus, ſi inuectum illò fuerit, moritur ilico.

Scepſis, Plinio li.5.ca.30, vrbs AEolidis. Ex hac fuit Metrodorus, quem Scepſium cognominamus.

Schinis, latro inſignis à Theſeo dilaniatus. De quo Pauſanias in Corinthiacis, In Iſthmi initio locus eſt, vbi Schinis latro apprehenſas piceas in terram flectebat, & quos pugna viciſſet, hos alligatos ſinebat in aerem efferri: quocirca cum vtraque arbor alligatum ad ſe traheret, vinculíque nodus in neutram laxaretur partem, ſed vtrinque pariter conuelleret, eueniebat vt qui alligatus eſſet, laceraretur. Eodẽ pacto ipſũ quoque Schinin Theſeus dilaniauit, viámque, quæ ex Troezene Athenas ducit, latronibus infeſtam, tutam reddidit. Hactenus Pauſanias.

Schinuſa, Plinio lib.4.cap.12, inſula vna ex Sporadibus.

Schœnus, Plinio li.4.ca.7, portus eſt & oppidũ Atticæ regionis

Scione, Plinio li.4.ca.10, oppidum Macedoniæ in ſinu Thermaico.

Sciopodes, populi Indiæ, de quibus Plinius cap.2.lib.7, Hominum genus qui Monoſceli vocarentur, ſingulis cruribus, miræ pernicitatis ad ſaltũ, eoſdémque Sciopodas vocari: quòd in maiore æſtu humi iacentes reſupini, vmbra ſe pedum protegant: non longè eos à Troglodytis abeſſe. Rurſúſque ab his Occidentem verſus quoſdam ſine ceruice, oculos in humeris habentes.

Scipio Cornelius, à quo Scipionũ gens patricia initiũ habuit, teſte Macrobio, patrẽ luminibus carentem pro baculo regebat, quem Scipionem grãmatici appellant. P.Corn. Scipio cũ quo primũ imperatore Annibal ſigna in Italia cõtulit. Is cum multas eſſet in Hiſpania victorias cõſecutus, réſque geſſiſſet memoratu dignas, demũ in quodã prælio aduerſus hoſtes inito, dum ſe offert, vbi plurimũ periculi erat, ſubito occiditur. Liuius. Sci

pio Africanus, huius filius, cuiusvitã ac res gestas C. Oppius & L. Reginius literis mãdauere. Is puer certis diei horis secretum tẽpli petere solebat, putabatúrque apud vulgus cũ Ioue loqui: annum agẽs decimũseptimum, à patre in castra ductus est principio belli Punici secundi. Cõstátque iã tunc in cõgressu Annibalis primò circunuẽtum ab hostibus, ac sauciũ patrẽ liberasse, vt sunt authores Liuius & Plutarchus. Scipio AEmilianus, qui & Africanus minor ab Africani maioris filio adoptatus (filius erat enim Pauli AEmilii) Numantiã euertit, in qua expeditione militẽ corruptum in disciplinã pristinã eiectis scortis restituit. Munera regũ, quæ clàm ab imperatore recipi mos erat, pro tribunali accepit, in tabulásque publicas nomine populi Rom. referri iussit, ea fortibus viris pro meritis postea distributurus. Oppidanis pabulatũ egressis pepercit, quòd citius frugibus consũptis in deditionẽ vẽturi essent. Capto oppido, Numantini sese per vias inuicẽ trucidauere. Factus etiã consul ante ætatẽ: ac Carthaginẽ missus, eã penitus sustulit: idque de sententia Catonis in senatu, qui præmaturas ac recẽtes ostẽtãs ficus, ait, Eæ Patres Cõscripti Carthagine nuper allatæ sunt, iã prope domum hostẽ habemus.

Scipio Nasica, Scipionis, quivnã cũ fratre in Hispania cecidit, filius, à senatu vir optimus iudicatus, matrẽ deûm tũc primũ aduectã, apúdque virũ optimũ ex oraculo diuertẽdã hospitio excepit. Cũ aduersus hospitia consulẽ se à Graccho nominatum cõperisset, magistratu se abdicauit. Cẽsor statuas, quas sibi cõsul quisque in foro per ambitionẽ habebat, sustulit. Cõsul Delminium, Dalmatiæ vrbẽ, superauit. Imperatoris nomẽ à militibus & à senatu oblatũ triumphũ recusauit. Eloquẽtia primus, iurisconsultissimus, ingenio sapiẽtissimus fuit: vnde vulgò Corculũ dictus. Ex Cæcilio. Liuius verò alia plura. Scipio itẽ, qui Serapio cognominabatur, propter similitudinẽ suarii cuiusdã negotiatoris. Ob id erat in tribunatu plebei admodũ gratus, dignúsque Africanorũ familia. Nec erat in bonis funeris impẽsa. Asses ergo cõtulit populus, ac funus elocauit: quáq; præferebatur, flores è prospectu omni sparsit. Hactenus Plin. lib. 21. cap. 3. Scipio, Africani filius, ponitur inter eos apud Valerium qui à parẽtibus claris degenerauerũt: inter eruditos tamen à Cicerone in Bruto his verbis describitur, Scipio Africanus, filiũ habuit illũ qui minorẽ Scipionẽ à Paulo adoptauit: qui si corpore valuisset, in primis esset habitus disertus. Indicãt cũ oratiunculæ, tum historia quædã Græca scripta de Cassina. Hæc ille. Plutarchus in Africano, nihil sanè de eo se cõpertũ habere dicit, nisi eum præturam

gessisse,& in ea cõsequenda,à Circeio patris scriba adiutũ fuisse.

Scipio, Pompeii magni socer, post bellũ Pharsalicum inter Pompeianos bellum refouentes in Africam se recepit cum exercitu & Catone, Iuba etiam rege adscito. Qui primò fœliciter aduersus Cæsarianos pugnans,victus tandem cum exercitu occubuit. Scipionem cognomento Salutionem, è Corneliorum familia, alioquin virum despectissimum, inter præliandum in Africa:perinde ac exercitus ducẽ Cæsar præposuit:quòd cognosceret aduersarios vetusto quod cõfiderent vaticinio, vt sẽper in Africa,vincere fatale Scipionũ generi foret.Plutarch.in Cæsare.

Scironia saxa, scopuli sunt non longè ab Athenis, de quibus Strabo lib.9,Post Crommyonem igitur Scironides Atticis finibus imminent petræ,iuxta mare transitum non relinquẽtes. Et paulo post,Hoc in loco Scironis res in monte gestæ,latronúmque,& flectẽtes ad terrã arbores pinus, fabulis memoratur,quas Theseus obtruncauit.Ab hisce locis extremis flantem,procellásque cientem sæuum Caurum produnt, Athenienses Scironem appellant.

Scodra, Ptolemæo lib.2.cap.17, vrbs Liburniæ : hodie Scutaram vocant,sub Venetorum dominio.

Scolus,Straboni lib.9, pagus est in ora Asopia,sub Cythærone sedes iniucunda atque aspera.Indéque natũ est prouerbium, Ad Scolon neq; ipse vades, neque alteri comes ibis. Ex eo quoque loco deductum Pẽtheũ discerptũ fuisse memoriæ proditur.

Scopas, statuarius eminentissimus, qui Mausoleum cælauit. Plinius cap.5.lib.35.

Scordona,insula Dalmatiæ adiacens,authore Ptolemæo lib. 2.cap.17. vulgò Malconseglio.

Scoti,Britanniæ populi,quondam Anthropophagi, vt est author Hieronymus contra Iouinianum libro secundo:Quid(inquit)loquar de cæteris nationibus, cum ipse adulescentulus in Gallia viderim Scotos gentem Britãnicam humanis vesci carnibus:& cum per syluas,porcorum greges & armentorum, pecudúmque reperiant,pastorum nates,& fœminarum papillas solere abscindere,& has solas ciborum delicias arbitrari?Hæc ille. Cui diuus Chrysostomus in sermone Pentecostes, studio pietatis subscribit,Ante hoc(inquit) quoties in Britannia humanis vescebantur carnibus?Nunc ieiuniis reficiunt animam.Lingua omnibus sibila.Ideo Strabo lib.4,Britannos balbutientes vocat, quos ipse Romæ viderit.

Scotusa,Straboni lib.7,vrbs est Thessaliæ Pelasgicæ.

Scribonius Aphrodiseus, Orbilii seruus atq; discipulus, mox à Scribonia Libonis filia,quæ prius Augusti vxor fuerat,redemptus & manumissus.Huius meminit Tranquillus.

Scropha Tremellius ponitur in lib.2.cap.4,Varronis de re Rustica,vbi de auo suo,Auus (inquit) meus primùm appellatus est Scropha:qui quæstor cum esset, Licinio Nerua prætore in Macedonia prouincia relictus,qui præesset exercitui, dũ prætor rediret,hostes arbitrati occasionem se habere victoriæ,impressionem facere cœperunt in castra.Auus cũ hortaretur milites vt caperẽt arma,ac exirent contra: dixit celeriter se illos, vt scropha porcos,disiecturũ : ídque fecit. Nã eo prælio hostes ita fudit,ac fugauit,vt eo Nerua prætor imperator sit appellatus,& auus cognomen inuenerit vt diceretur Scropha. Itaque proauos & superiores, de Tremelliis nemo appellatus Scropha. Nec minus septimus sũ deinceps prætorius in gẽte nostra. Hactenus Varro.

Scurgum,Germaniæ vrbs Ptolemæo authore lib.2.cap.11.vulgò Schmeben.

Scyathos, insula est cum oppido in AEgæo mari prope Thraciam,vt scribit Pomponius Mela lib.2.

Scylace,vrbs circa Cyzicum.Pomponius lib.1, Placia & Scylace,paruæ Pelasgorum coloniæ.

Scylatium,Brutiorum ciuitas authore Ptolemæo lib.3.cap.1. Scyletium hodie.vulgò Schilazo.

Scylax Cariandeus(Carianda enim Cariæ ciuitas est) Mathematicus & musicus, scripsit circuitum, mẽsurámque maris extra columnas Herculis, telluris item, præterea Antigraphen ad historiam Polybii.Suidas.

Scyllæ (inquit Seruius) duæ fuerunt: vna Phorci & Creteidos nymphæ filia,pulcherrima:quã cũ amaret Glaucus, deus marinus,dũ ipse amaretur à Cyrce,& eã cõtẽneret:illa irata fontẽ in quo Scylla solebat se abluere,infecit venenis: in quẽ cũ descendisset puella,media sui parte in ferã mutata est.Hãc postea Glaucus fecit deã marinã: quæ classẽ Vlyssis,& socios euertisse narratur.Altera verò Scylla fuit,Nisi Megarensium regis filia:cõtra quos dũ deuictis iã Atheniẽsibus pugnaret Minos, propter filii Androgei interitũ, quẽ Athenienses & Megarenses dolo necauerãt,amatus est à Scylla Nisi filia : quæ vt hosti posset placere, comã purpuream parẽti abscissam ei obtulit: quã Nisus ita habuerat consecratã,vt tandiu regno potiretur, quandiu illam habuisset intactã.Postea &Scylla à Minoe cõtẽpta,dolore in auem conuersa est: & Nisus extinctus deorũ commiseratione, in auis

mutatus est formã. Hæc Seruius apud Virgilium Ecloga 6,
Quid loquar? aut Scyllam Nisi, quam fama secuta est,
Candida succinctam latrantibus inguina monstris,
Dulichias vexasse rates: &c.

Scylletiũ, Straboni lib. 6, Atheniensiũ colonia, eorũ qui Mnestei comites fuere: hoc tẽpore Scylatium vocatur: Virgilio verò AEneid. 3. Scylacæũ, Caulonísq; arces, & nauifragũ Scylacæũ.

Scylleum, Peloponnesi promontorium, & oppidum Brutiorum in Italia, vt est author Pomponius Mela lib. 2.

Scyllias, Herodoto lib. 8, vir quidã Scionæus, omniũ ea tẽpestate hominũ optimus vrinator, qui etiã in naufragio ad Peliũ facto, multã pecuniã Persis seruauit, multa & sibi lucratus est. hũc Pausanias Scyllin vocat, de quo inquit, Scyllis Scionæus homo cũ Cyane filia classis Persicæ, qua Xerxes Græciæ bellũ intulerat, ancoras natãdo vrinandóque præcidit ad Peliũ mõtẽ & Sepiada Magnesiæ: idque signum in Apollinis templo positum ab Amphictyonibus, quod erat commune Græciæ concilium à Nerone principe Romam translatum.

Scyllis, frater Dipœni. De quo in dictione DIPOENVS.

Scyllus Scylluntis, oppidũ Achaiæ, vt scribit Strabo quo Xenophon donatus est à Lacedæmoniis.

Scylurus, penultima producta, nomẽ viri propriũ, qui, vt Plutarchus author est, quũ relictis maribus filiis octoginta diẽ esset obiturus, hastiliũ fascẽ cuique obtẽdens, vt illũ cõfringerẽt iubebat. Id autẽ singulis se posse negãtibus, ipse singillatim educta hastilia omnia facile confregit. Ita docens illos, vbi vnà esse perseuerarent, firmos ac potentes fore. Imbecillos autem si separarentur ac dissiderent.

Scyros, insula est in mari AEgæo vna ex Cycladibus, & Lycomedis regis patria, in qua Achilles sub puellari habitu adoleuit: atq; eius regis filiã Deidamiã vitiauit, quæ ab insula, & ipsa Scyrias est appellata. Ouidius lib. 1. de arte amandi,
Scyrias AEmonio victa puella viro.

Scytha, Herod. li. 4. Herculis filius, à quo Scythiã dictã putat.

Scythes, Plinio lib. 7. cap. 56, ouis fuit filius, qui primus arcus, sagittarúmque vsum reperisse dicitur.

Scythia in vniuersum duplex est, Europea & Asiatica. Europea vt lib. 2. Põponius Mela indicat, & lib. 4. Plinius, secũdũ Tanais ripã & Mæotidis atq; Euxini litus adusque Istri ostiũ expãditur. Gẽtiũ animorúmque eius Plinius, Strabo, Solinus, Herodotus, Dionysius meminerũt. Asiatica à limitibus oppositorũ litorum

in Oriētē procurrit, Oceano à Septētrione, à Meridie Tauro terminata: quanquam ab occasu in Cappadociā & Armenias eius gētis ditio processit. Eius quæ in Indiā vergit, accolas Dionysius Australes nominat, quòd ab Arctico frigore longius absunt. In tota variæ, ac propè innumeræ gentes, sæuæ, & ad bella magis, quàm vllũ humanitatis studiũ idoneæ: quas lib.6. Plinius, & Strabo 11. multis enumerant. De Scythicis populis nõ indigna lectu Rhodiginus Cælius 24. cap. lib. 10.

Scythopolis, vrbs est in Decapolitana regione Syriæ, vt scribit Plinius cap. 18. lib. 5.

Scythotauri, Vide TAVRI.

S E

Sebaste, vrbs Iudææ, antè Samaria dicta, quā Herodes Sebastā appellauit. Author Strabo li. 16. Meminit huius Plinius li. 5. ca. 13.

Sebastopolis, Põti Cappadocii vrbs Ptolemæo libro 5. cap. 6. Vulgò S. Gregorius.

Sebennytum, vrbs in AEgypto, vbi & palus & amnis sunt cognomines. Inde Sebēnyticũ, vnũ ex ostiis Nili, quod teste Herodoto lib. 2, in duo alia diuiditur, scilicet in Saiticũ & Mēdesium. De Nili ostiis pulchrè Plinius cap. 10. lib. 5, & Strabo libro vlt.

Sebethus, fluuius sæpe à Iouiano Pontano celebratus, prope Neapolis mœnia labitur. Huius quoque Maro, Statius & Columella meminerunt.

Sebinus, Plinio lib. 3. cap. 29, lacus Istriæ inclytus, quē facit fluuius Lollius apud Sarnicum, vallis Calepinæ oppidum. Hodie vulgus ipsum lacum Isei appellat.

Secundus, sophista Atheniensis, quē aliqui Epithyrũ vocant, quòd architecti filius fuerit, multæ quidē doctrinæ, mediocris eloquētiæ, æqualis æmulúsque Herodis Attici: ex quo Herodes illud Hesiodi elegāti mutatione in eũ cauillatus est, Figulus æqualē exagitat, tũ rhetora tecton. Qui nihilominus senem postea moriētē, & epicedio & lachrymis honorauit. Ex Philostrato.

Secũdus alter, Tridentinus, vir sanctus, Agilphi regis Longobardorum tempore, scripsit breuiter Longobardorum historiam. Author Paulus Foroiuliensis.

Segesta, oppidum Siciliæ ab AEnea conditum, vt scribit Cicero act. 6. in Verrem.

Segobrida, Straboni lib. 3, Celtiberorum vrbs, circa quā Sertorius & Metellus prælium commiserunt.

Segusium, Ptolemæo lib. 3. cap. 1, Segusianorum vrbs in Græcis Alpibus. vulgò Sion.

Seleucia, vrbs Syriæ, à rege Seleuco dicta, Põponio Melæ lib. 1.

Seleucus, vnus fuit ex principibus Alexandri, qui post Alexandri mortem primus in Syria regnauit. De quo Appianus clarissimus historicus Græcus in Syrico.

Selinus, Straboni lib. 8, nomen trium fluuiorum, quorum vnus in AEgiorum agrũ labitur. Alter Ephesiæ Dianæ templum præterfluit. Tertius per Eleam oram agellum prætercurrit. Est & eidem alius in Megarensium tractu, Hyblæ vicinorum, quos Pœni eiecere.

Selymbria, ciuitas in Propontide propinqua Byzantio, teste Herodoto lib. 6.

Semele, filia Cadmi regis Thebarũ, ex qua Iupiter Bacchum genuit, teste Horatio in 1. Carm. Ode 19,

Mater sæua Cupidinum
Thebanæque iubet me Semeles puer,
Et lasciua licentia
Finitis animum reddere amoribus.

Semiramis, Assyriorum regina, vxor Nini primi regis. De hac prudentissima, & viri nomine digna fœmina lib. 3. Diodorus, itẽ Valerius Maximus, Iustinus, Orosius, Iuuenalis, Eusebius, Augustinus, Iosephus, Philostratus, Propertius scripserunt. Ea mulierum omnium, quarum ex historia ad nos perlata notitia est, lõgè celeberrima: quámque cum Cyro præcipue Alexãder admiratus fuerit, quòd in illa & magnitudo quædã animi, & rerum claritas plurima enituisset, dicitur, cum sibi iã monumentum, in quo perfuncta humanis, recõderetur, strueret, inscriptionem eiusmodi exculpendam curasse, Quicunque ex regibus pecuniæ inopiam senserit, conditorio recluso sumat inde quicquid visum fuerit. Id cum legisset Darius, vt qui auri foret auidior, sepulchrum iussit recludi, sed in eo pecuniã quidem inuenit nullam, in eas autem incidit literas, Ni malus vir fores, & pecunia prorsum inexplebilis, non vtique mortuorum loculos moueres: exprobratione lepida in sacram auri famem, vt eminentissimi authores tradidere. Hæc Cælius Rhodiginus cap. 37. lectionum antiquarum.

Sempronii præclara gesserunt, quorum seriem legito apud Volaterranum lib. 19.

Sena, vrbs Hetruriæ octingentis stadiis à Roma distans. Profertur etiam numero multitudinis Senæ Senarum. De qua Plinius cap. 5. libro 3. Est & insula in mari Britannico Pomponio Melæ.

Senecæ duo fuerunt: M. Anneus Seneca Senecæ philosophi pa-

ter,patria Cordubēsis & equestris ordinis, ac eruditissimus fuit, vt cui declamationes quæ filii dicuntur esse nonnulli tribuant. Martialis duos Senecas vnicúmque Lucanum commemorat.

Senogallia,Italiæ vrbs,quam Plinius & Ptolemæus infra Anconam Ariminum versus statuunt. Pomponius Mela lib.2,Senogallia maritima ad Aterni fluminis ostia.

Senones,Galliæ Lugdunensis populi,vt scribit Plinius capite 18.lib.4. Hi quondā cum exercitu Italiam ingressi vrbem Romam ceperunt,vt idem author est cap.15.lib.3.

Senta Fauna,filia fuit Pici regis, & coniunx Fauni fratris sui, teste Lactantio. Hanc Varro scripsit tantæ pudicitiæ fuisse, vt nemo illam dum vixit,præter suum virum mas viderit,nec nomen eius audierit. Propter quod in operto mulieres illi sacrificabant,& Bonam deam nominabant.

Sentica, Hispaniæ vrbs, Ptolemæo li.2.cap.6.vulgò Simācas.

Sentinum, Italiæ oppidū in finibus Vmbriæ & Piceni, à quo Sentinates populi dicti,quorum meminit Plinius cap.14.lib.3.

Sepia,scopulus est,teste Herodoto,diuersis in locis iuxta litora Atheniensium.

Seplasia,fuit forum Capuæ, in quo vnguentarii negotiabantur:cuius deliciis fractam fuisse Punicam ferociam testaturValerius Maximus lib.9.Cicero cōtra Rullum,Iam verò qui metus tunicatorum illorum in Albana & Seplasia. Hinc Seplasiarius,pro vnguentario & effœminato.Lampridius in Heliogabalo,Pinxit se vt cupedinarium, & Seplasiarium vt popinarium. Hoc autem dicebat, propter vnguenta quæ Seplasiæ conficiebantur.

Septentriones,sunt septem stellæ ex quibus quasi iuncti triones figurantur.Scribit Varro triones rusticorum vocabulo boues vocari,quasi teriones,hoc est,arandæ terræ ac colendæ idonei.Vel ideo magis hæ septē stellæ Triones appellatæ sunt,quoniam ita sitæ sunt,vt ternæ quæque stellæ proximæ inter se,trigona,id est triquetram figuram constituant, quam recentiores vocant triangulum. Ex septem siquidem stellis duæ pariles vno in loco videntur, quæ pro bobus accipiuntur, reliquæ quinque plaustri figuram designāt.Itaque & proximum huius sydus Bubulcus,id est Bootes appellatur,qui more bubulci currū sequitur.Hoc sydus à figura,quia simile plaustrovidetur,antiqui Græcorum ἅμαξαν,id est plaustrum dixerunt: nostri à bobus iūctis, Septentriones appellarunt. Ab his etiam ventus spirat, qui Austro obiectus est:& Latinè Septentrio,& Septentrionalis ventus,

& Septētrionarius. Græcè verò, quòd ab Arcto flat, Aparctias appellatur.

Sequana, Galliæ fluuius, Celtas à Belgis diuidēs, authores Cæsar & Pomponius Mela.

Sequani, Galliæ populi in Burgūdia. De quibus Cæsar in Cōmentariis, & Plinius cap.17. lib.4.

Seranus, cognomen cuiusdā Romani nobilissimi: sumptum à sero, pro semino, seu planto. De hoc Cornutus, Q. Cincinnatus cum suū agrū & araret & sereret, dictatura ei à populo Romano delata est. Hic contra Samnites profectus, victor extitit: vnde à serendo Seranus appellatus est.

Serapion, AElianus dictus, orator Alexandrinus, scripsit ad Adrianum principem Panegyricum, orationes in genere deliberatiuo, apud Alexandrinos. Itē vtrum Plato iure remouerit Homerum à sua republica: præterea artem rhetoricā. Author Suidas. Serapion, pictor cognominatus Rhyparographus, author Plinius lib.35, cap.10. Serapion, præsul Antiochenus sub Commodo principe: cuius meminit Hieronymus. Serapion, alter. Christianus, qui ob elegantiā ingenii, scholasticus meruit cognominari, charus Antonio monacho: scripsit contra Manichæos egregium volumen, & quædam alia: laudatus etiā ob fidei constantiam sub Constantino principe, vt idem Hieronymus author est.

Serapis, deus apud AEgyptios, qui apud Græcos Pluto. Huius meminit Cicero lib.3. de natura deorum, & multis Cælius Rhodiginus cap.34. lib.1. antiquarum lectionum.

Serbonis, palus est, iuxta quam est mons Cassius, teste Herodoto lib.2.

Seres, Scythiæ Asiaticæ populi, à quibus nobilis illa lana ex arboribus, ex qua fit sericū, aduehi dicitur. Hi ex Virgilio, Plinio, Strabone, Solino notissimi sunt. De quibus Marcellinus lib. suæ historiæ 23: Agunt (inquit) ipsi quietius Seres, armorum semper & præliorum expertes, vtique hominibus sedatis & placidis est otiū voluptabile: nulli finitimorū molesti, cæli apud eos iucūda salubrisq; tēperies, aeris facies mūda, leuiúmq; vētorum commodissimus flatus, & abūdè syluæ sublucidæ, à quibus arborum fœtus aquarū asperginibus crebris velut quædā vellera mollientes, ex lanugine & liquore mistā subtilitatē tenerrimā pectunt, nētésq; subtegmina, cōficiūt sericū ad vsus antehac nobilium, nunc etiā infimorū sine vlla discretione proficiēs: ipsi præter alios frugalissimi, pacatioris vitæ cultores, vitant reliquorū mor-

taliũ cœtus.Cúmq; ad coeméda fila,vel quædã alia trãseunt flumen aduenæ, nulla sermonũ vice propositarũ rerũ pretia solis oculis æstimãtur,& ita sunt abstinẽtes apud tradẽtes genita,nihil ipsi cõparãt aduẽtitiũ Hæc Ammianus Marcellinus. Cæterùm vt plurali numero Seres dicitur, ita singulari Ser & Seres, Virgilius Georg.2,

Quid nemora AEthiopum molli canentia lana,

Velleráque vt foliis depectant tenuia Seres? Lucanus,Sub iuga iam Seres,iã barbarus isset Araxes. Sidonius Apollinaris,

Assyrius gẽmas,Ser vellera,thura Sabæus. Ex Hermolao.

Sergestus,AEnææ nauta apud Virgilium lib.4.AEneid.

Mnesthea, Sergestúmque vocat,fortémque Cloanthum.

Seria,Hispaniæ vrbs apud Ptolemæum lib.2.cap.4.Plinio Fama Iulia dicta.

Seriphos,insula vna ex Sporadibus in AEgæo mari:quam notiorem fecerunt ranæ,cognomẽto Seriphiæ:quæ illic non coaxant,orto inde adagio,Rana Seriphia, in mutos aut taciturnos. Plura Erasmus in Chiliadibus.

Sermyla, ciuitas in Sithonia Macedoniæ, vt scribit Herodotus lib.7.

Seropta,ciuitas Phœniciæ,apud quam nascebatur vinum laudatissimum.Vnde Seroptanum vinum. Sidonius,

Quǽque Seroptano palmite missa bibas.

Sertorius,è Nursia oriũdus,partiũ Marianarũ fuit vnà cũ Cinna: moderatius tamẽ se gessit quàm alii. Sylla redeunte è bello Mithridatico, vrbéq; potito, ipse quoque in Hispaniã auffugit: vbi breui tẽpore ob virtutẽ,sibi gratiã earum gẽtium conciliauit,traditúrque per eũ Hispanos,disciplinã rei militaris Romanã didicisse,ac fortiores deinde fuisse.Nã præter artẽ rei militaris abstinẽtissimus etiã voluptatũ,tũ religiosus est habitus,quòd ceruã quandã secum in expeditionibus haberet sequẽtẽ,quam Dianæ numẽ dicebat esse,ex eáq; respõsa accipere, résq; gerẽdas auspicari.Quare dux Lusitanorũ delect',paruis copiis multas vrbes subegit.Sed & quatuor Romanorũ duces cõtra se missos variis cladibus afflixit.Primũ Cottã nauali prælio superauit,Phidiã Hispaniæ prætorẽ cũ duobus millibus ciuiũ Romanorũ interfecit,Domitiũ procõsulẽ cõtriuit.Postremò Toraniũ à Metello missum cum toto exercitu deleuit. Denique à Perpenno socio suo belli & eiusdem factionis per proditionem in cœna interfectus est.Ex Plutarcho.

Seruiliorum gens notissima ex Volaterrano lib.19.

Sesamus,vrbs Paphlagoniæ.Mela li.1.in descrip.Paphlagoniæ.

Sesostris, rex AEgypti qui conatus est nauigabilem alueũ ex rubro mari in Nilum producere, vt scribit Herodotus lib.2.

Sestos, vrbs ad Hellespontũ sita, in Thracia, Abydo obiacens, Leandri amore pernobilis, vt scribit Pomponius Mela lib.2.

Setabis, amnis & oppidum Hispaniæ, cuius meminit Silius libro tertio,
Sedentana cohors, quam Sucro rigentibus vndis,
Atque altrix celsa mittebat Setabis arce,
Setabis, & telas Arabum spreuisse superba,
Et Pelusiaco filum componere lino. &c. Inde sudaria Setaba Catullus dixit. Quod de vrbe dictum, quanquam res indicat, fluuium tamen esse Setabin, Strabo, Plinius, Ptolemæus, & Pomponius testatur lib.2. in descriptione Hispaniæ.

Setia, vrbs Campaniæ, ex cuius agro Setinum vinum commendatur Plinio lib.3. naturalis historiæ.

Setubia, Ptolemæo libro 2. cap.6, vrbs Hispaniæ, alio nomine Sepulueda.

Seuerus, proprium multorum virorum nomen, vt Seueri Cæsaris, Seueri Attilii ad quem Lactãtius scripsit duo epistolarum volumina, cuius meminit Hieronymus. Est & Seuerus, proprium montis in Italia, cuius meminit Virgilius, authore Seruio, Qui tetricæ horrentes rupes, montémque Seuerum.

Sextius Caballus, scurra maximus, qui à calcitratu Caballi nomen adeptus est. Martialis,
Qui Galbam salibus tuis, & ipsum
Posses vincere Sextium Caballum.

Sextus, philosophus Cheronensis, Plutarchi nepos, qui doctor fuit Marci Antonini imperatoris. De quo Iulius Capitolinus, Audiuit & Sextum, philosophum Cheronensem.

S I

Sibyllæ, vt author est Varro in libris rerũ diuinarũ, quos ad C. Cæsarem pontificem maximum scripsit, decem fuerũt. Prima, de Persis, cuius mentionem fecit Nicanor, qui res gestas Alexandri Macedonis scripsit. Secunda, Libyca: cuius meminit Euripides. Tertia, Delphica: de qua locutus est Chrysippus de diuinatione. Quarta, Cumæa: quam Næuius in libro belli Punici, Piso in annalibus nominauit. Quinta, Erythræa: quam Apollodorus Erythræus suam ciuem esse affirmauit: Graiísque Ilium petentibus vaticinatam, & perituram esse Troiam, & Homerum mendacia esse scripturũ. Sexta, Samia: de qua scripsit Eratosthenes in antiquis annalibus, Samiorũ reperisse se scriptum. Septi-

ma, Cumana, nomine Amalthæa, quæ ab aliis Demophile vel Erophile nominatur. Hanc fuisse affirmãt, quæ dicitur nouem libros ad regem Tarquinium Priscũ attulisse, ac pro eis trecentos philippeos postulasse: regémque aspernatum pretii magnitudinem, & derisisse mulieris insaniã: illam in conspectu regis tres combussisse, ac pro reliquis idem pretiũ postulasse: Tarquinium multo magis mulierem insanire putasse: quæ denuò tribus aliis exustis, cum in eodem pretio perseueraret, motum esse regem, ac residuos trecentis aureis emisse: quorũ postea numerus sit auctus, Capitolio refecto: quòd ex omnibus ciuitatibus & Italicis & Græcis, & præcipuè Erythræis, coacti, allatíque sunt Romam, cuiuscunque Sibyllæ nomine fuerunt. Octaua, Hellespõtica, in agro Troiano nata, vico Marinesso, circa oppidũ Gergythium: quam scribit Heraclides Ponticus, Solonis & Cyri fuisse tẽporibus. Nona, Phrygia: quæ vaticinata est Ancyræ. Decima, quæ Tyburs siue Tyburtina dicta est, nomine Albunea: quæ Tyburi vt dea colitur, iuxta ripam Anienis: cuius in gurgite simulacrum eius inuentum fuisse dicitur, tenẽs in manu librum: cuius sacra Senatus in Capitolium transtulerit. Harum omniũ Sibyllarum carmina & feruntur & habentur, præterquam Cumææ: cuius libri à Romanis occulũtur, nec eos ab vllo nisi à Quindecimviris inspici fas est. Et sunt singularum singuli libri: qui, quia Sibyllæ nomine inscribuntur, vnius esse creduntur: suntque cõfusi, nec discerni, ac suum cuique assignari potest, præter Erythrææ, quæ & nomen suum carmini verum inseruit, & Erythræã se nominatum iri prælocuta est, cum esset orta Babyloniæ. Omnes igitur hæ Sibyllæ vnũ Deũ prædicant, maximè tamen Erythræa, quæ celebrior inter cæteras ac nobilior habetur: siquidẽ Fenestella diligẽtissimus scriptor, de Quindecimviris dicens, ait, Restituto Capitolio retulisse ad Senatum C. Curionem cos. vt legati Erythras mitterentur, qui carmina Sibyllæ cõquisita Romam deportarẽt. Itaque missos esse P. Gabiniũ, M. Octacilium, L. Valeriũ, qui descriptos à priuatis versus circa mille Romam deportarunt.

Sicambri, Germaniæ populi, finitimi Menapiis, ad vtranque regni ripam, quorum meminit Strabo lib. 4.

Sicani (inquit Seruius) secundum nonnullos, populi sunt Hispaniæ à fluuio Sicori dicti. Lucanus,

Hesperios inter Sicoris non vltimus amnis. Hi, duce Siculo, venerunt ad Italiam, & eam tenuerunt exclusis Aboriginibus. Mox ipsi pulsi ab illis quos antè pepulerant, insulam vicinam

Italiæ occupauerunt: & eam Sicaniam à gentis nomine, Siciliam verò à ducis nomine dixerunt: quanquam Thucydides dicat de Sicilia Italum regem venisse, & ab eo esse Italiam appellatam. Hæc Seruius illud Virgilii enarrans lib. AEneid. 8,
Tunc manus Ausoniæ, & gentes venere Sicanæ. De hac vide infra in dictione SICILIA.

Sichæus, Didonis maritus, qui & Sicharbas dictus est, teste Seruio apud Virgilium lib. AEneid. 1,
Huic coniunx Sichæus erat ditissimus agri
Phœnium, & magno miseræ dilectus amore:
Cui pater intactam dederat, primísque iugarat
Ominibus, &c.

Sicilia, quod Ouidius libro 15. Metamor. & Claudianus de raptu Proserp. lib. 1. confirmat,
-Trinacria quondam
Italiæ pars vna fuit. Et Plinius libro tertio cap. 8, Sicilia quondam agro Brutio cohærens, mox interfuso mari auulsa est. Nam Siciliam Italiæ, Cyprum Syriæ, Eubœā Bœotiæ, Eubœæ Atalantem & Macrim, &c. creditum est, vt idem Plinius cap. 88. lib. 2. annotauit. Sicania dicta est hæc insula à Sicano rege, qui, vt Solinus & Capella scribunt, cum Iberica manu in eandem terram ante bella Troiana peruenit: dehinc Siculus, Neptuni filius, à quo nomen commutatum: nam Trinacria dicta, quòd tribus promontoriis triangula est. Ouidius lib. Fastorum 4,
Terra tribus scopulis vastum procurrit in æquor
Trinacris, à positu nomen adepta loci.
Et Silius libro tertio,
Huc AEtnæa cohors Triquetris quam miserat oris
Rex Arethusa tuus. Elegantissima est huius insulæ descriptio apud Claudianum libro de raptu Proserpinæ primo. Meminit & Lucretius libro primo. Silius Italicus lib. 14. Inter historicos Diodorus 6. lib. & 16. Polybius libro belli Punici 1. Locorum verò Siciliæ freqūes est apud Ciceronem in Verrinis, Thucydidem lib. 6. mentio. Aliàs ex professo Dionysius, Strabo li. 6. Plinius li. 3. ca. 8. & multa ad eius imitationem Iulius Solinus.

Sicinius dentatus, strenuus bellator, qui ob ingentem fortitudinem Achilles Romanus appellatus est. Is pugnasse dicitur centum & viginti prœliis. Cicatricem auersam nullam, aduersas quadragintaquinque tulisse fertur. Coronis aureis octo donatus est. Triumphauit cum imperatoribus suis triumphos nouem. De hoc vide Plinium libro septimo capite 28. item libro

22.capite quinto.

Siculum mare,Bocatio,ambit Siciliam,à qua ita denominatur.Ab Occasu Sardum habet,ab Aquilone Tuscum,ab Oriente Ionium,à Meridie Africum. Hoc mare, teste Strabone lib. 1.eadem cum Oceani æstuariis pati dicitur. Quolibet enim die, ac nocte bis fluxum alternat,sicuti & Oceanus bis inundat,totiésque recidit.

Sicynus,insula est quam Plinius libro 4.ca.12, inter Sporadas numerat,vt etiam adnotauit Vadianus.

Sicyon,vrbs vetus Achaiæ,à qua Sicyonii:quorum vetustissimus rex AEgialeus terram illic latè tenuit,vt Pausanias in Corinthiacis refert.In Sicyone spectatissima quondam Occasionis imago extitit, authoris Lysippi, cuius erudita est apud Politianum in miscellaneis explicatio. Regiuncula & ipsa Sicyonia dicta. E Sicyone Aratus ille fuit, cuius meminit in catalogo præstantium virorum Plutarchus. Iuxta Sicyonem Asopus fluit,olea lauróque virens.

Sida,Pamphiliæ vrbs est,vt scribit Pomponius Mela libro 1.in descriptione Pamphiliæ.

Sidon,Phœniciæ (inquit Mela) opulenta, antequam à Persis caperetur, maritimarũ vrbium maxima. De Sidoniis & Tyriis scribit Iustinus lib.18.

Sidrona,Ptolemæo lib.2.cap.17,Dalmatiæ vrbs: aliis Stridona.vulgò Sdrigna:S.Hieronymi patria.

Siga,ciuitas,Colonia Mauritaniæ Cæsariensis,authore Ptolemæo lib.4.cap.2,Siphacis & Bochi regia:hodie vulgò Zersen.

Sigæum,Troiæ promontorium. Seruius, Duo sunt (inquit) Troiæ promontoria,Rhœteum & Sigæum,quod dictũ est propter Herculis taciturnitatem,qui prohibitus hospitio simulauit abscessum,& inde contra Troiam per silentium venit, quod dicitur σιγή. Hactenus Seruius enarrãs illud Virgilianũ 2. AEneid. Sigæa igni freta lata relucent.

Signia,Plinio lib.5.cap.29,mons est,in cuius radicibus sita est Apamia.

Silarus vel Silaris,Lucaniæ amnis, cuius hæc natura est, vt in eum non virgulta modo immersa, verum & folia lapidescant, aliàs salubris potus eius aquæ.Plinius lib.2.cap.103. Silius item Italicus libro octauo,

Nunc Silarus quos nutrit aquis,quos gurgite tradunt
Duritiem lapidum mersis inolescere ramis. Hoc amne Lucanus ager terminatur.

Silenus, Bacchi nutritius, vel pædagogus. De quo Virgilius Ecloga 6,

-Chromis & Mnasylus in antro
Silenum pueri somno videre iacentem.

Silia, fluuius est: de quo Strabo libro decimoquinto, In regione mõtana, Siliam flumen esse, in quo nihil innatet, quanquam id Democritus nõ credat, qui multam Asiæ partem peragrauit: sed nec id Aristoteles concedit: etsi aeres quidam sint adeò tenues, vt nulla in eis volatilia inueniantur.

Silis, Plinio lib.3.cap.18, fluuius est Venetiæ ex mõtibus Taurisanis fluens. Silys verò cum y Græco, nomen est, quo, vt idẽ testatur, Scythæ Tanaim fluuium appellant.

Sillura, insula in Oceano Britannico, vt Solinus inquit, cuius homines numos refutant. Dant res & accipiunt mutationibus.

Silphii, populi Libyci ab insula Plateæ vsque ad os Syrtium protensi, teste Herodoto lib. historiarum quarto.

Simichida, pastor, ponitur Theocrito in carmine Bucolico, quem enarratores ipsius Theocriti patrem dicunt fuisse.

Simmias, philosophus Thebanus, scripsit dialogos XXIII, qui ordine à Diogene Laertio commemorantur.

Simoesius, vir Troianus, sic dictus quòd ad ripas Simoentis fluuii natus esset. Is ætate florens, necdum vxorem sortitus, ab Aiace Telamonio interfectus est, vt author est Homerus libro Iliados quarto.

Simois, fluuius Troiæ ex Ida monte profluens, qui tandem Xantho commiscetur. Cuius multa mentio est apud Virgilium lib.1.& 11. AEneidos.

Simones plures. hoc nomen post Philippum Græcis, Latinis, Hebræisque pariter commune. Ex his antiquissimum sanè legimus Atheniensem ac philosophum Socratis discipulum fuisse, qui scripsit dialogos XXXIII. Alius fuit qui scripsit de arte Rhetorica. Alius medicus. Alius sculptor: quorum omnium author Diogenes Laertius. Simon Magnesius musicus egregius, qui & ipse superiorum musicorum more corrupto, Simodiam introduxit, quemadmodum etiam & Lysis Lysiodiam. Strabo libro decimoquarto. Simon Cõstantinopolitanus, ludi magister, annos abhinc circiter ducentos composuit Græcè Metaphrastas, id est sanctorum vitas, quæ habentur in bibliotheca Vaticana. Ex Hebræis verò Simonem magum legimus, caput & authorem totius hæreseos. De quo Eusebius lib. secundo latissimè: & Iustinus in apologia ad Antonium principẽ, in hanc

ſententiam ſcribit, Simon quidam Samaritanus ſub Claudio principe,artibus magicis & ope dæmonum ſubleuatus in vrbe noſtra,complurimis per phantaſiam deceptis, deus eſt creditus, & honore ſimulacri donatus,à vobis inter duos pontes Tyberis colitur, cum titulo literis Latinis deſcripto, Simoni deo ſancto.Quem omnes penè Samaritæ,& nonnulli alii, tãquam deũ adorant ac fatentur. Sed & Selenem quandã erroris comitem, quæ prius in lupanari fuit apud Tyberiadem, cum ipſo conſecrauerunt. Similia quoque Irenæus in primo aduerſus hæreſes libro.Simon item ille qui à Petro ſpiritus ſancti gratiam mercari volebat,vnde vitio nomen inditum:aliíque cõplures, præter Apoſtolum. Præter hos,Simon Tridentinus puer. Hic ſedente Sixto quarto pontifice, die Veneris ſancti à Iudæis clàm comprehenſus,ac omnibus cruciatibus prius affectus,demũ cruci affixus eſt.Ex quo templum ei velut martyri dicatum.Volaterranus.

Simonides, Cæus poeta Melicus. De quo Cicero in Oratore, Simonides (inquit) Cæus primus artem memorandi inueniſſe fertur.Cum cœnaret in Theſſalia Simonides apud Scopam fortunatum hominem & nobilem,ceciniſſétque id carmen, quod in eum ſcripſiſſet, in quo multa ornandi cauſa poetarum more,in Caſtorem & Pollucem ſcripta fuiſſent,nimis illum ſordidè Simonidi dixiſſe,ſe dimidium eius ei,quod pactus eſſet pro illo carmine,daturum:reliquũ à ſuis Tyndaridis, quos æquè laudaſſet peteret, ſi ei videretur. Paulo poſt eſſe ferunt nuntiatum Simonidi vt prodiret,iuuenes ſtare ad ianuam duos quoſdam, qui eum magnopere euocarent:ſurrexiſſe illum ipſum,prodiſſe,vidiſſe neminem.Hoc interim ſpatio conclaue illud, vbi epularetur Scopas, concidiſſe, ea ruina ipſum oppreſſum cum ſuis interiiſſe: quos cum humare vellent ſui, nec poſſent obtritos internoſcere vllo modo, Simonides dicitur ex eo quòd meminiſſet,quo eorum loco quiſque cubuiſſet,demonſtrator vniuſcuiuſque ſepeliendi fuiſſe.Hac tum re tunc admonitus inueniſſe fertur, ordinem eſſe maximè, qui memoriæ lumen adferret. Hactenus Cicero. Plinius octauam chordam in lyra inueniſſe ſcribit:Euſtachius verò tres duplices literas,ξ,ψ,θ. Simonides, Iambicus poeta.De quo Quintilianus libro 10.cap.1,Simonides tenuis,alioqui ſermone proprio, & iucunditate quadam commendari poteſt: præcipua tamen eius in commouenda miſeratione virtus,vt quidã in hac eum parte omnibus eiuſdem operis authoribus præferant. In quibus ſanè diſſidere videtur au-

thores.Iābicum poetam Strabo fuisse dicit: Suidas verò Carystium siue Erythreū,qui scripsit Græcorū apud Aulidē conuentum,trimetrorū libros duos,& alia. Præter hos, alios duos ponit: vnū filiū sororis Simonidis Cæi, cognominatū Melicertā, qui ante bellū Peloponnesiacum fuit,scripsítque genealogiam libris tribus.Alterū Simonidē Magnetē,poetā Antiochi magni tēpore,cuius res gestas scripsit,ac bellū aduersus Galatas.Suidas

Sinada,ciuitas Asiatica ad Cariæ fineis.De hac Strabo libro 12. sic scribit,Sinada,vrbs est nō magna,ante quā planities iacet oleis cōsita,sexaginta ferè stadiorū.Vlterius est Docimia vicus,& Sinadici lapidis lapicidifodina(sic enim eum Romani appellāt) Indigenæ verò Docimitē & Docimeā.Vena in initio paruas glebas emittebat, nūc propter maximos Romanorū sumptus colūnæ integræ & ingētes extrahūtur, & varietate Alabastritæ lapidi proximæ.

Sinarū regio,authore Ptolemæo li.7. cap.3, terminatur à Septentrione parte Serum exposita, ab ortu Solis atque meridie terra incognita, ab occasu India extra Gangem.

Sinon,insignis proditor apud Virgiliū.De quo Seruius, Autolycus quidā fur fuit,qui se varias formabat in species.hic habuit liberos, Sisyphū, vnde natus est Sinon:& Autoliā,vnde Vlysses. Cōsobrini ergo sūt:nec immerito Virgilius Sinoni dat & fallaciā,& proditionis officiū,ne multū discedat à fabula:quia secūdū Euphorionem Vlysses hoc fecit.Hæc Seruius enarrans hunc locum Virgilii 2.AEneid.

-nec si miserum fortuna Sinonem
Finxit,vanum etiam,mendacémque improba finget.

Sinonia,Plinio lib.3.ca.6, insula Corsicæ vltra Tiberina ostia in Antiano.

Sinope, vrbs Ponti Cynici, Diogenis patria, gymnasio olim clarissima fuit, & rubrica Sinopica cognominata celebris: hæc ibi nata Ibera multò nobilior est. Cuius Strabo lib.7. & Vitruuius vt optimæ meminerūt.Cicero in oratione pro Pōpeio haud obscurè indicat in Sinope & Amiso Mithridatis olim domicilia fuisse omnifariis rebus ornatissimā refertissimáq;.De Sinope item Strabo lib.12.& Valerius Flaccus lib.5.

Sinuessa,teste Plinio li.3.cap.5,ciuitas mediterranea Cāpaniæ, vino satis abūdās, quod Sinuessanū dicitur. De hac Liuius li.10, In saltu vestino Falernū cōtingente agrū,Sinope dicitur Græca vrbs fuisse.Sinuessa deinde à Romanis colonis appellata.Strabo lib.5,Sinuessa in Sētino sita est sinu,à quo nomē vēdicat.Ei pro-

ximæ calidæ sunt balneæ ad ægritudines quasdam accommodatissimæ.

Sinus magnus Ptolemæo, in India is est, quem mare de Sur hodie vocant, ad quem Hispani versus occidentem nauigando perueniunt, terrestri itinere duorum dierum interiecto.

Siphnus, insula est vna ex Cycladibus in AEgæo. authores Plinius, Strabo, & Pomponius Mela lib.2. Hæc insula locupletissima erat, teste Herodoto li.3. vt in qua auraria & argẽtaria metalla essent, vnde tantum pecuniæ fiebat, vt ex decima eius parte reponeretur apud Delphos thesaurus locupletissimo cuique par, Siphniis pecuniam (quæ quotannis conficiebatur) distribuentibus.

Sipontum, vel (vt Graii dixere) Sipyus, vrbs est Apulorũ. Author Pomponius lib.3. cap.1. vulgò Siponto.

Siraces, populi meridiẽ versus, vsque ad Caucasi montes descendunt. Author Strabo lib.11.

Sirenes (inquit Seruius) secundũ fabulã partim virgines fuerunt, partim volucres, Archeloi fluminis & Calliopes musæ filiæ. Harũ vna voce, altera tibiis, alia lyra canebat: & primò iuxta Pelorũ, pòst in Caphereis insulis habitauerũt, quæ illectos suo cãtu in naufragia deducebãt. Secũdũ veritatem meretrices fuerunt, quæ transeuntes, quoniam quos ducebant ad egestatem, his fictæ sunt inferre naufragia: has Vlysses contemnendo deduxit ad mortẽ. Hæc Seruius apud Virgiliũ in fine libri AEneid.5,

Iámque adeò scopulos Sirenum aduecta subibat
Difficiles quondam, multorúmque ossibus albos.

Siris ab AEthiopibus dicitur Nilus, antequam totus confluat, Nam (vt inquit Plinius) nec antè Nilus dicitur, quàm se totũ aquis concordibus iunxit. Rufus ex Dionysio,

Hic qua secretis incidit flexibus agros,
AEthiopum in lingua Siris ruit: vtque Syenem
Cærulus accedens diti loca flumine inundat,
Nomine se claro Nilum trahit. & reliqua.

Dictũ Sirin autumat Stephanus & Eustathius, à Sirio, quoniã sub ortũ canis per introitum Solis in Leonem augeatur, vt Hermolaus scribit.

Sirius (inquit Seruius) stella est in ore canis: quæ quãtũ in ipsa est, pestifera est: sed pro qualitate adiacẽtiũ aut vincitur aut maioribus vtitur viribus. Hinc est quòd cũ tẽpore certo oriatur, nõ semper est noxia. Seruius enarrãs illud Virgilii libro AEneid.10,

Non secus ac liquida si quando nocte cometæ
Sanguinei lugubre rubent, aut Sirius ardor.

Sirmion,Ptolemæo lib.2.cap.16,vrbs eſt Pannoniæ inferioris procul à Danubio fluuio.

Siſamus,vrbs Paphlagoniæ,teſte Homero lib.Iliad.2.

Siſapo,teſte Plinio cap.1.lib.3.oppidum eſt Hiſpaniæ, vnde & Siſaponenſis regio in Bætica, vbi optimum minium naſcebatur,eodem Plinio authore cap.7.lib.33.

Siſcia,Pānoniæ ſuperioris vrbs,Ptolemæo lib.2.cap.15. hodie Lablatum.Lublana.

Siſigambis,vxor fuit Darii,quæ nulli ſuæ ætatis fœminæ pulchritudine ceſſit,teſte Curtio.Quam tamē victo Dario Alexander non ſolum non violauit,ſed & ſummam adhibuit curam, ne quis captiuo corpori illuderet.

Siſyphus, fuit AEoli filius,qui ob latrocinia à Theſeo fertur occiſus,& hac pœna apud inferos affici, vt grande ſaxum ſupra montem portare coactus, cum ad apicem deduxerit, continuò ad ima relaxetur.Vnde Ouidius lib.13.Metamor.

Aut petis, aut vrges rediturum Siſyphe ſaxum. Quod etiam reſpexit Virgilius lib.6.AEneid.

Saxum ingens voluunt alii,radiiſque rotarum
Diſtricti pendent.

Sithonia, regio eſt litoralis Macedoniæ verſus Thermopontum,teſte Herodoto lib.7.In hac eſt Sithon, mons maxime niuoſus.De quo Virgilius Ecloga 10,

Sithoniáſque niues hyemis ſubeamus aquoſæ.

S M

Smerdis, Cambyſæ Perſarum regis frater, quem cum Cambyſes per ſomnium vidiſſet regio throno inſidentem, metuens ne regnum occuparet,occidi iuſſit. Fuit & alter Smerdis,vt ſcripſimus in dictione PATIZITES.

Smilax,puella,quæ amore Croci iuuenis tabeſcens, mutata fertur in herbam ſui nominis,quæ ſimilis eſt hæderæ. Ouidius, Et Crocum in paruos verſum cum Smilace flores.

Smintheus,nomen eſt quo Apollo vocitatus eſt, cuius duplicem originem refert Homeri interpres. Primam hanc fuiſſe in Chriſe oppido Myſiæ, Crinim ſacerdotem Apollinis: cui deus iratus,immiſit in agros illius mures,qui fructus illius vaſtabāt. A quo exoratus deus, cum rurſum placatus peſtem hanc tollere vellet,ad Ordem paſtorem illius venit: à quo hoſpitio acceptus,pollicitúſque mali remedium,mures ſagittis omnes interfecit,eóque facto iuſſit paſtorem Crinidi indicare, ipſum Apollinem humana ſpecie apud ſe diuertiſſe,& ab eo mures occiſos:

quod audiens Crinis, templũ deo construxit, vocauitque Apollinis Sminthei, quòd eius linguæ dialecto mures σμίνθαι vocantur. Altera talis est, Quũ Cretenses aliquando coloniam deducturi essent, ab Apolline responsum acceperunt, vt ibi vrbẽ conderent, vbi eis terra geniti obstitissent. Veniẽtibus igitur ad Hellespontum, noctu mures clypeorum lora arroserũt: itaque mane cum id factum viderent, memores oraculi vrbem posuerũt, eámque Sminthiam appellauerunt.

Smyrna, vrbs Ioniæ in Asia, de qua Strabo lib. 14, Quum Lydi Smyrnam euertissent, circiter annos quadringentos in vici modum mansit habitata, postmodum Antigonus eam suscitauit, deinde Lysimachus, & nunc omnium pulcherrima est. Eius pars in monte sita est, pars maxima in campo præter portum, & gymnasium & matronarum locum. Viæ sunt in rectum pro viribus distinctæ, & lapidibus instratæ, porticus magnæ, quadratæ, plenæ & altæ. Habet etiam bibliothecam & Homereum & porticum quadratum cum Homeri templo & statua. Nam & hi maxime hunc poetam sibi vendicant, vnde & nummus quidẽ æneus apud eos Homerus vocatur: vrbis mœnia Melas amnis præterfluit, ad cæteram structuram etiam portum clausum habet. Hactenus Strabo.

S O

Soana, Ptolemæo libro 7. capite quarto, fluuii ostia in Taprobana insula.

Soanes, Vide PTIROPHAGI.

Socion, philosophus peripateticus, genere Hispanus, scripsit κέρας ἀμαλθείας, id est Cornu copiæ, librum multæ variæque doctrinæ. Author Gellius.

Socrates, Atheniensis Sophronici ex Phanarista obstetrice filius, Archelai Physici discipulus, primus omnium de moribus differere cœpit, philosophiam è cælo ad res humanas conuertendo. Cum ipse præter cæteros suo tempore mortales, & vita castissimus, & moribus patientissimus fuerit, exempla vtriusque rei constant. Nam & patientiam Gellius pulchro scommate refert: Cum vxorem Xantippem contumacius ac clamosius in se agentem diu tolerasset, postremò aqua ab ea esset perfusus, cœpit ridens dicere, Sciebam Xantippem tonantem quandoque pluituram. Castitatis illud ab AEliano memoratur, quòd Zopyrus Physiognomus dixisse fertur, Socratem ex physiognomia omnium libidinosissimum esse: ciuibus autem tanquam falsa locutum eum ridentibus, Socrates minimè mẽtitum dixit, sed

naturæ vim se animi virtute attulisse. Cicero tamē de fato non lasciuū,sed bardū ac mente stupidū & obtusum dicit.Nihil vnquam scripsisse constat, sed eius dissertationes à Platone cōmemorantur.Dæmonē se habere fatebatur, qui ei futura prædiceret.Accusatus postremò ab Atheniēsibus,quòd de diis male sentiret,ac in carcere causam dicere iussus, neglexit, & Lysiæ orationē elegantissimā respuit, vt scribit Cicero lib.1.de Oratore: Imitatus est(inquit)homo Romanus & consularis veterē illum Socratē,qui,cū omnium sapientissimus esset, sanctissiméque vixisset,ita in iudicio capitis pro se ipse dixit, vt non supplex aut reus,sed vt magister,aut dominus videretur esse iudicū:quinetiā cum ei scriptā orationē disertissimus orator Lysias attulisset, quā,si ei videretur,edisceret,vt ea pro se in iudicio vteretur,non inuitus legit,& cōmodè scriptā esse dixit: Sed(inquit) vt si mihi calceos Sicyonios attulisses, nō vterer,quanuis essent habiles & apti ad pedem,quia non essent viriles:sic illā orationē disertam sibi & oratoriā videri,fortè & virilē non videri.Hactenus Cicero,qui pluribus persequitur historiā de morte Socratis eodē li. 1.de Oratore. Solebat itē dicere Socrates,teste AEliano,otiū fratrē esse libertatis,iudicióque esse Persas & Indos,qui perpetuo liberi in otio degunt.At contrà negotiis intētos, Lydos ac Phryges qui seruiunt. Socrates alter pictor, inter cuius opera piger qui appellatur ὄκνος, spartum torquēs quod asellus arrodit. Author Plinius cap.11.lib.35. Pausanias autē dicit hūc à Polygnoto pictum. Ad hanc tabulam adludens ait Propertius,

Dignior obliquo funem qui torqueat Ocno,
Assiduúsque tuam pascat aselle famē.

Alius Socrates Constantinopolitanus,qui historiam ecclesiasticā, à tēpore apostolorum vsque ad Chrysostomū scripsit, quo tēpore fuisse par est vnus ex his qui in tripartita connectitur historia.

Socus,vir Troianus Hippasi filius,generosus animo & corporis dignitate.Hic,teste Homero,magno animo Vlyssem vulnerauit:sed ab eo deinde ipse interfectus est.

Sogdiana,prouincia Asiæ, quæ, vt scribit Ptolemæus libro 6. cap.12.à Septentrione parte Scythiæ terminatur,ab Oriente Sacis,à Meridie & Occasu Bactriana.In ea sunt vrbes,Oxiana, Maruca,& Alexandria,quam(vt Solinus ait)Alexāder tertiam condidit,ad contestandos itineris sui terminos.

Solis fons,Vide in dictione FONS SOLIS.

Solis,insula est in mari Indico, semper rubens: &,vt Solinus refert, omni animātium generi inaccessa. Quippe quæ nullum

non animal illatum necet.

Solis mensa, AEthiopiæ locus apparatis epulis semper refertus, & quia vt libet (inquit Pomponius) vesci volentibus licet, ἡλίου τράπεζαν, id est, Solis mensam appellant: & quæ passim apposita sunt, affirmant nasci subinde diuinitus. Ad quem locum Seuerus imperator, cum Alexandriam venisset, rei fama permotus, profectus est. Author Spartianus. Cælius multæ vir lectionis libro decimosexto antiquarum lectionũ scribit, Solis mensam, adagio dici diuitum opulentorúmque hominum domos, omni rerum copia vbertim affluentes, expositásque inopum necessitatibus & alimentis.

Solis ostia, de quibus Pomponius in descriptione Indiæ, loca sunt, ob æstum intolerabilem, & aquarum longo tractu penuriam, sic dicta: ideo periclitatum Alexandri illis locis exercitum Diodorus lib. 17. scribit.

Soloe, numero plurali, more Græcorum σόλοι, sicut Dioscuroe pro Dioscuri, vt placet Hermolao, ciuitas est Ciliciæ. Ab hac Solenses, vt Solensis Aratus, Chrysippus Stoicus, & Philemon, poeta comicus. Strabo libro 14. Plinius ex Polycleti tradit authoritate iuxta Solos fontem fuisse, cuius aquæ olei vicem præstiterint vtentibus. Curtius Heliopolin ceu Solis ciuitatem nominat. Vide Solinum. Eustathius, Dionysii interpres, hoc oppidum, ab epulante Solone colonis Atticis ornatum fuisse scribit: Cum verò barbari linguam Atticam paulatim coinquinassent, Solœcissare dicti sunt, & inde Solœcismi. Lege in Solonis vita Laertium & Strabonem lib. 14.

Solon, Salaminius genere, vnus è septem sapientibus, Atheniensibus leges dedit ac: eas, quas Draco tulit, præter quam quæ de cæde erant, omnes abrogandas curauit, ob magnitudinem pœnarum. Nam vna omnibus pœna cõstituta fuerat, vt etiam qui otii damnati essent, aut qui olera surripuissent, capite plecterentur. Ob quam causam Demades dicere solebat, Draconem non atramento, sed sanguine leges scripsisse. Florebat tunc in Republica Pisistratus æmulus Solonis, cui & genere propinquus erat. Illius igitur eloquẽtia plus potuit apud populũ, quàm huius sapientia. Cessit sponte Solon, tyrãnũ fugiens, primùm in AEgyptum, deinde in Cyprum, postremò ad Crœsum regem: cuius quum opes videret, ostentanti Crœso, atque interroganti num quis eo fœlicior esset: respondit Tellum quendam pauperem admodum, alioqui iustum Athenis agentem; simul affir-

mans nihil esse fœlix,quod temporum mutationi subiaceat,foe licitatem tantum finem indicare. Cuius sententiæ Crœsus postea à Cyro captus meminisse dicitur. Solon inde in Ciliciã profectus,ciuitatem à suo nomine Solos dixit,in qua Athenienses colonos statuit,qui interuallo temporis ab Attica lingua desciscentes, Solœcissare dicti sunt: vnde verbũ Solœcismus tractũ. Decessit in Cypro annorũ LXXX:mandauit ossa Salaminẽ transferri,ibíque per regionem proiici ac dissipari,ne Athenas inferrentur,quoniam discedens iureiurando ciues adegit, non antiquaturos leges suas, donec rediret. reliquit etiam conciones & epistolas quasdam.Epigramma sepulchro Cicero huiuscemodi commemorat Tuscul.quæst.lib.1,

Mors mea non careat fletu,linquamus amicis
Mœrorem,vt celebrent funera cum lachrymis. Ex Plutarcho & Diogene Laertio.

Solophytus, iuuenis fuit regius, qui cũ Ilino regio similiter per optimatum factionem,domo regia pulsus,ingẽtem iuuentutem secum contraxit,& in Cappadociæ ora consedit.

Solymi,Straboni lib.1,populi iuxta Lyciã,quos Homerus pugnacissimos fuisse scribit,& à Bellerophõte deuictos. Cornel.Tacitus de Iudæorum origine, Alii clara Iudæorũ initia Solymos carminibus celebratam Homeri gentem, conditã vrbem Hierosolymã nomine suo fecisse: vnde Iuuenalis, interpres legum Solymarum. De Solymis ita Strabo lib.15, poeta Solymos diuersos facit à Lyciis,nam Bellerophontes à rege Lyciorum missus,Hic Solymis iterum præstantibus intulit arma. Quod verò Lycios prius Solymos vocatos dicunt, postea Termilas, qui ab iis, qui cum Sarpedone ex Creta venerunt, & postea Lycios à Lyco Pandionis filio,qui cum à propria terra exisset, in regni partem à Sarpedone acceptus est, cum Homero nõ concordauit.At qui dicunt eos à poeta Solymos dici,qui nunc Milyes appellantur,melius sentiunt.

Sophilus,sicyonius,vel Thebanus comicus mediæ comœdiæ, ipsius fabulas nonnullas commemorat Athenæus.

Sophocles Atheniensis,poeta Tragicus,æqualis Periclis,eiúsque collega quandoque in prætura: docuit fabulas CXXIII, victorias retulit XXIII, authore Suida. Decessit post Euripidem annos VI.Cui styli magnitudine præfertur, licet eius sentẽtiis inferior.Filios habuit Leophontem,Leosthenem,Austonem,Stephanum,Meneclidem.Hæc ex Suida. De quo Cicero in Catone maiore sic scribit, Sophocles ad summam senectutem tra-

gœdias fecit: quod propter studium quum rem familiarē negligere videretur, à filiis in iudicium vocatus est, vt quemadmodum nostro more male rem gerentibus patribus, bonis interdici solet: sic illum quasi desipientem à re familiari remouerent iudices. Tum senex dicitur eam fabulam quam in manibus habebat, & proximè scripserat, OEdipum Colonæum recitasse iudicibus, quæsisséque num illud carmen desipiētis videretur: quo recitato, sententiis iudicum est liberatus. Hæc Cicero. Sophoclen ex insperato gaudio ob victoriam ex tragœdia quadā repentino obiisse, Valerius author est. Sophocles superioris nepos, poeta item tragicus, qui docuit tragœdias XL, vicit VIII, cōmemoratur à Suida. Sophocles etiam grammaticus, minor appellatus, enarrauit Lycophronem, Apollonium, aliósque poetas, cuius opera habemus. Sophocles alius, dux Atheniensium, Sostratidæ filius, apud Thucydidem.

Sophron Syracusanus, Xerxis & Euripidis tēpore, scripsit mimos viriles, & mimos fœmineos lingua Dorica & soluta oratione. Dicitur Plato quum in eos incideret, obdormire solitus. Fuit alter eiusdē nominis comicus, cuius meminit Athenæus.

Sophronia, matrona Romana, altera Lucretia Christiana, cū vim Decii principis videret se esse passurā, consentiente viro, adrepto gladio seipsam transfixit, ac inter sanctas mulieres est relata. Author Eusebius in historia.

Sora, oppidum Volscorum in Campania, cuius meminit Plinius cap. 5. lib. 3.

Soracte, mōs Apuliæ in quo Apollo colebatur, inquit Acron apud Horatium 1. Carm. ode 9,

Vides vt alta stet niue candidum
Soracte. & reliqua. Virgilius AEneid. 11,
Summe deûm sancti custos Soractis Apollo,
Quem primi colimus, cui pineus ardor aceruo Pascitur.

Sorani (inquit Seruius) dicti sunt populi Hirpini. Nā Lupi Sabinorum lingua Hirpi vocantur. Sorani verò, à Dite: nam Ditis pater Soranus appellatur, quasi Lupi Ditis patris. Hactenus Seruius.

Soranus, Ephesius medicus, Alexādriæ vixit. Deinde Romam venit, vbi artem exercuit, Traiani & Adriani tēporibus. Suidas.

Sosibius, grammaticus Laconicus, cuius meminit Suidas.

Sosipatra, fœmina vates ac doctissima è Libya, vxor AEdesii sophistæ, educata dicitur à quibusdam numinibus. Author Eunapius.

Sositheus Syracusanus, vnus de numero eorum qui Pleiades appellãtur apud Ptolemæum, æmulus Homeri tragici. Suidas.

Sostratus architectus, qui turrim excitauit in insula Pharo, iussu Ptolemæi Philadelphi ad ostẽtandos nocturnos ignes nautarũ cursibus, eiq; nomẽ suũ inscripsit. Fuit autẽ inscriptio huiusmodi, Sostratus Gnidius Dexiphanis filius, diis seruatoribus pro nauigantibus. Nam quũ ora ex vtraque parte importuosa & humilis esset, & cautes & breuia haberet, signũ aliquod necessarium fuit, altũ & clarũ, quo nauigãtes ad portus ingressum dirigerentur. Hæc Strabo lib. 17. Sostratus sculptor qui ex ære signa faciebat. Plinius lib. 36. cap. 12. Sostratus, Cereris sacerdos, apud Tacitũ. Sostratus vates, qui per furorẽ multa Græcis prædixit. Nã Bacchis Nauseus & Sostratus, Atheniensibus Xerxis aduentum prædixerunt, vt est author Herodotus. Sostratus itẽ Sicyonius cognomento Acrochersites, vt scribit Suidas.

Sotades, Maronites poeta turpissimus scripsit Iamborum libros, quos appellauit Cinædos lingua Ionica, vbi libidinum lasciua species & descriptio inerat. Fuere & alii duo Atheniẽses: alter comicus mediæ comœdiæ, alter philosophus qui scripsit de mysteriis librum vnum. Author Suidas.

Sotericus, Asites poeta, sub Diocletiano, scripsit Encomium Diocletiani, Dionysiaca, vitã Apollonii Tyanei, & alia. Suidas.

Soteridas Epidaurius scripsit musicæ libros tres, vt ait Dionysius.

S P

Spaco, nutrix fuit Cyri regis: quæ dictio quoniam Medorum lingua canem significat, factum est vt Cyrus creditus sit nutritus à cane, testis Herodotus in primo.

Spargapises, Herodoto lib. 1, filius Tomyridis Massagetarum reginæ, qui captus à Cyro seipsum interfecit.

Sparta, Laconiæ ciuitas, alio nomine dicta Lacedæmon, quæ canes habet laudatissimos. Virgilius Georg. 3,

Nec tibi cura canum fuerit postrema: sed vnà
Veloces Spartæ catulos, acrémque Molossum
Pasce sero pingui. & reliqua.

Spartacus, gladiator Thrax fuit, vt scribit Appianus libro 1. de bello ciuili, qui aliquando sub Romanis meruerat, & in custodia ac gladiatoriis spectaculis asseruabatur: tantúmque animi adsumpsit, vt L X X viris comitatus, pro libertate potius illos certare persuaserit, quàm in spectaculis pericula subire: itaque per vim repulsis his, qui custodiæ præerant, fuga abiit, &c. Hæc Ap-

pianus. Tandem est à M. Crasso in prælio occisus. Lucanus,
Vt simili causa caderes qua Spartacus hostis.

Sperchius, Thessaliæ fluuius, ortus in iugis Pelii montis, & velocissimo cursu in Maliacum sinum defluens. Author Strabo lib. 8. De quo etiam Virgilius Georg. 2,
-ô vbi campi
Sperchiusque, & virginibus bacchata Lacænis
Taygeta, &c.

Speusippus, philosophus, Platonis sororis filius, composuit dialogos à Diogene commemoratos. Hunc Plato quasi philosophiæ hæredem reliquit, vt scribit Cicero lib. 1. Acad. quæst.

Sphinx, fera, ab effectu nomē sortita: quòd homines suis quæstionibus ita stringeret, vt se expediri non possent. Nam Græcè σφίγγειν, constringere, vel vincire dicitur: vel quasi omnium mentes suis propositionibus ligare. Lactantius in primum Thebaid. scribit, sphinga monstrum fuisse, alas & vngues habens in similitudinem Harpyiarum: quod insidens scopulo viæ imminenti, insolubilia ænigmata transeuntibus proponebat: quæ quum soluere non possent, ex improuiso veniens, alis & vnguibus ad se in rupem trahebat. Hoc autem ænigma proponebat, Quod animal bipes, idèmque tripes, ac quadrupes esset. Cuius locutionis ambages tandem calliditate sua ita OEdipus dissoluit, vt hominem esse diceret; qui in infantia manibus & pedibus nitens, quadrupes est. Factus vir, vt qui nullo alio quàm pedum auxilio gradiatur, bipes. At in senectute, viribus deficientibus, baculo vtens, tripes. Inde origo huius adagii apud Terentium, Dauus sum, non OEdipus. Id est, seruili officio, non quæstionibus soluendis aptus sum. De Sphingibus sic Diodorus Siculus libro quarto, Sphinges & apud Troglodytas, AEthiopésque nascuntur, forma haud ei dissimili, qua pinguntur, sed paulo pinguiores. Naturam habent mansuetam, pluribus exercitiis, disciplinísq; aptam. De his & Plinius capite vicesimoprimo libri octaui, Tradunt & de his fabulæ Sphinga triforme monstrum, cuius pars vna, volucris, altera leonis, virginis tertia. Ausonius in Gripho Ternarii,
Terruit Aoniam volucris, leo, virgo, triformis
Sphinx, volucris pennis, pedibus fera, fronte puella.

Spintharus, nobilis architectus Corinthius, Delphicum templum ædificauit. Author Pausanias.

Spio, Bocatio lib. 7. cap. 14, nympha sic dicta à speluncis in quibus habitare nymphæ dicuntur. σπέος enim, spelunca dicitur.

Sporades, insulæ in mari Carpathio circa Cretam sic dictæ, quòd in mari sparsæ sint. Strabo lib. 9.

Spurina, dux regis Parthorum, qui Crassum interemit. Item Mathematicus ac vates, qui Cæsari prædixit, vt Martias caueret Idus, cuius Trãquillus in Cæsare & Valerius meminere. Tertius huius nominis adolescens egregia forma, qui cum fœminas viròsque ad libidinẽ aspectu decoro inuitaret, oris pulchritudinem vulneribus sponte dehonestauit. Author Valerius de verecundia.

S T

Staphylus, Sitheni filius, teste Plinio cap. 56. libri 7. primus vinum aqua misceri docuit.

Starcaterus, rex Danorum, qui cum Lennum quendam per nefas occidisset, pœnitẽtia ductus, eius filio Hathero se præbuit occidendum. Saxo lib. 8.

Staseas Neapolitanus, philosophus Platonicus, vt scribit Cicero de finibus bonorum & malorum.

Statius, nomen poetæ comici fuit, qui Cæcilius dictus est. Statius autem appellatus fuit, quoniã seruus fuit. Statius enim nomen seruile est. Fuit & alius poeta hoc nomine, qui heroico carmine multa conscripsit.

Statyelli, Plinio lib. 3. cap. 5, populi sunt Liguriæ celeberrimi, vnde & aquæ Statyellæ. Strabo, Via ea quæ ab oppido Genua ducit Placentiam, aquæ Statyellæ habentur.

Stennio, Bocatio libro 10. capite 10, filia Phorci, ex monstro marino suscepta: quæ debilitas interpretatur, id est, timoris initium, quodtantum mentem debilitat.

Stentor, vnus fuit è ducibus Græcorum qui ad Troiam profecti sunt, cuius tantus erat vocis sonitus, quantus aliorũ quinquaginta, vt scribit Homerus lib. Iliad. 5. Iuuenalis,
Tu miser exclamas, vt Stentora vincere possis.

Sterenontium, Ptolemæo lib. 2. cap. 11, Germaniæ vrbs: hodie Cassilium, vulgò Cassel.

Steropes, Vide in dictione CYCLOPS.

Stesibrotus, ab Epaminõda patre Thebanorum duce interfectus est, quòd contra mandatum patris cum hostibus Lacedæmoniis manũ conseruisset, quanuis parta victoria. Plutarchus.

Stesichorus, poeta Lyricus Siculus, decessit Cataniæ, quò profugus venerat, sepultúsque ante portã, quæ à nomine ipsius Stesichoria dicitur. Fratrem habuit Mamertinum, optimum Geometram: dicitur & scripsisse Helenæ vituperationẽ, ex quo exo-

culatum fuisse,rursusque ob palinodiam visum recuperasse. Vocatúsque est Stesichorus, quoniam primus cum citharæ cantu chorum instituit. nam prius Tisias vocabatur. Author Suidas. Quintilianus verò lib.10.cap.1,sic eum taxat,Stesichorus quàm sit ingenio validus,materiæ quoque ostendunt,maxima bella, & clarissimos canentem duces, & epici carminis onera lyra sustinētem.Reddit enim personis in agendo simul,loquendóque debitam dignitatem, ac si tenuisset modum. Videtur æmulari proximus Homerum potuisse, sed redundat, atque offenditur: quod vt est reprehendendum, ita copiæ vitium est. Hactenus Quintilianus.

Stesilea,mulier fuit admodum eleganti vultu, & rara in aliis pulchritudine,cuius spectabilis forma causa fuit externarum litium inter Aristidem & Themistoclem,qui eam valde amabāt. Author Plutarchus in Themistocle.

Stesimbrotus,Tarsensis Historicus,scripsit res gestas Cimonis ducis Atheniensium,vt ait Plutarchus in eius vita.

Sthenelus, Capanei & Euadnes filius in bello Troiano, cuius meminit Homerus & Virgilius lib.AEneid.2,

Thessandrus,Sthenelúsque duces,& dirus Vlysses. Fuit & alter eiusdem nominis,quem in concione Agamemnonis refert Homerus,Persei filium fuisse ex Andromeda coniuge.

Sthenobœa,vxor Prœti regis Argiuorum.De qua in dictione BELLEROPHONTES.

Stilbon,Mercurii stella est.Cicero de natura deorum libro 2, Infra autem hāc stella Mercurii est,ea στίλβων appellatur à Græcis,quæ anno ferè vertente signiferum lustrat orbem: neque à Sole lōgius vnquam vnius signi interuallo discedit, tum anteuertens,tum subsequens.Hæc Cicero.

Stilpo,Megarēsis philosophus,tēpore primi Ptolemæi discipulus Pasiclis Thebani,præfuit scholæ Megarēsi, scripsit dialogos nō minus xx.Author Suidas.De hoc Cicero in libro de Fato, Stilponē Megareū philosophū acutū sanè hominē, & probatum tēporibus illis accepimus.Hūc scribunt ipsius familiares & ebriosum & mulierosum fuisse.Neque hæc scribunt vituperantes,sed potius ad laudem: vitiosam enim naturā ab eo sic edomitam & compressam esse doctrina,vt nemo vnquam vinolentū illū, nemo in eo libidinis vestigiū viderit. Hactenus Cicero.

Stiphelus,Bocatio,vnus ex Centauris Ixionis & Nubis filius.

Stœchades,insulæ tres Massiliensiū litori vicinæ, singulis nominibus,Prote, Mese, Hype, hoc est,prima, media, & infima.

Stœchades ob ordinem quo sitæ sunt dictæ. Author Plinius capite 5.lib.3.

Stoici philosophi appellati sũt,ab στοὰ,quod significat porticũ, quo conuenire ac disserere solebant. Erat enim porticus Athenis dicta Pœcile,ex varietate picturæ. Græci enim ποίκιλον varium dicunt. In hac porticu Zeno philosophus discipulos docebat. Vnde & secta Stoica, & philosophi Stoici nuncupati sunt, qui antea Zenonii dicebantur à Zenone doctore. Hæc est illa porticus Stoicorum memoratissima, quam Chrysippus dictus est fulcire,quam pinxit Polygnotus gratuitò.

Strabo, Cretensis philosophus Geographus, temporibus Augusti,quem sæpe citamus in hoc libro.

Stragona,Ptolemæo lib.2.cap.11, Germaniæ vrbs.vulgò Possenauu.

Stratones octo fuerunt. Primus Isocratis auditor. Secundus Lampsacenus,Theophrasti discipulus.Tertius medicus qui Erasistratum audiuit.Quartus historicus.Quintus poeta Epigrammatũ.Sextus antiquus medicus,vt ait Aristoteles.Septimus Peripateticus,quivixitAlexãdriæ.Hæc Diogenes Laertius.Octauum Plutarchus Stratonẽ ponit Rhetorices præceptorẽ,ac Bruti familiarem, qui vnà cum eo in bello Philippensi fuit: solúsque adhibitus, dum ille sibi mortem consciuit. Conciliatus postea Augusto per M.Messalam qui comes ad bellum Actiacum fuit. Lachrymãs enim Messala,Hic est(inquit Augusto)qui meo Bruto gratias extremas subministrauit. AElianus quoque de varia historia, Stratonem Sidonium quendam scribit in conuiuiis valde delicatum,ac lautitia victus,amicissimum Neoclis Cyprii regis pari luxuria certantis.Vide AElianum.

Strõgyle,insula in mari Siculo,vna ex AEoliis, vt author est Plinius,& Pomponius Mela libro secundo.Dicitur & Callipolis.Vide supra.

Strophades, insulæ duæ in Ionio mari supra Zacynthum in meridiem sitæ, ab aliis Plotæ dictæ, quibus Seruius à conuersione Harpyiarum ex Arcadia volantium nomẽ datum voluit. Virgilius lib.AEneidos 3,

Excipiunt Strophades,Graio stant nomine dictæ
Insulæ Ionio in magno. Lege Seruium.

Strophius,rex Phocidis,pater Pyladis.De quo in PYLADE.

Strymon,fluuius est Thraciæ,vnde Strymonius, id est Thracius. Virgilius primo Georg.

Strymoniæque grues,& amaris intyba fibris
Officiunt.& reliqua. Rursus lib.AEneid.10,
-quales sub nubibus atris
Strymoniæ dant signa grues.

Sturæ,Plinio lib.4.cap.15,insulæ in Gallico Oceano,interHelium ac Fleuum.

Stymphalus,Arcadiæ lacus est, ex quo Erasinus fluuius erumpit in Argiuam terram.A Stymphalo, Stymphalides aues appellatæ, tantæ magnitudinis, vt solis radios obumbrare dicerētur, omnem Arcadiam deuastantes. Est & Stymphalum,oppidum situm ad lacum,vt scribit Plinius cap.6.lib.4.

Styx(inquit Seruius) palus quædam apud inferos dicitur: de qua legimus,
Dii cuius iurare timent & fallere numen. Quod secundum fabulas ideo est,quia dicitur victoria Stygis filia bello Gigantum Ioui fauisse: pro cuius remuneratione Iupiter tribuit, vt iurantes dii, per eius matrem non audeant fallere. Ratio autem hæc est,Styx mœrorem significat:vnde ἀπὸ τοῦ στυγεῖν,id est à tristitia Styx dicta est.Dii autem læti sunt semper:vnde & immortales. Ergo quia mœrorem non sentiunt, iurant per rem suæ naturæ contrariam, id est tristitiam, quæ est æternitati contraria. Ideo iusiurandum per execrationem habēt. Hactenus Seruius, enarrans hunc locum Virgilii 6.AEneid.
Quod si tantus amor menti,si tanta cupido est,
Bis Stygios innare lacus,bis nigra videre
Tartara,&c. Hæc de Styge idcirco ficta sunt,quia Styx,fons est ad Nonacrin Arcadiæ è saxis profluens, exitiosus animalibus. Eius aqua venenum est præsentissimum, epota ilico necat. Esse pisces in ea paruos tradit Theophrastus,letales & ipsos.Noxiam putant esse nimio frigore,vtpote cum profluens ipsa statim lapidescat: tradúntque etiam æs ac ferrum ea erodi, & sola mulæ vngula contineri.Cætera vasa nullo modo eam vim ferrē posse, sed statim frigoris magnitudine disrumpi. Antipatrum hoc venenum consilio,vt quidam putant, Aristotelis,Alexādro regi tradūt dedisse. Est & alia palus in AEgypto iuxta Memphim, quam veteres Styga vocauēre.A Styx deducitur Stygius,vt Iupiter Stygius,pro Plutone apud Virgilium lib.AEneid.4,
Sacra Ioui Stygio,quæ ritè incœpta paraui.

S V

Subur,est Hispaniæ oppidum ad flumen Rubricatum,vt scribit Plinius cap.3.lib.3.vulgò Cubelles.

Subura, erat celeberrima in vrbe Roma regio, ſic dicta, quòd ſub muro terreo carinarum in eo eſt Argeorum ſacellum ſextum, vt author eſt Varro.

Sueſſa, Campaniæ oppidum, vt author eſt Plinius cap.5.lib.3.

Sueſſiones, Galliæ Belgicæ populi, vt ſcribit Plinius capite 17. libri quarti.

Sueui, Germaniæ populi, Bauaris finitimi, gens valida, & bellicoſiſſima. De qua Lucanus,

Fundit ab extremo flauos Aquilone Sueuos.

Sulmo, oppidum Brutiorum Pelignæ regionis, Ouidii patria, vt ipſe teſtatur,

Sulmo mihi patria eſt gelidis vberrimus vndis,
Millia qui nouies diſtat ab vrbe decem.

Meminit & huius Plinius libro tertio cap.5.

Sunium, vicus & promontorium Atticæ regionis, quod in extima acie Helladis eſt, ſupra Athenas & Marathonem. Vide tabulam decimam Europæ apud Ptolemæum.

Surrentum, Campaniæ oppidum, quod alio nomine dicitur Petræ Sirenum. Plinius lib.3.cap.5, Surrentum cum promontorio Mineruæ Sirenum quondam ſede. De eo & Virgilius lib. AEneidos 5,

Iámque adeò ſcopulos Sirenum aduecta ſubibat.

De hoc & reliquis Campaniæ locis Plinius cap.5.lib.3.& Strabo lib.5.

Suſia, regio eſt in Perſide, in qua vetus eſt regia Perſarum, à Dario Hyſtaſpis filio condita, vt ſcribit Plinius cap.27.lib.6.

Suſiana, prouincia Aſiæ, quæ, vt ait Ptolemæus ca.3.lib.6.à Septentrione terminatur Aſſyria, ab occaſu Babyloniæ adiacet, ab Oriente habet Perſidem, à Meridie partem Perſici ſinus. Cuius ciuitates inſignes Traiana & Suſa, in qua templum Dianæ Suſiæ.

S Y

Sybaris, fuit oppidum antiquiſſimum XII millibus paſſuum ab vrbe diſtans. Quin & aliud, teſte Herodoto lib.5. quod à Crotone non lōgè abeſt, & eodem nomine fluuius Calabriæ, à cuius potu greges amouent: nam ſi de eius aqua biberint, ſternutamentis agitantur. Author Strabo libro 6. Itē iuuenis nomen apud Horatium in 1. Carminum, ode 8,

Lydia dic per omnes
Te deos oro, Sybarin cur properes amando Perdere?

Sycoris, Plinio li.3.ca.3, fluuius Hiſpaniæ, iuxta Ilerdēſes Surdaonū gētis. Lucanus, Heſperios iter Sycoris nō vltimus amnes.

Syderis,Plinio li.6.cap.16,fluuius,à quo mare Hyrcanum vocari incipit.

Syene,vrbs AEgypti,quæ Cãcri tropico ſubiacet,ideo in meridie cum in initio Cancri ſol eſt, arrecta corpora nullã faciũt vmbram.Vnde illud Lucani lib.2,

Atque vmbras nuſquam flectente Syene.

Syla (inquit Seruius)mons eſt ſyluæ Lucaniæ,cuius meminit Virgilius AEneid.12,

Ac velut ingenti Syla,ſummóve Taburno
Cum duo conuerſis inimica in prælia tauri
Frontibus incurrunt,pauidi ceſſere magiſtri.

Sylla,nobilis Romanus,teſteSalluſtio,qui ex antiqua Scipionum familia originem duxit:in adoleſcentia omnibus flagitiis inquinatam vitam egit,hoc eſt,vſque ad quæſturam:quam ſub Mario adeptus eſt, in qua vitam omnem penitus commutauit: & vt dixitValerius Maximus, catenas Iugurthæ manibus iniecit:Mithridatem compeſcuit:ſocialis belli luctus repreſſit:Cinnæ dominationem fregit:&Marium qui olim ſe quæſtorem faſtidierat, ipſam illam prouinciam proſcriptum & exulem coegit petere:fuitque literis Græcis & Latinis bene eruditus, facundus,acer,aſtutus,gloriæ cupidus,ſui ſecurus: multarum rerum & pecuniæ maximæ largitor,animo grandis: ita vt dicat Salluſtius,dubitari potuiſſe,fortior an fœlicior eſſet.Nã fœlix eò dici voluit,qnòd inimicos Marianos fœliciter vltus eſt. Dictator deinde effectus ita Remp.oppreſſit,vt,teſte Cicerone in Verrem, nemo illo inuito,nec bona,nec patriam,nec vitam retinere poſſet.Poſtremò Repub.conſtituta Dictaturam depoſuit, & priuatus Puteolos conceſſit.Quapropter Cæſar Iulius dicere conſueuit illum literas neſciuiſſe,quia Dictaturam depoſuiſſet, vt ſcribit Trãquillus.Puteolis dicitur morbo pediculari correptus interiiſſe.Vide Plutarchum.

Syloſon, Polycratis Samiorum tyranni frater. Is cum Dario Hyſtaſpis filio veſtem quam ferebat aliquãdo largitus eſſet: nã ille cum nondum rex eſſet,eam magnopere cõcupiuerat: cum verò regnaret,dono Syloſonti tyrãnidem dedit qui acerbè imperauit.Quare vrbs hominibus viduata eſt.Vnde ductũ eſt prouerbiũ ἕκητι Συλοσῶντος εὐρυχωρίη. Id eſt, Syloſontis opera locus amplus eſt.Strabo lib.Geographiæ 14.

Syluanus,deus ſyluarum.Hic(inquit Seruius)amauit Cypariſſum puerum qui habebat manſuetiſſimam ceruam.Hanc cum Syluanus neſcius occidiſſet,puer eſt extinctus dolore,quẽ ama-

tor deus in Cupressum arborem eius nominis vertit,quam pro solatio portare dicitur.Hactenus Seruius enarrans hunc locum Virgilii Georg.1,

Et teneram ab radice ferens Syluane Cupressum.

Syluia,nomẽ quo Ilia Romuli matervocata est.Virg.7.AEnei.
Assuetum imperiis soror omni Syluia cura,
Mollibus intexens ornabat cornua sertis.

Syluius,AEneæ filius,à quo postea omnesAlbani reges Syluii dicti sũt ab huius nomine:sicut hodie Romani imperatores Augusti vocãtur:AEgypti,Ptolemæi:Persæ,Arsacidæ: Latini,Murrani.Hactenus Seruius enarrans hũc locum Virgilii 6. AEneid.

-primus ad auras
AEtherias Italo commistus sanguine surget
Syluius,Albanum nomen,tua posthuma proles:
Quem tibi longæuo serum Lauinia coniux
Educet syluis regem,regúmque parentem:
Vnde genus longa nostrum dominabitur Alba.

Syma,vrbs Asiæ:quin & pro monte iuxta Põtum posuit Orpheus in Argonautica.

Symæthus,fluuius Siciliæ non lõgè ab AEtna,qui,vt ait Strabo lib.6.agrum Cataneum influit.

Syme,Plinio lib.5.cap.39, insula inter Rhodũ & Gnidum, sic dicta à Syma,Ialysi filia, cum prius AEgele atque Metapõtus vocaretur.Author Hermolaus.

Symmachus,Romanus orator,missus à SenatuConstantinopolin ad Theodosii liberos,rogatũ vt Vestales à Christianis destrui minimè paterentur. Cuius rei gratia, putabant se aduersa multa à diis esse passos. Eius igitur orationem & Prudentius & Ambrosius,qui huius meminerunt,acerrimè cõfutarunt. Fuit & Symmachus,sacrorum librorum interpres, doctrinæ parum syncerae & Christianæ,cuius meminit Eusebius.

Symplegades,insulæ duæ sunt cõtra Bosphorum Thracium, quæ & Cyaneæ dicuntur.Author Pomponius Mela lib.2:& Plinius cap.13.lib.4. Symplegades porrò dictæ sunt, quòd fabulis tradatur eas inter se aliquando concurrisse:quoniam paruo discretæ interuallo,ex aduerso intrantibus geminæ cernebantur, paulúmque deflexa acie coeuntium speciem præbebãt.Ouidius libro vltimo Metamor. -timuit concursibus Argo
Vndarum sparsas Symplegades elisarum:
Quæ nunc immotæ perstant,ventisque resistunt. Eædem Planetæ dictæ,id est errantes Plinio.AlibiValerius Flaccus lib.4.

Hic iter ad Ponti caput, errantésque per altum
Cyaneas,furor his medio concurrere Ponto:
Necdum vllas videre rates,sua comminus actæ
Saxa petunt,cautésque suas,cum vincula mundi
Ima labant,tremere ecce solum,tremere ipsa repentè
Tecta vides:illæ redeunt,illæ æquore certant.

Synesius,è Pentapoli Africæ,philosophus Christianus,præsul Ptolemaidis factus,scripsit libros in grãmatica,philosophia, Panegyricos,epistolas,& alia.Author Suidas.

Syphax,Numidarum rex,cuius sæpe meminit Liuius.

Syracusæ,vrbs Siciliæ clarissima.Cicero act.4.contra Verrem vbi de Marcello,Vrbem pulcherrimam Syracusas:quæ cũ manu munitissima esset, tũ loci natura terra ac mari claudebatur. Item in 6,Vrbem Syracusas maximam esse Græcarumvrbium, pulcherrimámque omnium sæpe audistis &c. Quo in loco de hac vrbe lectu dignissima sunt. sicut & apud Diodorum libro 16.vbi de rebus Dionis.

Syria,Asiæ regio nobilissima, aliis, aliísque dicta nominibus. Plinius 12.cap.lib.5,Syriæ totius Assyriam partẽ facit.Multi confundũt,vt Herodotus,qui Syros à Græcis dictos,Assyrios à Barbaris dici scribit,&illis Chaldæos adnumerat.Acron quoque & Porphyrio,insignes grammatici,apud Horatium,eam quæ nũc Syria dicatur, olim Assyriam dictam,addita syllaba,scribunt. Et lib.23.Ammianus Marcellinus,Citra amnes (inquit) prouincia est nobilis Assyria,celebritate & magnitudine, tum & multiformi feracitate ditissima:quæ per populos pagósque amplos diffusa,quondam & copiosa ad vnum concessit vocabulum,& nunc omnis appellatur Syria.Dion in Traiani vita Attyriam Barbaris dictã s litera in τ mutata, quam Assyriam nos vocemus indicat. Scriptores in eo ferè conueniunt omnes,vt Syriæ & Assyriæ nomina confusa esse credant.

Syrianus Alexandrinus,philosophus Platonicus,docuit Athenis, scripsitque in totum Homerum commentarios, libros septem in Platonis Rempub.& alia. Huius discipulus & successor fuit Proclus.Suidas.

Syrictæ,vt ex Megasthene notat Plinius cap.2.lib.7,gẽtes sunt inter Nomadas Indos, narium loco foramina tantum habentes, anguium modo loripedes.

Syrinx,Nympha Arcadiæ, quæ Nympharũ precibus mutata est in palustres calamos, cum acrius eam insequeretur Pan,rusticorum deus.Martialis lib.9,

Sæpe ſub hac latuit ruſtica fronde Dryas:
Dúmque fugit ſolos nocturnum Pana per agros,
Terruit & tacitam fiſtula ſera domum.

Syritha, filia fuit Danorum regis Syualdi tantæ pudicitiæ, vt cum ob elegantiam formæ magna procorum frequētia peteretur, neminem tamen probauerit. Saxo lib. 7.

Syrophœnix, ora maritima Syriæ, circa Euphratē, cuius pars Idumæa & Iudæa.

Syrſigabis, Darii mater, quæ audita morte Alexādri ſeſe perpetuæ nocti dedit.

Syrtes, duo ſunt ſinus in extrema Africa. Eas inacceſſas vadoſum ac reciprocum mare efficit. Proinde Horatius Barbaras vocat Carm. lib. 2. ad Septimium,

Septimi Gades aditure mecum, &
Cantabrum indoctum iuga ferre noſtra, &
Barbaras Syrtes, vbi Maura ſemper
AEſtuat vnda.

Syrus, prima producta, Straboni lib. 10, inſula, è qua Pherecydes Babius duxit originem. Huius mentionem feciſſe videtur Homerus, Syriam illam appellans,
Inſula quædam Syria Ortygiæ, ſtat littore ſupra.

T A

TABAE, Tabarum, vrbs Cariæ, vt ſcribit Plinius cap. 27. lib. 5.

Tabereni, populi iuxta Chalybes, Pomponio lib. 1, quos Strabo Tabarnos nominat. Rectius Tibereni, vel Tibarani dicēdi, teſte Hermolao. Iuſtiſſimi ſunt illi, nec prius prælio congrediuntur, quàm diem, locum & horam, ex fide hoſti denuntiarint. Cum mulier partu liberatur, vir in lectulum tanquam puer author decumbit, eúmque vt puerperā effœta vxor curat, vt ex Nymphodoro Cœlius annotauit. Valerius Flaccus lib. 5,
Inde Genetæi rupem Iouis: hinc Tibarenum
Dant virides poſt terga lacus: vbi deſide mitra
Fœta ligat, partúque virum fouet ipſa ſoluto. Quo de loco doctiſſima extat Angeli Politiani epiſtola ad Pomponium Lætum. Quod ad riſum attinet Ephorus tradidit, & libro iam citato Flaccus.

Tabraca, oppidum eſt Africæ minoris. Silius Sabatram nominat libro tertio,
Sabatra tum Tyrium vulgus, &c. Aliis Tabatra, quod minimè mirū eſt. Barbara enim vocabula inepta ſunt, nec ſemper eodem ſono vtraque lingua efferri conſueuerūt, vt Hermolaus ſcribit.

Taburnus, authore Seruio, mons est Cāpaniæ oliuetis abundans. Virgilius 2. Georg.

-iuuat Ismara Baccho
Conserere, atque olea magnum vestire Taburnum.

Tacapa, Ptolemæo lib.4.cap.3, vrbs Syrtis paruæ: Plinio Tacape: vulgò Capis.

Tachompso, insula quædam Nili, teste Herodoto lib.2.

Tacitus Corn. sub Adriano principe orator clarissimus, æqualis ac familiaris Plinii Iunioris, Belgicæ Galliæ rationes procurauit, ad Vespasianos vsque peruenit, ab iisque honoribus euectus, historiam principum conscripsit, ab Augusto vsque ad Adrianum, quæ ad nos haud integra peruenit. Hanc igitur non vitas imperatorum ausus inscribere, sed tātum diurnales actiones, quæ medium inter historiam & vitas tenerēt. Scripsit & De claris oratoribus, Ciceronis Brutum & materia, & dicendi copia imitatus. Præterea vitam Agricolæ soceri sui: & de moribus ac situ Germaniæ, stylo presso & eleganti, tum arguto & sententioso: in cætera verò historia aliquantulum sublimior. Scribit Flauius Vopiscus hunc authorem tanquam è suis progenitoribus, Tacitum imperatorem quotannis decies describi, ne liber periret, eúmque in omnibus bibliothecis apponi iussisse. Tertullianus autem noster eum mendaciorū loquētissimum appellat.

Tacola, Indiæ emporium extra Gāgem Ptolemæo lib.7.cap.2. Malacha nūc dicitur miræ magnitudinis, à Portugalēsibus vi capta: quod testatur epistola Emanuelis regis ad Leonē decimū.

Tænarus (inquit Seruius) Laconiæ promontorium est iuxta Spartam vrbem circa finem Maleæ, vbi inferorum dicitur esse descensus. Virgilius Georg.4,

Tænarias etiam fauces, alta ostia Ditis.

Tænon, Hermolao teste in lib.9. Plinii cap.37, fuit vrbs in Laconia, à qua mulier Poetria nomine Herina ortum habuit. Fuit & in Achaia vrbs τένεον, id est Teneum: itémque vicus τενέα, inter Micenas & Corinthum.

Tagasta, Plinio li.5.ca.4, ciuitas Africæ, à qua Tagastēsis. Vnde qui Aurelii Augustini vitam scripsere, Tagastensem eū fuisse memorant.

Tages, Aruspicinæ inuētor, Cicerone teste lib.2. de diuinatione, Tages quidam dicitur in agro Tarquiniēsi, quum terra araretur, & sulcus altius esset impressus, extitisse repentè, & eum afflatus esse qui arabat. Is autē Tages, vt in libris est Hetruscorū, puerili specie dicitur visus, sed senili fuisse prudentia. Eius aspe-

ctu, cum obstupuisset bubulcus, clamorémque maiorem cum admiratione edidisset, concursum esse factum, totámque breui tempore in eum locum Hetruriam conuenisse: tū illum plura locutū multis audientibus, qui omnia verba eius exceperint, literísque mandauerint. Omnē autem orationem fuisse eam qua Aruspicinæ disciplina contineretur: eam postea creuisse rebus nouis cognoscendis, & ad eadem illa principia referendis. Hactenus Cicero.

Tagus, Hispaniæ fluuius, in Lusitania aureis arenis celebratur Plinio cap.3.li.3. Silius lib.1,

Hic certant Pactole tibi, Duriúsque, Tagúsque.

Talæmeneus, viri proprium, qui Troianis auxilia misit.

Talaon, filius fuit Iasii, & apud Argos regnauit, vt notat Bocatius lib.2.cap.38.

Talasio, virginitatis deus: & apud Romanos (inquit Seruius) inuocatur. Cum enim in raptu Sabinarum Plebeius quidam raptam pulcherrimam duceret: ne ei auferretur ab aliis, Talasionis eam ducis nobilis esse simulauit: cuius nomine puellæ fuit tuta virginitas. Hæc Seruius.

Talga (inquit Pomponius li.3.) insula in Caspio mari sine cultu fertilis, omni fruge ac fructibus abundans: sed vicini populi, quæ gignuntur, attingere nefas, & pro sacrilegio habent, diis parata existimantes, diísque seruanda. Hactenus Mela. Ptolemæo lib.6.cap.9, Talca dicitur. Plinius cap.17.lib.6. in Caspio mari vulgatam insulam Tazatam esse scribit. Variat igitur nomen vt in sexcentis aliis, Vistula, Istula, Tabireni, Tabarni, Tibereni, &c.

Talthybius, Homero Iliad.1. præco Agamēnonis in Græcorū exercitu, qui vnà cum Eurybate ab Agamemnone missus est ad Achillis castra, vt Bryseidem formosissimam abduceret.

Tamaræ, insulæ Britanniæ vrbs, vt scribit Ptolemæus libro 2. cap.3. vulgò Tanerstok.

Tamaris, Hispaniæ fluuius, à quo Samari populi dicti Pōponio libro tertio. Apud Ptolemæum li.2.ca.6. nō Tamaris, sed Tamara legitur.

Tamarus, fluuius Britanniæ insulæ, authore Ptolemæo lib.2. cap.3. vulgò Tone.

Tanager, authore Seruio, fluuius est Lucaniæ. Virgilius tertio Georgicorum,

-furit mugitibus æther
Concussus, syluǽque, & sicci ripa Tanagri.

Tanagra, Ptolemæo libro tertio cap. 15, Bœotiæ mediterraneæ oppidum : nobile, vt author est Plinius libro decimo cap. 21, gallis ad bella tantum & prælia assidua qui in eo nascuntur.

Tanais,Scythiæ fluuius, qui diuidit Asiam ab Europa. Fertur itaque Tanais (inquit Strabo libro vndecimo) à Septentrionis partibus Nilo contrarius, non tamen per diametrum (vt quidam putant) sed orientalior originem vt ille incertam habens. Simillimúmque est ex Riphæis montibus descendere , qui immanibus iugis Arcton prospiciunt. Vide Strabonem. Accedit Herodotus, qui libro quarto Tanaim ex palude oriri, & in vastitatem diffundi nomine Mæotim,qua Scythas à Sarmatis discludi ait . Non diuersus à Ptolemæo , qui Basilicam , id est regiam Sarmatiam ab Europea Tanais intermedii fontibus seiungit. Scythæ Tanaim Silin vocant. Fuit & oppidum Tanais, ad amnis ostia Plinio lib.secũdo cap.98. à Græcis qui Bosphorum tenuere,condita. Ostia eius duo sunt L X X inter se stadiis distantia.Vide Ptolemæum lib.5.cap.9. Dionysius in Periegesi,

Europam atque Asiam Tanais disterminat amnis:
Hic se Sarmaticis euoluens finibus, alta
(Scissus Araxeo prius æquore iam suus)vnda
Effluit in Scythiam,procul hinc Mæotida Thetin
Intrat,& inserto freta pellit vasta fluento.

Tanaquil,Tarquinii Prisci vxor. De qua Plinius lib.36.ca.vlt. Non præteribo & vnum foci exemplum, Romanis literis clarũ,Tarquinio Prisco regnante tradunt repentè in foco eius cõparuisse genitale è cinere masculini sexus:eámque quæ insederat ibi,Tanaquilis reginæ ancillam Ocrisiam captiuam, consurrexisse grauidam.

Tanes,vir Persa,è ducibus Darii.

Tanis,ciuitas AEgypto, à qua Tanicum siue Taniticum Nili ostium dictum. Herodotus libro secundo ab insignibus oppidis ostiis imposita nomina scribit:Ea sunt,Canopus,Bolbis,Sebennis, Pathmis, Mendes,Tanais : à qua Taniticum Ptolemæus & Strabo deriuant.& in emendatioribus codicibus Pomponii Tanicum,vt annotauit Vadianus. Eadem & Taphnis & Taphium dicitur. Hic fuit,vt annotat Vilonouanus in Ptolemæũ , prima Israelitarum captiuitas,à qua per mare Rubrũ,duce Mose,sunt erepti. Sita erat in terra Hiessen,sed nunc destructa est.

Tantalis,id est Niobe,filia Tantali. De qua vide suo loco.

Tantalus , vt est author Lactantius , Iouis ex Plote Nympha

filius. De quo Seruius, Tantalus, Corinthiorum rex, amicus numinibus fuit: qui cum frequẽter eos susciperet, & quodam tempore defuissent epulæ, filium suum Pelopem occidit, & diis epulandum apposuit. Tunc abstinentibus cunctis Ceres humerum eius exedit. Et cum eum dii per Mercurium reuocare ad superos vellent, eburneus ei est humerus restitutus: sicut Georg. 3,

-humeróque Pelops insignis eburno

Acer equis. Hac lege autem Tantalus apud inferos dicitur esse damnatus: vt in Eridano inferorum stans, nec vndis præsentibus, nec vicinis eius pomariis perfruatur. Per hæc autem auaritia significatur: vt etiam Horatius 1. Sermonum Satyra 1,

-quid rides? mutato nomine de te

Fabula narratur. Hactenus Seruius enarrans illud Virgilii 6. AEneid. de Tantalo,

-lucent genialibus altis
Aurea fulcra toris, epulæque ante ora paratæ
Regifico luxu: furiarum maxima iuxta
Accubat, & manibus prohibet contingere mensas.

A Tantalo Tantalis, id est Niobe, patronymicum deriuatur.

Taphiæ, insulæ, quas prope Echinadas Strabo li. 10. ponit: quarum caput Taphus. Iis Taphii & Teleboæ imperauerũt: de quibus huiuscemodi repetit originem enarrator Apollonii poetæ. Perseo ex Andromede, vt narrat Herodotus, quatuor fuere filii, Alarus, Steneleus, Mestor, & Electrion, qui simul regnauerunt. Ex Hippotoe Mestoris filia, & Neptuno Pterelas genitus, ex Ptcrela Telebos & Taphus, à quo Taphus insula, in qua Teleboæ ac Taphii communi nomine & imperio fuere. Igitur ii Hippotoes eorum auiæ pecuniam ab Electrione eorum necessario, qui pro ea spopondit repetebant: qua negata ad arma venere, armenta abegerunt, ipsum denique & filios sustulere. Alcmena Electrionis filia patrem vltura Amphitryonem Thebanum hominem potentissimum in matrimonium accepit, atque hoc pacto, bello inter eos cõflato ab eodẽ Amphitryone deleti sunt, eorúmque regnum Cephalo profugo Atheniẽsi qui exercitui præerat donatum. Quod ad Vlyssem è successione peruenit. Hæc ille. Ex quo apparet Teleboas & Taphios omnibus iis insulis imperasse.

Taphiusa, Plinio lib. 36. cap. 21, locus est iuxta Leucadẽ, in quo Taphiusius lapis nascitur.

Taphnis, Vide TANIS.

Taposiris, ciuitas in AEgypto. Stephanus ταφόσιριν appellat, quia sit sepultus in ea Osiris. Strabo lib. 17. duas facit Taposires:

vnam mari propiorem,alteram remotiorem.

Taphræ,oppidum eſt in Taurica Cherſoneſo,Traiani principis auſpiciis aliquãdo captum,vt author eſt Florus qui ſub Traiano vixit.

Taprobane,inſula in mari Indico ampliſſima, inter ortũ occaſúmque Solis,vt Solinus refert.Patet in longitudine ſtadiorum ſeptem millibus, in latitudine quinque millibus. Ibi Septentriones non videntur,vt eſt author Plinius cap.22.lib.6.vbi multa de hac inſula fit mentio. Inter alia refert, legatos ex Taprobane, quum ad nos veniſſent, miratos eſſe Septentriones & Vergilias,veluti in nouo cælo.Lunam verò apud ipſos non niſi ab octaua die,ad quintamdecimam ſupra terram aſpici. Paulò verò ſupra ait,ex veterum traditione, Septẽtrionem nõ cerni.De hac vide Plinium eodem capite 22.lib.6.& Pomponium Melam lib.1.& 3.

Tapſagum, Cyrenaicæ regionis oppidum, vt ſcribit Plinius cap.5.lib.5.in deſcriptione Cyrenaicæ regionis.

Tapſus,inſula decem ſtadiis à Sicilia diſtans verſus Syracuſas. De qua Virgilius 3.AEneid.

-viuo præteruehor hoſtia ſaxo
Pantagiæ,Megaróſque ſinus,Tapſúmque iacentem.

Tapyri,populi in Parthia, vt lib.11.refert Strabo, quibus mos eſt vt proprias vxores aliis viris nuptui concedant, quum duos aut tres filios ex eis ſuſceperint.

Taracina, Vide TARRACINA.

Taraco,Vide TARRACO.

Taras, Neptuni fuit filius, quem Tarentũ ædificaſſe quidam exiſtimant.

Tarbeli,Ptolemæo lib.2.cap.7,Galliæ vrbs:vulgò Tarbe.

Tarchetius,impius Albanorũ rex. De quo Plutarchus in vita Romuli,Quidam(inquit)etiam ſunt qui de Romuli ortu fabuloſa quædam referre non dubitent.Nam dicunt Tarchetio Albanorum regi ſceleſtiſſimo & crudeliſſimo homini diuinitus monſtrum domi viſum penè ex ſacrario ſe attollens, ad multos dies manſiſſe.Fuiſſe etiã Tethyos in Hetruria fatidicum templum:à quo allatum Tarchetio reſponſum, vt ei admiſceretur virgo.Nam genitum iri ex ea filium virtute,fortuna,acviribus nomen permaximum & gloriam habiturum. Quod cum Tarchetius vni ex filiabus expoſuiſſet, imperaſſe vt cum monſtro illo coiret.Illam contempto patris imperio,ancillam in ſui locum ſuppoſuiſſe. Tarchetium re cognita ægreferentẽ,vtranque

in carcerem vt morte multaret coniecisse: sed visum est illi per quietem se Vestam videre necari puellam prohibentem: telam verò puellis iubentem, vt erant in vinculis, texēdam tradere ea conditione, vt non antè nuberent, quàm eam absoluissent. Ita quod illæ per diē texuissent, alias noctu Tarchetii iussu retexere solitas. Ex monstro verò ancillā geminos peperisse, quos Teratio cuidam Tarchetium statim exponendos dedisse. At illum secus fluuium infantes deposuisse: sic lupam cū eò venisset, admotis huberibus lac præbuisse, auibus quoque variis cibū pueris comportantibus: quoad bubulcus aspiciens, admiratúsque, ausus accedere, infantes sustulit. Hac illos ratione seruatos, quum primum per ætatem licuit, Tarchetio tetendisse insidias, ac tandem oppressisse. Hæc à Promathione quodam, qui Italicam scripsit historiam, memoriæ prodita accepisse se dicit Plutarchus.

Tarchon, Hetruscorum dux, qui, vt ex Virgilio notū est, AEneæ suppetias tulit aduersus Turnum & Rutulos. Dicitur & Tarcho abiecta N litera. Virgilius AEneidos 8,

Haud procul hinc Tarcho, & Tyrrheni tuta tenebant
Castra locis.

Tarētus & Tarentum, nobilis vrbs Calabriæ ad mare, Pirrho Epirota in ducē contra Romanos accito clarissima, sita in peninsula quadam, vt indicat Ptolemæus lib. 3. cap. 1. & Strabo multis locis lib. 6. Virgilius AEneid. 3,

Hic sinus Herculei (si vera est fama) Tarenti
Cernitur. attollit se diua lacinia contra,
Caulonísque arces, & nauifragum Scylacæum.

Memoratur & Archita clarissimo Pythagorico, qui Platonem, quum mortem moliretur Dionysius tyrannus, per epistolam eripuit, vt scribit Laertius libro octauo.

Tarna, vrbs fertilissima ponitur Homerò lib. Iliad. 5. quam enarratores vocatam postea Sardis dixerunt.

Tarpeia, teste Plutarcho in vita Romuli, filia fuit Tarpei, quæ Romanam arcem in Capitolio constitutam, cuius pater Tarpeius custos erat, Sabinis prodidit. Hinc mons Tarpeius dictus, (inquit Terentius Varrò) à virgine Vestali Tarpeia, quæ ibi à Sabinis necata armis & sepulta: eius nominis monumentum relictum, quod etiam nunc eius rupes, Tarpeiū appellatur saxum. Hactenus Varro. Hinc etiam Tarpeia sedes apud Virgilium 8. AEneidos,

Hinc ad Tarpeiam sedem, & Capitolia ducit
Aurea nunc, olim syluestribus horrida dumis.

Seruius decla-

rans hũc locum, Tarpeia (inquit) ſedes dicta eſt à Tarpeia virgine. Cum enim Romulus cõtra Sabinos bella tractaret, & Tarpeio cuidam dediſſet arcem tuendam, eius Tarpeia filia aquatum profecta in hoſtes incidit: quam cum hortarentur ad proditionem, illa pro præmio popoſcit ornatum manuũ ſiniſtrarum, id eſt armillas. Facta itaque arcis proditione, hoſtes ingenioſa morte promiſſa ſoluerunt. Nam ſcuta, id eſt ſiniſtrarum ornatum, ſuper illam iacientes, eam luce priuarunt: quæ illic ſepulta, Tarpeiæ ſedi nomen impoſuit. Hactenus Seruius.

Tarquinius Priſcus, quintus Romanorum rex. Is centum additis patrum numerum auxit, Latinos ſubegit. Circũ deſignauit, qui nunc maximus dicitur: vbi ſpectacula ſibi quiſque faceret, furcis duodenos ab humo pedes altis ſuſtẽtata. Ludicrum fuit: equi, pugileſque ex Hetruria acciti. Præterea Sabinorum bello petitus, equitum centurias ampliauit. Ex lib. 1. Liuii. Tarquinius Superbus, cognomẽ à moribus meruit. Occiſo Seruio Tullo regnum ſceleſtè occupauit: bello tamen ſtrenuus, Latinos Sabinóſque domuit: Sueſſam Hetruſcis eripuit: Gabios per Sextum filium ſimulato tranſfugio in poteſtatem redegit: Ferias Latinas primus inſtituit. Cum Capitolium extruere inciperet, caput hominis inuenit, ex quo cognitum eam vrbem caput gentium futuram, vt ſcribit Terentius Varro de lingua Latina libro quarto. Demum cum in Ardeæ obſidione filius eius Lucretiæ ſtuprum intuliſſet, cum eo in exilium actus, ad Porſenam Hetruriæ regem ſe contulit, cuius ope regnum retinere tentauit. Pulſus Cumas conceſſit, vbi per ſummã ignominiam reliquum vitæ tempus exegit. Liuius lib. 1. Tarquinius Collatinus, ſorore Tarquinii Superbi genitus, in contubernio iuuenum regiorũ Ardeæ erat: vbi fortè cum in conuiuio coniugem ſuã vnuſquiſque laudaret, placuit experiri. Itaque equis Romã petunt, regias nurus in conuiuio vel luxu deprehendunt. Inde Collatiam petunt, Lucretiam inter ancillas in lanificio offendunt. Itaque ea pudiciſſima iudicata. Ad quam corrumpendam Tarquinius Sextus Collatiã rediit, & iure propinquitatis in domum Collatini venit, cubiculum Lucretiæ irrumpit, pudicitiã expugnat. Illa poſtero die aduocatis patre & coniuge è caſtris, rem expoſuit: & cultro quem veſte texerat, ſe occidit. Illi exitio regum rem vindicauerunt. Tarquinius cum prole tota eiectus, ad Manilium Tuſculanum generum confugit, Latinóſque omnes concitat. Contra quos Poſthumius miſſus. Ex Liuii lib. 2.

Tarracina,Campaniæ vrbs nō procul à Caieta,& ab Amyclis tacitis, vt author eſt Seruius apud Virgilium 10. AEneid. Hæc aliquando Anxur eſt dicta,& editum occupat collem, vt ſcribit Silius lib.8,Scopuloſi verticis Anxur. Et Horatius Sermonum libro primo,

Impoſitum ſaxis latè candentibus Anxur.

Tarraco,citerioris Hiſpaniæ clariſſima:&,vt ſcribit Mela lib. 2,maritimarum in his oris opulentiſſima.Quod cognomen po tiori totius Hiſpaniæ parti datum indicat.Metropolis verò ipſa & ciuitatum eius oræ mater.Silius lib.3,

-dat Tarraco pubem
Vitifera,& Latio tantum ceſſura Lyæo.

Tarſus,Straboni lib.15,clara vrbs Ciliciæ,quam in campis po ſitam Cydnus amnis præterfluit, qui Argiuorū eſſe eā Io quærentium opus exiſtimat.Solinus à Perſeo prodit conditam nobiliſſima Danaes prole: Euſtathius authorem eius Sardanapalum eſſe credidit.Qua in ſententia Lucanus eſt lib.3,

Deſeritur, Tauríque nemus,Perſeáq; Tarſus. Clariſſima vrbs illa fuit,cum ob gymnaſium maximè quondam in ea inſigne: tum eo ipſo, quòd Paulum apoſtolū alumnum habuit,virum vnicè in religione noſtra memorabilē.Lege de Tarſo Strabonē lib.14.& Ammianum Marcellinum lib.14.

Tartari,Sarmatiæ populi,Scythicis moribus immanes,in quibus durāt adhuc crudelitatis reliquiæ.De quorum moribus legito Vadianum apud Pomponium Melam lib.3.

Tartarus, & in multitudinis numero,neutro genere Tartara, ἀπὸ τοῦ ταράσσειν, id eſt turbare:aut quod melius eſt, ἀπὸ τοῦ ταρταρίζειν,id eſt,à tremore frigoris: locus inferorū profundus, inquit Seruius.Virgilius lib.6, -at læua malorum

Exercet pœnas,& ad impia Tartara mittit. Rurſum eodē lib.

-tum Tartarus ipſe
Bis patet in præceps tantum,tendítque ſub vmbras.

Tarteſſos,Hiſpaniæ ciuitas iuxta columnas Herculis, aliquando Carteia dicta,vt ſcribit Pomponius Mela lib.2.Silius omnino aliam Tarteſſon à Carteia facit,lib.3,

Argautoniacos armat Carteia nepotes,
Rex proauus fuit humani doctiſſimus æui,
Ter denos decies emenſus belliger annos,
Armat Tarteſſos ſtabulāti conſcia Phœbo. Silii interpres eadem eſſe falſò colligit Vadiani iudicio. At Liuius lib.8.Deca.3, Dum hæc(inquit)ad Bætim fluuium geruntur, Lælius interim

freto in Oceanum euectus, ad Carteiam classe accessit. Vrbs ea in ora Oceani sita est, vbi primum è faucibus angustis panditur mare. Hactenus Liuius. Eandem igitur cum Tartesso fuisse credi par est. Nam & Strabo lib.3, Nonnulli (inquit) Tartessum huius ætatis Carteiam nominant.

Taruanna, Ptolemæo lib.2.cap.9, Galliæ vrbs Morinorum: vulgò Terouenne.

Taruedum, quod & Orcas promõtorium dicitur, Ptolemæo lib.2.cap.3: finis Scotiæ est.

Taruntius, vir fuit tum Philosophiæ, tum Mathematicarum in primis studiosus: qui cum ad Astrologiæ disciplinam se contulisset, cõtemplationis gratia: & in ea excellere putaretur, huic imposuit Varro, vt Romuli conceptionem in diem & horã deduceret: inspectisque eius vitæ institutis ac rebus gestis, ex illis consequentiam colligeret, veluti Geometricarum propositionum resolutiones præcipiunt. Author Plutarchus in Romulo.

Taruscum, Ptolemæo lib.2.cap.10, Saliorum vrbs in Gallia, vulgò Tarascon.

Tauchira, Herodoto lib.4. ciuitas Barcæorum.

Taurea, Iubellius Cãpanus, memoranda vir fortitudine, cum in castris Annibalis Claudium Asellum Romanum, ingenti hominem robore in exercitu apud Nolã prouocasset, post inania verba & garrulitatem, eius congressum minimè sustinens refugiebat, Claudius insequebatur: cum ille vrbis portam ingressus, tutus stupentibus hostibus, per alteram cursu contendens euasit. Hic postea capta à Fuluio Capua, manu propria, coniuge, liberisque interfectis, se postremò ante pedes imperatoris gladio transfixit. Author Liuius de bello Punico 2.

Tauri, populi Tauricæ Septẽtrionalis regionis, in Europa incolæ: Iphigeniæ (inquit Mela libro 2.) & Orestis aduentu maximè memorati, immanes sunt moribus, immanémque famã habẽt, solere victimis aduenas cædere. Hactenus Pomponius. De Orestis in Tauricam aduentu, multa Ouidius li. Tristium 4. Immanis autem sacrificii huius, Thoas rex author fuit. Hinc Diana ipsa Thoantea dicta Silio lib.4,

Sacra Thoanteæ, ritúsque imitata Dianæ. Eius frequens mentio est apud Lucanum, Eusebium, Ciceronem, Solinum, Lactantium. Quod ad Tauros attinet, scribit Herodotus libro quarto, Tauros omnes naufragos Iphigeniæ immolare solere, & precibus peractis hominis caput claua ferire, corpus trũcum è ripa deturbare, caput cruci suffigere. Captis verò bello caput ampu-

tât,referuntque domum,& suffixum fuste in tecti sublimia statuunt,plerunque autem supra furnarium erigunt:ideo id agentes, quòd hos totius domus custodes esse sibi persuadeant. Ex Herodoto.

Taurianum, Brutiorum oppidum in Italia iuxta Rhegium. Author Pomponius Mela lib.2.

Taurica Cherronesus,Vide CHERRONESVS.

Taurini, Plinio libro tertio cap.17, populi sunt Italiæ Transpadanæ in Alpium radicibus.

Taurominium,Siciliæ oppidum in colle situm, cui Tauri nomen fuit,ab Andromacho Timæi historici patre conditum,viro opibus,animóque præstante : & Tauromenium dictum est, authore Diodoro lib.16.Inde Taurominitani dicti Ciceroni in Verrem act.4. Silius,
Taurominitana cernunt à sede Charybdin. Lucanus lib.4,
Taurominitanæ fugiens damnosa Charybdis.

Tauroscythæ, Ptolemæo lib.3.cap. 5,populi Sarmatiæ, penes Achilleum cursum.

Taururum Ptolemæo li.2.cap.16. Taurunum Plinio libro 3. cap.25.alio nomine Alba Græca,Belgradũ: hodie vulgò krichisuueisenburg,à Turca nuper expugnata,Vngariæ vrbs.

Taurus Berytius,philosophus Platonicus subAntonino principe : scripsit de differentia sectarum Platonis & Aristotelis, de corporeis & incorporeis, & alia, vt est author Suidas. Huius etiam sæpe meminit Gellius, dicítque eius se maximè familiarem Romæ fuisse.

Taurus mons,ab Eoisveniens litoribus,Chelidonio promontorio disterminatur.Immensus ipse,& innumerarum gentium arbiter,dextero latere septẽtrionalis,vbi primùm ab Indico mari exurgit,læuo meridianus,& ad occasum tẽdens, mediamque distrahens Asiam,nisi opprimenti terras occurrerent maria.Resilit ergo ad septentriones,flexúsque immẽsum iter quærit, velut de industria,rerum natura subinde æquora opponente:hinc Phœnicium, hinc Ponticum, illinc Caspium, & Hyrcanium, contráque Mæoticum lacum. Torquetur itaque coll sus inter hæc claustra,& tamen victor,flexuosus euadit vsque ad cognata Riphæorum mõtium iuga, numerosis nominibus & nouis, quacunque incedit,insignis: Imaus prima parte dictus, mox Emodus, Paropamissus, atque aliis aliísque nominibus dictus. Ex Plinii 27.cap. lib.5. Legito Solinum in descriptione Ciliciæ. Est & Taurus, stella,authore Cicerone lib.2.de nat.deorũ.

Taxila, vrbs Indiæ maxima: in qua, vt scribit Philostratus, Apollonius inuenit Elephantē, quē vittis & Myrteis coronis indigenæ ornabāt. Eū autē regionis illius homines esse dicebant, qui pro rege Poro contra Alexandrum pugnauerat: quem, quia in pugna promptissimè pugnasse ferebatur, Alexander Soli dicauit, torques aureos circa cornua adaptans.

Taygeta, vel Taygetus, mons est Laconum, Libero patri sacratus, teste Seruio apud Virgilium lib. 2. Georg.

Flumina amem, syluásque inglorius: ô vbi campi
Sperchiúsque, & virginibus bacchata Lacænis
Taygeta, &c. Huius montis meminit & Cicero libro primo de diuinatione.

Taygete, vna est (inquit Seruius) de Pleiadibus septem. Virgilius Georg. quarto,

Taygete simul os terris ostendit honestum
Pleias: &c.

T E

Tearco, AEthiopiæ rex maximus, qui externas subegit gentes, Europæque populos vsque ad Herculis perueniens columnas. Ex Strabone lib. 5.

Tearus, Thraciæ fluuius, ad cuius ripas quum Darius ad Scythas proficiscens peruenisset, castra diebus tribus continuit, cuius dulcissima & limpidissima aqua delectatus, eo in loco colūnam cum inscriptione posuit. Author Herodotus lib. 4.

Teatea, Marucinorum vrbs in Italia, authore Ptolemæo lib. 3. cap. 1. Theate hodie, vulgò Tieti.

Tectosages, fortissimi aliquando Gallorum, Pyrenæis proximi & Cemeniis sunt: adeò olim potētes opibus & virium præstantia, vt per Græciam tunc victricem gentium, magna hominum manu profecti, in Asia supra Phrygiam, Cappadociamque sedes posuerint, incolumes ab omni finitimorum incursu. Tectosages & Tholistobogi dicti Floro, Plinióque, & cæteris.

Tegea, vrbs Arcadiæ, teste Strabone. Ab hac Pan Tegeæus Virgilio dictus lib. 1. Georg.

Adsis, ô Tegeæe fauens, oleǽque Mineruæ
Inuentrix, &c.

Teium, vt scribit Sallustius, vrbs Paphlagoniæ, in qua ortus fuit Anacreon. Vnde TEIVS adiectiuum. Ouidius 2. Tristium,

Quid, nisi cum multo Venerem confundere vino
Præcepit Lyrici Teia musa senis? In hac fuit templum Apollinis: vnde Apollo Teius.

Telamón, fuit AEaci filius, Pelei patris Achillis frater, & Aiacis pater. Est & Plinio lib.3.cap.5, Vmbriæ portus.

Telchines. Strabo libro decimo de his loquens, Sunt (inquit) qui memorent Telchines in Rhodo nouem fuisse Rheæ comites in Cretam: qui quoniam Iouis alēdi curam gesserunt, Curetes nominati sunt.

Telchius & Amphitus, Plinio lib.6.cap.5, Castoris ac Pollucis aurigæ, à quibus fera gēs Heniochorum orta est. Strabo tamen circa initiū vndecimi Rhecā & Amphistratū nominatos dicit, vt in alterutro mendū sit. Sed fieri potest, vt horū fratrū plures fuerint aurigæ. Eo supradicto Strabonis loco historiā reperies.

Teleboæ, populi: de quibus Aristoteles in Politicis, In Acarnanum politeia, quandam Acarnaniæ partem Curetes habent, spectantem verò in occasum plagam Leleges tenent, reliquam inde Teleboæ.

Teleboas, Bocatio lib.9.cap.32, vnus ex Centauris.

Telegonius, filius Vlyssis ex Circe, qui postea patrē incognitum interfecisse dicitur.

Telemachus, filius fuit Vlyssis ex Penelope, quem ad Troiam pergens, cum vxore paruulum reliquit. Ouid.1.epist.

Tres sumus imbelles numero: sine viribus vxor,
Laertésque senex, Telemachúsque puer.

Telemus, teste Homero in Odyssæa, & Theocrito in Bucolicis, Eurymi filius, & inter Cyclopas vates egregius, qui Polyphemo prædixit quæcūque ab Vlysse passus est. Huius & meminit Ouid. lib. Metam.13, Telemus Eurymides, quem nulla fefellerat ales,
Terribilem Polyphemon adit: luménque quod vnum
Fronte geris media, rapiet tibi, dixit, Vlysses.

Telephanes ad regnū Lydorum Cumis ex oraculo accersitus, qui antea currus factitabat. Fuit & eius nominis tibicen, cuius meminit Demosthenes in oratione contra Midiam.

Telephus, Herculis filius, ex Augea filia Alcæi Arcadiæ regis filius, qui aui iussu expositus in syluis, à cerua nutritus: dein dono datus regi Mysiæ, próque filio educatus. Telephus alter, Pergamensis grammaticus, scripsit ferè omnia quæ ad grammaticam pertinent. Inter cætera collationes epithetorum eidem rei congruentium, ad copiam paratā eloquutionis. Suidas.

Telesco, Nympha Oceani & Tethyos filia, teste Hesiodo in Theogonia.

Telesilla, mulier fuit poetica nobilis, cui etiam apud Argos ante Veneris templum statua posita est, vt scribit Pausanias.

Telestor, fuit pater Euripidis poetæ.

Tellen, tibicē & poeta ineptissimus, cuius meminit Diarchus Messenius: ex quo prouerbium, Cane Tellenis cantilenas. quod quidam dici putant de dicacibus seu mordacibus. Quidam de inepte loquaculis. Sunt enim qui tradant, hunc iocos quosdam versibus lepidissimis descripsisse, non sine multo sale scommatum. Hæc Erasmus in Chiliad.

Tellias, Herodoto lib. 8. vates fuit Helæus, qui Phocēsibus cū Thessalis bellum gerentibus, rem huiusmodi eis commentus est: sexcentos viros è Phocensibus præstantissimos gypso, tam ipsos quàm arma illinit, eósque sub noctem in Thessalos dimisit, dato præcepto, vt quencunque albicantem non cernerent, eum obtruncarent. Hos primùm Thessalorū excubitores aliud quoddam prodigium esse arbitrati, deinde ipse exercitus adeò exhorruerunt, vt tribus millibus cæsorum atque scutorū Phocenses potiti sunt.

Tellus, vir Atheniensis, qui cum pauper esset, eum tamē Crœso fœliciorem Solon dicebat esse. erat enim vir optimus. Huius meminit Plutarchus, & Herodotus lib. 1.

Telmesus (inquit Cicero libro de diuinatione 1,) in Caria est, qua in vrbe excellit Aruspicum disciplina.

Telphussa, Lycophroni, vrbs est in Arcadia, à Telphusa, Ladonis filia id nomen habens.

Telys, Sybaritarum tyrannus, teste Herodoto lib. 5.

Tembrius, fluuius iuxta Pontum, teste Orpheo in Argonaut.

Temese, Brutiorum oppidū in Italia. Plinius lib. 3. ca. 5, Tempsa (inquit) vrbs à Græcis Temese dicta. Ouid lib. 15. Metamor.
Terinósque sinus, Temesémque, & Sapygis arua. Ptolemæus quoque lib. 3. cap. 11, Tempsam nominat.

Tempe (inquit Seruius) propriè sunt loca amœna Thessaliæ. Abusiuè, cuiusuis loci amœnitas. Hæc ille apud Virgilium Georg. libro tertio,

Speluncæ viuíque lacus: at frigida Tempe,
Mugitúsque boum, molléśque sub arbore somni.

Tempsis, Plinio lib. 7. cap. 48, cacumen Tmoli mōtis, in quo, vt ipse ex Mutiano refert, CL annis viuunt incolæ.

Tenedos, insula est non procul à Troia, Sigeis aduersa litoribus, vt scribit Pomponius Mela lib. 2. Est & clarissima earum omnium quæ extra Hellespontum Asiaticis regionibus adiacent, eodem authore. Virgilius AEneid. libro secundo docet eam esse in conspectu Troiæ,

Est in conspectu Tenedos notissima fama
Insula, diues opum.

Tenos, insula cum oppido in AEgæo mari, vna Cycladum, vt scribit Plinius cap. 12. lib. 4.

Tentyritæ, AEgyptiorum populi, de quibus Plinius ca. 25. lib. 8, Quin & gens hominum est huic belluæ (de crocodilo autem loquitur) aduersa in ipso Nilo Tentyritæ, ab insula in qua habitat appellata. Mensura eorum parua, sed præsentia animi in hoc tantum vsu mira. Terribilis hæc contra fugaces bellua est, fugax contra insequentes. Sed aduersum ire soli hi audēt. quinetiam flumini innatant, dorsoque equitantium modo impositi, hiātibus resupino capite ad morsum, addita in os claua, dextra ac læua tenentes extrema eius vtrinque, vt frænis in terram agunt captiuos: ac voce etiam sola territos, cogūt euomere recentia corpora ad sepulturā. Itaque ei vni insulæ crocodili non adnatant: olfactúque eius generis hominum, vt Psyllorum serpentes fugantur. Hæc ille. Strabo quoque lib. 17, Cū (inquit) crocodili Romam allati essent, vt viderentur Tentyritæ, eos sequebantur: facta est ab illis piscina quædam, & foramen in vno laterum, vt ex aqua in apricum egredi possent. Tentyritæ aderāt, qui eos interdum rete educebant ad solem, vt à spectatoribus viderentur: interdum in aquam intrantes, rursum eos in piscinam retrahebant.

Teos, Ioniæ ciuitas, Anacreontis poetæ patria, Straboni libro 14. Hinc Teium nominauit Ouidius lib. Tristium 2,
Quid, nisi cum multo venerem confundere vino
Præcepit Lyrici Teia musa senis? Et Horatius lib. Carminū 1, Teiam fidē dixit, id est Lyricam, Acrone authore. Teos alia in Scythia, ad quam palus est piscibus referta, è quibus per serenum, oleum manat in summa aqua, tanta copia, vt colligi in vasa possit, vsibus aptum. Stephanus.

Terapnæ, multitudinis numero tantum, vrbs Laconiæ in finibus Thebanis. Mela lib. 2.

Teratius, Vide TARCHETIVS.

Terebris, fluuius Hispaniæ Tarraconēsis, Ptolemæo lib. 2. ca. 6. Tuder Plinio lib. 3. cap. 14.

Terentius poeta, Carthagine natus, libertus Romæ Terentii Lucani fuit: captum fuisse negant. Cum esset egregia indole à patrono eruditus, venit in amicitiam nobilium, maximè Lælii & Scipionis: quorum opera adiutus in scribendo fertur ob elegātiam sermonis, teste Cicerone: cui adstipulatur etiam Varro,

Non obscura fama est(inquit) adiutum Terentium in scriptis à Lælio & Scipione. Eandem ipse famam auxit: non enim nisi leuiter se tutari conatur in prologo Adelphorum,

Nam quòd isti dicunt maleuoli homines nobiles
Eum adiuuare, assiduéque vnà scribere:
Quod illi maledictum vehemens existimant,
Eam laudem hic ducit maximam, cum illis placet
Qui vobis vniuersis & populo placent.
Quorum opera in bello, in otio, in negotio,
Suo quisque tẽpore vsus est sine superbia.

Pluribus Donatus huius vitam scripsit. Terentius Scaurus, grammaticus, quem Gellius dicit floruisse Adriani temporibus, ac librum de Cæselii Vindicis grammatici erroribus scripsisse. Terentius Culeo, Senator Romanus, captus à Carthaginẽsibus, redẽptus ab Africano maiore, ac currum eius cum pileo capiti imposito secutus: cuius meminit Liuius lib.10.de 2.bello Punico. Hinc natus error apud indoctos, Terentium comicum putantes. Terentius Varro, collega Pauli AEmilii post cladem Cannẽsem cum reliquiis exercitus, Canusiũ se recepit. Cui Romã redeunti gratulatus est populus Romanus, quòd de Repub.non desperasset.

Terentia, Ciceronis vxor, ex ipsius epistolis notissima. Hæc, vt author est Plinius lib.7.ca.48.centũ decẽ & septẽ vixit annos.

Terentum, locus in campo Martio, quòd in eo ara Ditis patris in terra occultaretur. Erat hic locus Diti & Proserpinæ sacer, in quo omnium qui nascerentur aut morerentur, nomina scribi solebant, quoties ciuitas lustrabatur. Martialis,

Bis mea Romano spectata est vita Terento,
Et nihil extremos perdidit ante rogos.

Tereus(inquit Seruius)rex Thracum fuit, qui quum Pandionis regis Athenarum filiam Prognẽ nomine duxisset vxorẽ, & post aliquãtũ tẽpus ab ea rogaretur, vt sibi Philomelã sororẽ vidẽdã accerseret: profectus Athenas dũ adducit puellã, eã vitiauit in itinere: & ei linguã ne facinus indicaret, abscidit. Illa tamẽ rẽ in veste suo cruore descriptã misit sorori. qua re cognita Progne Itym filiũ interemit, & patri epulãdũ apposuit. Postea omnes in aues mutati sunt: Tereus in Vpupã, Itys in Phasianũ, Progne in Hirũdinem, Philomela in Lusciniam. Hactenus Seruius enarrans illud Virgilii 6.Eclogæ,

Aut vt mutatos Teri mutauerit artus?
Quas illi Philomela dapes, quæ dona pararit?

Tergeste, Plinio lib.3.cap.18, colonia Venetorũ, distãs XXIII. millia passuum ab Aquileia.

Tergestũ, Istriæ colonia, Ptolemæo lib.3.cap.1.vulgò Trieste.

Termilæ, populi. de quibus Strabo lib.12, Conditorem ex Mileto, quæ in Creta est, Sarpedonem accipiẽtes, & Termilas in eã quæ nunc Lycia dicitur, habitatum deduxerunt. Hos Sarpedon Minois Rhadamanthi frater colonos ex Creta duxit, ac Termilas nominauit, cum prius Miniæ vocarentur, vt Herodotus refert. Ac prius etiam Solymi, postea Lycon Pandionis filius, eosdem à se Lycios appellauit, quæ profectò ratio Lycios ac Solymos eosdem esse ostendit, quanquam poeta eos separat: nam de Bellerophonte è Lycia profecto dicitur,

Hic Solymis iterum præstantibus intulit arma.

Terpandrus Arineus, siue Lesbius, poeta Lyricus, primus in lyra Heptachordum & lyrici carminis canonẽ scripsit, quod Philemoni cuidam adscribunt. Author Suidas. Strabo lib.13, autem Methymnæum eum facit, quod oppidum est Lesbi: dicítque de tetrarchordo, Heptachordũ reperisse, vt eius indicant carmina. Huius famæ ac nominis maximi indicium, quod Lacedæmonii in seditione quadam admoniti ab oraculo Terpãdrum mitterent, qui lyræ & poeseos dulcedine animos vulgi ac tumultus sedaret: ex quo postea his prouerbium mansit, si quando dulcem audiant musices concentũ, μετὰ λέσβιον ᾠδόν, Secundum Lesbium cantum. Ex libro prouerbiorum Græcorum.

Terpnus, fuit citharœdus, cuius cantu oblectatum Neronem scribit Tranquillus his verbis, Statim vt imperiũ adeptus est, Terpnum citharœdum vigentem tunc præter alios accersit, diebúsque continuis, post cœnam canenti in multam noctem assidens, paulatim & ipse meditari exercitarique cœpit: nec eorum quidquã prætermittere, quæ artifices eius generis, vel conseruandæ vocis causa, vel augendæ factitarent.

Terphsichore, vna ex nouem musis, sic dicta, quòd choreis & tripudiis delectetur: vel, vt Plutarchus ait, quod maxima vitæ pars ea delectetur & gaudeat.

Tethiopobatæ, Herodoto, populi in Libya.

Tethys (inquit Seruius) vxor est Oceani, mater Nympharum. De qua Virgilius primo Georg.

Teque sibi generum Tethys emat omnibus vndis.

Tetricus (inquit Seruius) mós in Sabinis asperrimus, vnde tristes homines tetricos dicimus. Hactenus Seruius apud Virgiliũ AEneidos libro septimo,

Qui Tetricæ horrentes rupes, &c.

Teuca, regina Illyricorum, quæ ob castitatis meritũ meruit,

vt longo tempore viris fortissimis imperaret,& Romanos sæpe frangeret. Hæc, vt author est Plinius cap.6.lib.34, P. Iunium,& T.Coruncanum,legatos summa Romanorũ iniuria,interemit.

Teucer,Scamandri Cretensis filius,in Troade vnà cum Dardano genero regnauit, vnde Iliensium regum fluxit origo : à quo Troia,Teucria dicta est:& Troiani,ipsi Teucri. Virgilius libro secundo AEneidos,

Ergo omnis longo soluit se Teucria luctu. Rursũ li.3.AEneid. Necnon & Teucri, socia simul vrbe fruuntur. Alter fuit Telamonis filius,ex Hesiona Laomedontis regis filia,& Priami sorore.Is Salamina Cypri condidit, vt testatur Iustinus libro 44. Fuit & Teucer, quidã Cyzicenus, qui scripsit de terra quæ profert aurum.De Cyzicenorum rebus,aliáque complura à Suida commemorata.

Teudamedus,Homero Iliad.2. pater Pelasgi.

Teuderium,Ptolemæo lib.2.cap.11,vrbs Germaniæ: hodie Padeburna.vulgò Badborn.

Teumesus, Bœotiæ locus est in finibus Thebanis, vt scribit Strabo libro nono.

Teutates, lingua Gallica olim dictus Mercurius, qui à Gallis ipsis colebatur,& humano sanguine placabatur. Lucanus,

Et quibus immitis placatur sanguine diro
Teutates,&c.

Teuthis,vir princeps fuit,qui ad expeditionem Troianã cum Græcis nauigare volens,dum in Aulidis rupes impegisset, indignatus Palladem vulnerauit hasta.

Teuthrania,Plinio lib.5.cap.3, regio est supra AEolida & partem Troadis in mediterraneo,quam Mysi antiquitus tenuere.

Teuthranus,Homero Iliad.6.Axili pater.

Teutoni,Plinio lib.4.ca.14,Germaniæ populi,sic dicti à Teutone deo,quem terra ortum existimabant.

T H

Thabis,Scythiæ mons est in Asia, vt scribit Pomponius Mela libro tertio.

Thais Alexandrina,nobilis meretrix fuit, quæ Atticã iuuentutem in sui amorem pellexit. Hãc suis carminibus celebrauit Menander,comicus poeta Græcus, vnde & Menãdrea dicta est. Propertius,

Turba Menandreæ fuerat nec Thaidos olim
Tanta,in qua populus lusit Erichthonius. Fuit & Thais altera,à diuo Pannutio admonita,quæ relicto meretricio, sancta

mulier euasit. Nam ignotus ad eã ingressus, secretũ petebat magis ac magis: illa verò dicẽte neminẽ nisi Deũ posse cõspicere: ille sumpta hac occasione, ad Dei metum ac religionem, eam est exhortatus, qui posset etiam occulta conspicari & plectere. Volaterranus lib. 20.

Thales Milesius, vnus è septem, primus omnium astrologiæ secreta penetrauit. De vrsa minore disseruit, vt ait Callimachus: vt Eudemus, Solis eclipsim primus prædixit: vt Hippias & Aristoteles, inanimis etiam animas putauit, idque ex magnete lapide deprehendisse. Huic tripus aurea à piscatoribus Milesiis reperta, dum res in lite verteretur, ex oraculo Apollinis iudicãtis, eam sapiẽtissimo dari oportere, delata est. Deinde per manus omnibus sapiẽtibus tradita, ad Solonẽ peruenit, qui illã Delphos remisit ad Phœbũ, vt qui deûm hominúmque sapiẽtissimus esset. A Thalete Ionica fluxit disciplina, sicut à Pythagora Italica. Excessit Olympiade LVIII, dum gymnicũ certamen spectaret, æstu ac siti lapsus, iã senex. Ex Diogene Laertio. Thales, poeta Lyricus Cretensis, quem è Creta Solon Spartã misit, cuius Odis ac poesi Spartani deliniti, animorũ feritatem nimiam ex Lycurgi legibus imbutam castigabãt. Author Plutarchus in Solone.

Thalestria, regina Amazonum, quam alii Minitheam vocãt. Hæc cum trecentis mulieribus occurrit, trigintaquinque dierũ inter confertissimas gentes itinere facto, Alexandro in Hircania res gerenti, vt liberos ex rege susciperet: & vt visa est vterum implesse, discessit. Strabo li. 11, Clitarchus Thalestriam scribit à Caspiis portis & Thermodõte profectã, ad Alexãdrũ venisse &c.

Thalia, vna est è nouem musis. De qua in dictione MVSAE.

Thalus, vir fuit eximiæ velocitatis quẽ Iupiter æreis pedibus finxisse dicitur. De quo vide annotationes Baptistæ Pii.

Thamanæi, Herodoto li. 3, populi tributarii Persis.

Thamyras Thrax, poeta. Feruntur ipsius in theologia versus ad tria millia. scribitur ab Homero certasse de cantu cum musis, ideóque oculis captus. De eodem in libro prouerbiorũ Græcorum sic scribitur, Thamyras cum pulchritudine omnes præcelleret, ab initio mares dilexit, deinde præter cõsuetudinẽ musas amauit, ac cum eis de cantu certauit, hac conditione vt victor complexu potiretur. Victus, quod eis luberet, pateretur. Itaque superatus, & oculis & lyra priuatus est: ex quo prouerbium manauit in eos qui præter ingenium propriũ aliquid agũt, Thamyras insanit. Vide Erasmum in Prouerbiis.

Thasus, oppidi nomen, teste Herodoto libro secũdo, Quin-

etiam in Thasum profectus sum, vbi inueni templum à Phoenicibus conditum, qui ad inuestigandum Europam nauigantes, Thassum condiderunt, &c. Est & Thasus, insula in AEgæo mari prope Thraciã vino suo & nuce optima, cuius Varro meminit, celebris. Vnde Thasiæ vites Virgilio lib. Georg. 2,
Sunt Thasiæ vites, sunt & Mareotides albæ.

Thaumãtias dicitur Iris, filia Thaumantis & Electræ filiæ Oceani, nuntia deorum in rebus malis, & Mercurius in bonis. Cæterum & ex admiratione hoc nomen accepit, quæ admiratio de eius coloribus nascitur. Author Seruius in illud Virgilii AEneidos nono,
Ad quem sic roseo Thaumantias ore locuta est. θαῦμα enim Græcè, miraculum significat.

Thea, Nympha Oceani & Tethyos filia. Author Hesiodus in Theogonia.

Theagenes tres Athenis diuersis temporibus Suidas fuisse refert. Vnum qui de Homero scripsit. Alium qui Caprus est appellatus, quòd multa promittẽs nihil præstaret: pauper enim erat, ac diues videri volebat. Tertius, vir potens ac diues Athenis, qui liberalitate ac beneficentia publicè ac priuatim multa, laude digna gessit. Quartũ addit Pausanias, Athletam, patria Thasium, qui CXL coronas è certaminibus retulit.

Theano, Mesopotamia, seu Cressa genere, mulier Pythagorea, vxor Brotini Crotoniatæ, scripsit commentarios in philosophia, de virtute, poemata quoque & apophthegmata Pythagorica. Author Plotinus. Theano item apud Homerum memoratur.

Theanum cognomine Sidicinum, Apuliæ oppidum, authore Cicerone in oratione pro Cluentio, & Strabone lib. 6.

Thebæ, AEgypti vrbs, cuius meminit Homerus libro Iliados nono. & Plinius lib. 36. cap. 14. Legũtur & pensiles hortos, imò verò totum oppidum fecisse AEgyptiæ Thebæ, exercitus armatos subito educere solitis regibus, nullo oppidanorum sentiente, &c. Multa de hac Diodorus, & Strabo libro decimoseptimo, à quo Diospolis vocatur. A Busiride conditam volunt. Demum collapsa, vt alia solent vetustate, etiam Strabonis temporibus vicatim inhabitata est. De qua Iuuenalis Satyra 15,
Atque vetus Thebæ centum iacet obruta portis. Fuerunt & Bœotiæ Thebæ, quæ septem tantum insignibus portis memorantur. Ouidius lib. Metamor. 12,

Vrbs erat,& septem posses ostendere portas,
Hæ pro nomine erant,&c.

Thebais,Asiæ regio est. Plinius cap.9.lib.5, Summa (inquit) pars AEthiopiæ contermina,Thebais vocatur.

Thelbencane,Babyloniæ vrbs iuxta Euphratis fluuii partem Ptolemæo lib.5.cap.20.hodie Maraga.

Thelesis,Argiua mulier,Argos,oppidum Græciæ, à Cleomene Spartanorum rege obsessum, vna cum cæteris mulieribus, quum deessent viri,tutata est.

Themillas,Themillæ(inquit Seruius)vt AEneas AEneæ, proprium est viri apud Virgilium lib.AEneid.9,
-hunc primò leuis hasta Themillæ
Strinxerat,&c.

Themis,fuit dea,quam,teste Festo,putabant eam esse quæ hominibus præciperet id petere quod fas esset:eámq; id esse existimabãt quod fas est.Nã θέμις fas apud Græcos designat, habuítque tẽplum in Bœotia iuxta Cephisum amnem : ad cuius oraculum accessit Deucalion cum Pyrrha vxore pro consilio recuperandi humani generis.

Themiscyra,vel Themiscyron, Cappadociæ vrbs est, vt scribit Plinius cap.3.lib.6:& Mela lib.1.

Themison, medicus apud Herodotum & Corneliũ Celsum.

Themistius,philosophus sub Iuliano imperatore, cuius præfectus prætorii fuit Constantinopoli:scripsit Paraphrasim in Aristotelis Physicã libris VIII in Analytica posteriora. Præterea edidit sua, videlicet de intentione & inscriptione prædicamentorum:disputationes etiam quasdam.Hic Valentem imperatorem quotidie sæuiẽtem in Orthodoxos authoritate sua & epistolis reddidit mitiorem. Suidas.

Themistocles, Atheniensis Nicoclis filius,prodigus ac lasciuus prima iuuentute,postea dux delectus res inclytas gessit. Piræeum ædificauit. Bello maritimo Persas apud Salaminem vicit. Tãdem ciuium inuidia exul,ad Artaxerxem cõfugit.à quo cum pugnare compelleretur inuitus aduersus patriam, recente tauri sanguine hausto, seipsum necauit, vir alioqui præstans. Epistolas reliquit plenas acuminis ac prudentiæ. Hæc ex Suida. Cicero verò eum memoria tanta commendat, vt scribat eum solitum dicere,artem potius obliuiscẽdi male discere. Ciceronis porrò verba sunt, Themistocles quidem quum ei Simonides,aut quis alius artem memoriæ polliceretur, obliuionis(inquit)mallẽ : nam memini etiã quæ nolo,obliuisci non possum.

quæ volo. Hæc ille de finibus bonorum & malorum lib. 2.

Themistogenes, Syracusanus historicus, Cyri expeditionem & bella, quæ in historia Xenophontis continentur, composuit. Author Suidas.

Theoclymenus, Homero libro Odiss. 17, vates, qui Penelope prædixit Vlyssis in Græciam reditum.

Theocrines, viri proprium, qui primum tragœdiarum actor fuit, deinde calumniator & sycophãta. Vnde & Demosthenes in oratione pro Ctesiphonte, AEschinem tragicum Theocrinem vocat. Erasmus in Chiliadibus.

Theocritus, Syracusanus, patre Praxagora, cognomẽto Sunechides, matre Philina, qui sub Ptolemæo Lagi filio emicuit, appellatus fuit Moschus, scripsit Dorica lingua Bucolicon carmen. Author Suidas. Theocritus alter, Chius patria, vnde & Theopompus fuit historicus, eius æqualis, & in administratione Reipub. æmulus, scripsit historiam Libycam, & epistolas quasdam. Author Suidas.

Theodectes, orator, Cilix genere, discipulus Platonis, Isocratis & Aristotelis: conuersus deinde ad tragœdias scripsit fabulas L. Decessit Athenis natus annos XLI. Scripsit & versibus artem Rhetoricam: laudauit & virum Artemisiæ Mausolum, vnà cum claris eo tempore oratoribus. Theodectes orator, superioris filius scripsit Encomium Alexandri regis Epirotarum: commentarios historiæ, artem Rhetoricam lib. VII. aliáque complura. Author vtriusque Suidas.

Theodorus, Byzantius sophista, qui à Platone vocatus est λογοδαίδαλος, Logodædalus, scripsit contra Thrasybulum & Andocidem, & alia multa. Suidas. Theodorus & Teladeus fratres Samii, sculptores celeberrimi, quorum alter in Samo Pythii Apollinis signum incœpit. Alter Theodorus Ephesi eodem tempore, & alio saxo absoluit: quibus simul compositis ita conuenit, vt vnum corpus, ab vno artifice, & ex vno lapide sculptum videretur. Genus artis huius est Græcis ignotum, sed apud AEgyptios frequentatum. Nam soli hominum non oculis tãtum totius statuæ compositionem metiebãtur, sed dimẽsione, vt ex variis multísque lapidibus in vnum corpus, in certam mensuram statua perficeretur. Hæc Diodorus. De hoc Diodoro Diogenes testatur, quòd non solum sculptor, sed etiam architectus fuerit, vnúsque consuluit subiiciẽdos esse carbones fundamentis Ephesii templi. Nam cum humidus esset locus, omissa ligni natura, soliditatem accepit humor immobilem. Idem primus

ferrum fundere docuit,ſtatuámque ferream fecit.Author Pauſanias. Theodorus Gadareus,nobilis orator.Gadara autem Syriæ ciuitas eſt non longè ab Aſcalone .verum ipſe dici maluit Rhodius,teſte Strabone,cuius tempore fuit.Eius diſcipuli Theodorei ſūt dicti,inter quos fuit Hermagoras, qui de arte Rhetorica ſcripſit.Tiberius quoque princeps cum ſeceſſiſſet Rhodum, eum ſtudioſè audiuit,vt Quintilianus lib.4.tradit. Theodorus, ἄθεος. De quo Laertius.

Theodoſia, Tauricæ Cherſoneſi vrbs, Ptolemæo authore lib. 3.cap.6:hodie Capha,quæ fuit ditionis Genuenſium.

Theodoſius, vir memorabilis in Bithynia, teſte Strabone lib. 12.cum inquit , In Bithynia fuere viri in diſciplinis memorabiles,Xenocrates philoſophus,& Dionyſius dialecticus,& Hipparchus,& Theodoſius,& filii eius mathematici.

Theodotus Chius , præceptor vltimi Ptolemæi in rhetorica, decertātibus in cōſilio regis, an profugus Pōpeius eſſet recipiendus,ſolus cōſuluit interfici debere,quod ſanè factum eſt. Hunc poſtea Brutus iā Auguſto inimicus in Aſia compertum & ad ſe adductum interfici iuſſit.Vide Plutarchū in vita Pōpeii. Theodotum alium memorat Philoſtratus in Sophiſtis, qui tempore Herodis Attici præfuit Athenienſium ſcholæ.

Theogius,poeta Græcus.De quo Plato in libro de legibus,O rex Latonæ & Iouis fili : nunquam tui obliuiſcor exordiens neque finiens.

Theomneſtus Cous,vt author eſt Strabo li.14, vir fuit clarus adminiſtratione Reipublicæ,& Niciæ æmulus.

Theones apud Suidā plures:ſed notior cūctis philoſophus Alexādrinus,eiſdē,patria,tēpore & diſciplinis, quibus Pappus,ſub Theodoſio ſeniore.Scripſit de Aſtrologia,commentariosque in Ptolemæum & Aſtrolabium paruum, & alia. Theon itē Alexādrinus Stoicus, tempore ſuperior, ſiquidē ſub Auguſto poſt Arrium philoſophum emicuit:ſcripſit in Phyſicam,& in artem Rhetoricā,& alia.Alius item eius nominis StoicusAntiochenus cunctis antiquior,ſcripſit apologiam Socratis. Quartus Smyrnæus. Quintus etiā Alexandrinus,Sophiſta,cognominatus AElius,ſcripſit in arte Rhetorica. Theon Sidonius Sophiſta præcepit in patria,Cōſtātini 1 1 tēpore.Plinius lib. 35.cap. 11 his Theonem ſculptorem addit , inter quinque qui Mauſoleū cælauere.

Theophanes, Mytilenæus hiſtoricus , qui Pompei Magni res geſtas ſcripſit,teſteCicerone in oratione pro Archia poeta,Quid (inquit) noſter hic Magnus , qui cum virtute fortunā adæqua-

uit?Nónne Theophanem Mitylenæum rerum ſuarum ſcriptorem in concione militum ciuitate donauit?Hactenus Cicero.

Theophilus,Cæſareæ Paleſtinæ præſul Seuero imperante.Cuius meminit Hieronymus,Theophilus Antiochenus præſul imperãte M.Antonio librũ in Marcionẽ edidit:tũ alia quæ à Hieronymo cõmemorãtur. Alius itẽ eiuſdẽ nominis præſul Antiochenus,ad quẽ Lucas ſcribit Actus Apoſtolorũ. Alius quoque præſul Alexãdrinus qui ſcripſit aduerſus Origenem. Præter hos Theophilus comicus antiquæ comœdiæ:eius fabulas nonnullas commemorat Suidas.

Theophraſtus,ex Ereſſo Leſbi ciuitate fuit,Ariſtotelis & diſcipulus & ſcholæ ſucceſſor.Euphraſtus,deinde Theophraſtus vocatus ob oris & eloquentiæ ſuauitatem,cum antea Tytamus appellaretur.Habuit diſcipulos ad duo millia. Opera eius à Diogene cõmemorãtur,inter quæ ſunt libri ſex epitomes in Ariſtotelem de animalibus. Extant hodie tãtum de plantis conuerſi à Theodoro Gaza.Exceſſit admodum ſenex. Ex Suida,Diogene, Strabone. Theophraſtus alter fuit Epheſius,AElianus de varia hiſtoria.

Theopõpus Gnidius & orator,& hiſtoricus poſt Thucydidem & Herodotũ: quibus, vt in hiſtoria minor, ita oratori magis ſimilis, vt qui antequam eſſet ad hoc tẽpus ſolicitatus, diu fuerit orator.Quintilianus.Suidas autem de eodem ſic ait,Theopompus (inquit) Chius & Ephorus hiſtorici diſcipuli Iſocratis, alter fræno,alter calcaribus indigebat.Is Theopompus ſcripſit hiſtoriã Græcã quæ poſt bellũ Peloponeſiacũ à Thucydide ſcriptũ cõtinet.Præterea epitomen hiſtoriæ Herodoti, & alia plura. Fuit item alius antiquæ comœdiæ poeta,vt idem Suidas author eſt. Præter hos Theopõpus Gnidius Cæſaris familiaris, Artemidorũ habuit filiũ qui apud Cæſarẽ ipſum plurimũ poterat,vt ſcribit Strabo li.14.Theopõpus,rex Spartanorũ,cũ primus inſtituiſſet vt Ephori Lacedæmone crearentur,ita futuri regiæ poteſtati oppoſiti,quẽadmodũ Romæ cõſulari imperio Trib.pleb.ſunt obiecti,atq; illi vxor dixiſſet,id egiſſe illũ,vt filiis minorẽ poteſtatẽ relinqueret,Relinquam(inquit)ſed diuturniorem.Optime quidẽ.Ea enim demũ tuta eſt potẽtia,quæ viribus ſuis modũ imponit.Igitur Theopõpus legitimis regnũ vinculis cõſtringẽdo, quo lõgius à licẽtia retraxit, hoc ad beneuolẽtiã ciuiũ propius admouit.Hæc Valerius Maximus lib.4.cap.1.Quintilianus tamẽ lib.2.hanc modeſtiam parum valuiſſe demonſtrat, captum demum fuiſſe oſtendens, Theopompus (inquit) Lacedæmonius, permutato cum vxore habitu è cuſtodia euaſit vt mulier.

Theoxena, à Philippi Macedonis militibus cincta, cum eorum manus effugere non posset, se præcipitem dedit in mare. Vide Liuium lib.40.

Thera, insula vna est ex Cycladibus in AEgæo, ex qua profecti sunt Therei, qui Cyrenem in Africa condidere. Thera olim Callista dicebatur, vt Callimachus ait,

Nomine Callista primum, sed post modo Thera
Dictus fuit Tellus, vrbis origo meæ. Hæc ex Strabonis libro decimoseptimo.

Theramenes, Atheniēsis philosophus. Cicero 1. Tuscul. quæst. Prò dii immortales, quàm illud iter iucundum esse debet: quo confecto, nulla reliqua cura, nulla solicitudo futura sit! quàm me delectat Theramenes, quámque elato animo est! Etsi enim flemus cum legimus, tamen non miserabiliter vir clarus emoritur: qui quum coniectus in carcerem, triginta iussu tyrannorum venenum vt sitiens obduxisset, reliquum sic è poculo eiecit, vt id resonaret. Quo sonitu reddito arridēs, Propino (inquit) hoc pulchro Critiæ, qui in eum fuerat teterrimus. Græci enim in conuiuiis solent nominare, cui poculum tradituri sunt. Hactenus Cicero.

Therasia, insula iuxta Eubœam, authore Ptolemæo lib.3. cap. 4. in qua ciuitas est hodie Sanctorinum dicta.

Thericles, figulus fuit Corinthius, à cuius nomine fictilia quædam vasa Thericlea dicta sunt. Huius meminit Plinius cap.40. lib.16.

Therimachus, Plinio lib.35. cap.10, pictor claruit Centesimaseptima Olympiade.

Thermæ Thermarum, Siciliæ oppidum, authore Pomponio Mela lib.2. Inde Thermitani, Ciceroni in Verrem.

Thermodoon (inquit Seruius) fluuius est Thraciæ, ad quem Amazones ab Tanai flumine in Asia, digressæ se transtulerunt. Virgilius 11. AEneid.

Quales Threiciæ cum flumina Thermodoontis
Pulsant, & pictis bellantur Amazones armis.

Thermopylæ, angustiæ sunt in Phocide regione. De quibus Liuius lib.6.4. Decados, Id (inquit) Thermopylarum iugum, sicuti Apœnini dorso Italia diuiditur, ita mediam Græciam diruit. Quo in loco idem author de Græciæ situ, excursuque nō sanè cōtēnenda tradit. Nomen à Thermis accepérūt. Sunt enim ibi prope θέρμαι, id est calidæ aquæ magno in honore, vti Herculi cōsecratæ. Strabo lib.9, Restat iam sanè vt litoris ordinem

dicamus, quod Achilli subditum erat, sumpto à Thermopylis exordio. Iam enim & Locrēse litus & alia diximus. Itaque Thermopylæ à Cenæo absunt freto stadia septuaginta.

Thero, viri proprium est (inquit Seruius) in Pindaro tantum lectum. Virgilius 10. AEneid.

Signa canunt: primus turmas inuasit agrestes
AEneas omen pugnæ: strauitque Latinos,
Occiso Therone: virûm qui maximus vltro
AEneam petit: huic gladio, pérque ærea scuta,
Per tunicam squallentem auro, latus haurit apertum.

Thersilochus, nomen est viri proprium. Virgilius 6. AEneid.

Quos ille omnes longo ordine cernens
Ingemuit, Glaucúmque, Medontáque, Thersilochúmque,
Treis Antenoridas, Cererique sacrum Polybetem.

Thersites, Græcus fuit, quo non deformior alter venerat ad Troiam, vt dicit Homerus, linguáve proteruior. Vnde ait Iuuenalis Satyra octaua,

Malo pater tibi sit Thersites, dum modo tu sis
AEacidæ similis, &c.

Theseus, AEgæi Athenarum regis filius, ex AEthra coniuge: qui dũ esset adolescẽs, opera Medeæ nouercæ penè à patre veneno periit. Sed post mortẽ patris ad regnum Athenarum euectus, tot digna memoratu peregit, vt inter plures Hercules vnus connumeretur. Inde Thesides, Hippolytus, eius filius dictus. Ouidius in Epistolis,

Thesides, Theseúsque duas rapuere sorores.

Thesmophoria, sacra sunt Cereris, quæ à nostris Cerealia dicuntur. Horum meminit Herodotus lib. 2.

Thespiæ, liberum oppidum Bœotiæ regionis. Author Plinius cap. 7. lib. 4.

Thespis, ex Icaria ciuitate, Atticæ primus poeta Tragicus, & qui personas inuenit. Inter ipsius fabulas Pentheus, & quæ commemorantur à Suida. Horatius in Arte poetica,

Ignotum Tragicæ genus inuenisse camœnæ
Dicitur, & plaustris vexisse poemata Thespis:
Quæ canerent, agerentque peruncti fæcibus ora.
Post hunc personæ pallǽque repertor honestæ
AEschylus, &c. Thespis alter Atheniẽsis, Erichthei regis filius, è pluribus fœminis filias genuit quinquaginta. Cum quibus vocatis ad epulas Hercules sigillatim concubuit. Suscepit totidem liberos mares, qui Thespiadæ dicti sunt. Hi cum Iolao Herculis

ex Iphicleo fratre nepote in Sardiniã profecti, ciuitates ibi plurimas extruxere. Author Diodorus lib. 5.

Thesproti, populi sunt in Epiro, proximi Chaonibus, vt author est Plinius in prooemio 4. lib.

Thessalia, Graeciæ prouincia est, ex vna parte Bœotiam, ex altera Macedoniam habens. Hæc & Hæmonia & Pelasgis dicitur: Homerus verò Thessalos Argopelasgos appellat. Lege Plinium cap. 8. lib. 4. in descriptione Thessaliæ.

Thessalonica, vrbs insignis, liberæque conditionis, Macedoniæ metropolis, patria Theodori Gazæ, qui ætate patrum nostrorum inter vtriusque linguæ doctissimos viros principatum obtinuit. Strabo lib. 7, Thessalonica, oppidum Macedonicum, quæ supra cæteras huius ætatis vrbes eximia ciuilitate floret. Alterum verò Macedonicum a Thessalonica ad Meridiem por rectum vsque ad Strymonem. Ab hac Thessalonicenses dicti.

Thessander, Polynicis fuit filius ex Argia, Statio teste. Qui cũ robustus iuuenis euasisset, cum cæteris proceribus Græciæ ad Troianum bellum profectus est. Huius meminit Virgilius lib. AEneidos secundo.

Thestor, pater Calchantis vatis, vt ostendit Homerus libro Iliados primo.

Thestylis, nomẽ proprium mulieris, cuius Virgilius & Theocritus meminere.

Thetis, Chironis Cẽtauri filia, vxor Pelei regis Thessaliæ, mater Achillis. De qua Ouidius lib. 12. Metamor. scribit.

Thinissa, Africæ minoris, id est Zeugitanæ prouinciæ vrbs, Ptolemæo lib. 4. cap. 3: hodie Tunis.

Thiodamas, filius fuit Melampi, Statio teste qui dicit,

Insignem fama, sanctoque Melampode cretum
Thiodamanta volunt, &c.

Thoas, rex fuit in Taurica regione. De quo Ouidius lib. 3. de Ponto,

Regna Thoas habuit Mæotide clarus in ora,
Nec fuit Euxinis notior alter aquis.

Thoe, vna ex Nymphis, quas ad concussum Thetidẽ, ob mortem filii sui Achillis conuenisse scribit Homerus.

Thon, primus apud AEgyptios medicinam in artẽ redegit. De quo meminit Homerus lib. 4. Odysseæ. Alter, teste Hellanico, fuit rex Canopi, ad quem cũ Menelaus Troia cum Helena discedens tempestate maris deduceretur, fuit primum ab illo, antequam Helenam cõspiceret, gratè susceptus. Sed vt illam con-

spexit, vim Menelao inferre conatus, ab illo interfectus est.

Thonis, Straboni lib.17, vrbs est prope Zephyrium. Est & eidem, rex qui Menelaum & Helenam hospitio suscepit. vnde de medicamentis Helenæ sic poeta inquit,

Quæ Polydamna dedit, Thonis clarissima coniunx.

Thonius, vnus ex Centauris Ixionis & Nubis filius.

Thoon, vir Troianus ab Vlysse interemptus, vt scribit Homerus lib. Iliad.12.

Thoota, fuit Phorci filia, ex qua Neptunus Polyphemum genuit. Quo etiam nomine quidam Phorci matrem nominauerunt. De Thoota Homerus in Odyssea.

Thootes, vnus fuit ex præconibus Græcorum, teste Homero lib. Iliad.12.

Thorax, vt scribit Strabo lib.14, mons est iuxta vrbem Magnesiam, in quo dicunt crucifixū fuisse Daphitam grammaticum: propterea quòd reges versibus incesseret. Ex quo illud tractum est, Caue à Thorace. Hoc velut ænigmate prouerbiali, vt vult Erasmus in Chiliad. festiuiter admonebimus, frænandam esse linguam, ne voces petulanter emissæ, per iugulum aliquando redeant.

Thous, Homero teste, vnus ex Troianorum principibus.

Thracia, Europæ regio, Macedoniæ cōtermina. Mela libro 2. Descriptionem huius quære ex Plinio lib.4.cap.11.

Thrasius, seu Thrasillus, vir fuit, qui cum ad exorandas à Ioue pluuias Busirim docuisset hospites immolare, omnium primus mactatus est. Ouidius in Ibin,

Vt qui post longum sacri monstrator iniqui
Elicuit pluuias victima cæsus aquas.

Idem libro primo de arte amandi,

Dicitur AEgyptus caruisse iuuantibus arua
Imbribus, atque annis sicca fuisse nouem:
Quum Thrasius Busirim adit, monstrátque piari
Hospitis effuso sanguine posse Iouem.
Illi Busiris, fies Iouis hostia primus,
Inquit: & AEgypto tu dabis hospes aquam.

Thraso, nomen militis apud Terentium. Est & nomen pictoris apud Strabonem lib.14.

Thrasybulus, Atheniensis exul, comparato exercitu triginta tyrannorum dominationem Athenis sustulit, iuuante Lysandro Lacedæmoniorum duce, exulésque reduxit. Insuper

plebiscitum tulit, quod ἀμνηστίαν vocant, quo iniuriarum memoria deleretur, exulibus iureiurando adactis. Cuius Cicero in Philippicis, & Valerius de modestia mentionem fecere. Thrasybulus, dux Milesiorum, vt portum Sicyoniorum occuparet, ex aduersa parte oppidanos tentauit. Dúmque sic detinerentur, cum insperata classe portum cæpit. Frontinus lib. 2.

Thrasymachus, Carthaginensis Sophista, periodon & colon, id est membrum primus monstrauit, ac modum qui nunc est rhetorices, induxit. Fuit discipulus Isocratis, vt scribit Suidas.

Thrasymedes, Homero lib. Iliad. 9, Nestoris filius.

Thryus Homero Iliad. 2, fluuius Elidis qui in Alpheum decurrit. Ab eo & Thryoessa Iliad. 11. vocatur.

Thucydides, Atheniensis historicus, patre Oloro, genus à ducibus Milciade & Cimone, qui & ipsi ab AEaco, Iouis filio originem habuere, duxit, vt Didymus in historia testatur. Vxorem duxit è Thracia oriundam, alioqui diuitem, cuius opes adsecutus, non in voluptates, sed partim in otium literatum erogauit. Nam bellum Peloponnesiacum scribere aggressus, quo illud gerebatur, Atheniensibus pariter ac hostibus Lacedæmoniis militibus, qui bello interessent, mercedem præbebat, vti res quotidie veras ei renuntiarent, quas fidelius accipere sperabat, si non solum ab amicis, sed etiam ab inimicis edoceretur, ne partes quisque suas falsò tueretur. Præceptores habuit in philosophia, Anaxagoram: & in rhetorica, Antiphontem. Cuius & ipse in 8. historiæ meminit, dicens eum causam fuisse perdendæ Reipublicæ, ac constituendæ tyrannidis trecentorum. Ex Marcellino Græco scriptore. Quintilianus libro decimo capite 1, de Thucydide sic scribit, Thucydides (inquit) & Herodotus, longè cæteris in historia præferendi, quorum diuersa virtus laudem penè est parem consecuta. Densus & breuis, & semper instās sibi Thucydides: dulcis & cādidus, & effusus Herodotus. Ille concitatis, hic remissis affectibus melior: Ille concionibus, hic sermonibus: Ille vi, hic voluntate. Dionysius Halicarnasseus scribit Demosthenem adeò Thucydidis stylum probasse, vt eius librum octies scripserit, totúmque ferè edidicerit. Cicero in Bruto, Thucydidem (inquit) imitamur. Optime, si historiam scribere, non si causas dicere cogitatis. Thucydides enim rerum gestarum syncerus pronuntiator & grandis etiam fuit: hoc forense concertatorium non tractauit genus. Orationes autem quas interposuit (multæ enim sūt) eas ego laudare soleo, imitari neq; possim si velim, nec velim fortasse si possim. Hactenus Cicero.

Thucydides alios idem Marcellinus ponit: vnum Milesium Athenis inter principes viros ac duces, æmulum Periclis. Alium Pharsalicum Memnonis filiū, cuius meminit Polemon in his quæ de Acropoli scripsit. Quartum poetam natione Achedrysium, cuius meminit Androtion in Attide, dicēs eum filium esse Aristonis, qui fuit tempore Platonis comici, & Agathonis tragici, ac Nicerati versificatoris. Ex Marcellino.

Thule (inquit Seruius) insula est Oceani, inter Septentrionalem & Occidentalem plagam, vltra Britanniam, Hiberniam & Orchadas. Virgilius Georg.1, Tibi seruiat vltima Thule.

Thuria, Straboni li.8, Messeniorum vrbs, alio nomine ἄιπεια, id est celsa, quòd in colle excelso sita sit: à quibusdam Thyre appellatur.

Thurini, Italiæ populi prope Sybarim vrbem: nobiles, vt author est Plinius lib.14.cap.6, vinis quæ habent.

Thurium, Italiæ oppidum, vbi Herodotus vitam finiuit, ibidémque in foro, vt quidam memorant, sepultus est, teste Thucydide lib.5.

Thyamon, mons in Thraciæ regione.

Thyamis, amnis fluuius (vt Thucydides 1.lib.ait) qui Thesprotidem, Cestrinámque discriminat. Plinius lib.4.cap.1, Oppida Mæandria, Cæstria, flumen Thesprotiæ Thyamis, colonia Buthrotum, &c.

Thybris, viri proprium AEneæ comitis. Virgilius AEneidos libro decimo,

Assaracíque duo, & senior cum Castore Thybris,
Prima acies: &c.

Thyestes, filius Pelopis ex Hippodamia, & Atrei frater, ac Tantali nepos. Inde Thyesteus dicitur. Ouidius lib.15. Metamor. Néve Thyesteis cumulemus viscera mensis. Thyestis fabula sic scribitur Seruio: Fabula (inquit) hoc habet Atreum & Thyestem germanos, cum dissensione sibi nocere non possent, in simulatam gratiam rediisse: qua occasione Thyestes cum fratris vxore concubuit. Athreus verò ei filium epulandum apposuit: quæ Sol abominatus, ne pollueretur, aufugit. Sed veritas hæc est: Atreum apud Mycenas primum Solis eclipsim inuenisse: cui inuidens frater, ex vrbe discessit tempore quo eius probata sunt dicta. Hactenus Seruius enarrans illud Virgilii libro AEneidos primo,

Nec tam auersus equos Tyria Sol iungit ab vrbe. Meminit & huius adhuc Seruius, declarans illud Virgilii 11. AEneid.

Atrides Prothei Menelaus adusque columnas
Exulat,&c.

Thyia,Herodoto lib.7,filia Cephisi:à qua & vrbs eiusdem nominis in qua colitur.

Thymbra,Thymbræus.Vide TYMBRAEVS.

Thymbrius,Stephano,fluuius apud Thymbram fluens.

Thymele, nomen mulieris, quæ prima saltationem in scena docuit.Græci θυμέλην scenam vocant,hoc est, eam theatri partem vbi gestiunt histriones.Martialis,

Qua Thymelen spectas,derisorémque Latinũ. Suidas autem scribit fuisse aram in theatris Thymelen.

Thynia,Straboni lib.12.insula in fronte Bithyniæ.

Thynos,Plinio lib.5.cap.27, oppidum Ciliciæ.

Thynus,nomen viri proprium, de quo Orpheus meminit.

Thyoneus,Bacchi epitheton, quod ἀπὸ τοῦ θύειν,quod est sacrificare, deductum putant: eò quòd ei adhuc inter humanos versanti sacrificabatur.Horatius 1.Carm.ode 17,

-nec Semeleius
Cum Marte confundet Thyoneus Prælia.

Thyrea,insula est Peloponnesi,vt scribit Herodotus lib.4.

Thyros,vrbs in regno Nestoris,teste Homero.

Thyrsis, nomen pastoris proprium apud Virgilium in Bucolicis Ecloga 7.

Thysbe, puella fuit Babylonia. De qua apud Ouidiũ in libris Metam.Huius & meminimus in dictione PYRAMVS.

Thyssagetæ,populi sunt Scythici vltra Sauromatas, viuentes ex venatione,vt scribit Herodotus lib.4.De his &Mela libro 1, Thyssagetæ Turcæq; vastas syluas occupãt,aluntúrque venãdo.

T I

Tibareni,populi Scythici,de quibus diximus in dictione TABERENI.

Tiberias,vrbs Galileæ,ab Herode cõdita,& sic appellata in honorẽ Tiberii Cæsaris.Ptolemæo li.5.ca.16.dicitur Tiberias,lacus.

Tiberius inter Cæsares notissimus, fuit & eius nominis grammaticus,qui de Ideis orationis scripsit libros tres,aliáque complura,vt author est Suidas.Meminit & huius Strabo lib.7.

Tibiscus, Daciæ fluuius, cuius meminit Ptolemæus li.3.cap.7.à Barbaris Tissa appellatur.

Tibisis,fluuius est Scythiæ, vt scribit Herodotus lib.4.

Ticinum,nobile Insubrium oppidum,quod nunc Papia vul-

gò dicitur. Nam,vt ſcribit Ptolemæus in geographia lib.3.cap. 1,Inſubres habent Mediolanum,Nouariam, Comum & Ticinum. Eſt & Ticinus,fluuius oppido vicinus, vt ſcribit Plinius cap.16.lib.3.

Tifernus,fluuius eſt Italiæ.Et Tifernum, oppidum quod intercidit. Inde Tifernates, populi, iuxta Theanum & Lucrinum in ſexta regione Italiæ.Author Plinius cap.14.lib.3.

Tigillinus,vir fuit Romanus vitæ corruptiſſimæ,qui per impudicitiam multa à Nerone conſequutus eſt, quem ad omnia corruperat.Author Cornelius Tacitus.

Tigrana,Ptolemæo lib.6.cap.2, oppidum Mediæ in mediterraneis.

Tigranes, rex maioris Armeniæ, cuius multam mentionem facit Cicero in oratione pro lege Manilia.

Tigris (inquit Seruius) fluuius eſt Armeniæ, fluens in Perſicum ſinum. Oritur autem in regione Armeniæ maioris fonte conſpicuo in planitie,vt ſcribit Plinius:cuius caput 27. ſexti libri lege,& Strabonem lib.6.

Tigullia,Ptolemæo lib.3.cap.1,vrbs Liguriæ,aliis dicta Segeſta,vulgò Sigeſtro,Sextri.

Tilium, Sardiniæ inſulæ vrbs,Ptolemæo authore lib.3.cap.3. Hodie S.Repara.

Tilos eſt cum oppido eiuſdem nominis inſula in mari rubro,celeberrima margaritis: ipſa fert palmas,oleas creat,vineis abundat,terráſque omnes hoc miraculo ſola vincit:vt quæcunque in ea naſcatur arbor,nũquam ſpolietur tegmine foliorum. Vide Plinium cap.27.lib.6.

Tilphoſa, vt author eſt Pindarus,fons eſt ſub Tilphoſiũ montem labens, apud quem Tireſiæ vatis ſepulchrum conditum eſt. Huius enim, vt ait Ariſtophanes, aquæ frigus cum ſenex potaſſet, & ferre non potuiſſet, extinctus eſt. Eſt & ibidem,vt libro nono teſtatur Strabo, templum Apollinis Tilphoſii.

Timæus,Siculus hiſtoricus, qui res Græcas conſcripſit, etiam vſqueadeo arrogans,ait Plutarchus in Nicia,vt Thucydidem & Philiſtum in hiſtoria ſe facile ſuperaturum iactet.Ipſe verò Sicula quadã pinguedine delibutus,ad ridẽda quædã miniméque ad hiſtoriæ grauitatem pertinentia digreditur.Hactenus Plutarchus.De quo Cic.2.de Oratore,Minimus natu horũ omniũ Timæus:quãtum autem iudicare poſſum longè eruditiſſimus, &

rerum copia & ſententiarum varietate abundantiſſimus,& ipſa compoſitione verborum non impolitus, magnã eloquentiam ad ſcribendum attulit,ſed nullum vſum foreſem. Hactenus Cicero. Huius itẽ meminit idẽ in epiſtola illa 12.lib.ad Luceium doctiſſima. Diodorus Siculus dicit hunc nimium operæ in aliis redarguendis impẽdiſſe,contra Ephorum præſertim, nimis res etiam minimas perſecutum,libróſque fuiſſe penè in res ſingulas partitum. Timæus alter philoſophus,cuius nomine Plato librum inſcripſit De natura,patria fuit Locrẽſis,philoſophus Pythagoreus,ſcripſit & vitæ naturæ documenta,& vitam Pythagoræ,vt ſcribit Suidas.

Timagoras Athenienſis capitali ſupplicio affectus,quòd Darium,ad quem legatus miſſus fuerat,more Perſarum adulando adorauerat.Suidas & Valerius.

Timanthes,pictor egregius Zeuſis tempore.Huius eſt Iphigenia oratorum laudibus celebrata , qua ſtante ad aras peritura, cum mœſtos pinxiſſet omnes,& triſtitiæ omnẽ imaginem conſumpſiſſet,patris vultum velauit,quem dignè nõ poterat oſtendere.Pinxit & Cyclopem parua in tabula,cuius magnitudinem exprimere cupiens,pinxit iuxta Satyros thyrſo pollicẽ eius metiẽtes: itaque ex omnibus eius operibus intelligitur plus quàm pingitur.Huius meminit Plinius cap.9.lib.35.

Timarchides, ſculptor nobiliſſimus, cuius meminit Plinius cap.5.lib.36. Fuit & pictor celeberrimus,eodem Plinio authore cap.8.lib.34.

Timarchus, ſtatuarius nobilis. Author Plinius cap.8.lib.34. Fuit & Timarchus,in quem extat AEſchinis accuſatio, Demoſthenis oratoris amicus.

Timauus,Plinio lib.3.cap.18,fluuius Venetiæ. Contra quem, vt idem teſtatur cap.103.lib.2,inſula parua eſt in mari cum fontibus calidis,qui pariter cũ æſtu maris creſcunt minuuntúrque.

Timocles, comicus Athenienſis fabulas ſcripſit, quarũ nonnullas commemorat Athenæus.

Timoclia,mulier Thebana ſtuprum à quodã Barbaro Thracum principe per vim paſſa , iniuriam hoc modo vlta eſt. Odio enim diſſimulato dixit ſtupratori ſe ſcire locum vbi plurimum eſſet auri, perductúſq; eſt ab ea ad altiſſimum puteum, qui fuit in remotiore domus parte. Quò cũ Thrax veniſſet,& iam pronus immineret puteo,à Timoclia (quæ à tergo ſtabat) deiectus eſt in præceps,& ſaxis obrutus. Author Sabellicus in exemplis.

Timolaus Lariſſeus, è Lariſſa Macedoniæ, diſcipulus Anaxi-

menis, Lampsaceni, scripsit poema de bello Troiano, Homeri singulis versibus singulos addens atque subdẽs. Author Suidas.

Timoleon, Corinthius, dux inclytus, viribus fortissimus, vitáque abstinentissimus, missus cum triremibus ad liberãdas Dionysii tyrãnide Syracusas, quẽ Dion Syracusanus implorato Corinthiorum auxilio expellere conabatur, quinquagesimo postquam Syracusas appulisset die, vrbe potitur, ac Dionysius clàm sese atque arcem Timoleonti ipsi dedidit, ab eóque cum paucis in exilium Corinthum missus est: ille verò arcẽ solo æquauit, Syracusanis libertatem restituit. Deinde cõtra Leontinos pergens, eorum tyrannum in bello captum interfecit. In summa æqualis fuit Timotheo Agesilao Pelopidæ Epaminondæ. Hæc ex Plutarcho qui eum è nostris comparat Paulo AEmilio.

Timomachus Bizãtius pictor nobilis Cæsaris dictatoris ætate fecit Medeam & Aiacem, quos ipse Cæsar LXXX talentis emit, in temploque Veneris dicauit. Author Plinius lib. 35. cap. 11.

Timon Atheniensis, temporibus fuit Peloponnesiaci belli, vt ex Aristophanis & Platonis poematibus perspicere licet: describitur ab illis vt inhumanus, ac vitans hominum congressus, præter vnius Alcibiadis adolescentis. Interrogatus quæ cum illo causa esset amicitiæ, Quòd sciam (inquit) illum quandoque multorum malorum Atheniẽsibus causam futurum. Cum semel in concionem ascendisset, facto silentio mirantibus omnibus inquit, Est mihi ô viri Atheniẽses pone domum paruus hortus, vbi ficus coaluit quædã, in qua permulti nostri ciues se suspenderunt. In eodem nunc ego loco ædificare volo. Quamobrem visum est mihi vos publicè admonere, si quis fortè sit qui se prius velit suspendere, antequam arbor excidatur. His igitur de causis ab Atheniensibus μισάνθρωπος est appellatus, quasi genus hominum infensum habuerit. Sed & mortuo mirum contigit, vt sepulchrũ eius quod erat in litore, mare quasi perosum, exundatione ab se absterruerit, lõgéque expulerit. Timon alter Apolloniates, seu Nicenus, vir & philosophiæ & eloquentiæ studiis præditus, Ptolemæo Philadelpho in primis acceptus, scripsit Tragœdias, Comœdias, Satyras, & alia, quorum Antigonus Caristius meminit, qui vitam eius conscripsit. Author vtriusque Suidas.

Timotheus, Atheniensis dux, potentissimus ac diues, muros Athenis ædificauit. Huius imaginem pictores assentationis gratia fecerunt, iuxtaque fortunam retibus ciuitates ei inclusas deferentem, illum autem ipsas expugnantem: quamobrem indi-

gnatum eum ferunt pictori fuisse, quòd fœlicitati potius, eius res gestas, quàm virtuti videretur adscribere. Haudmulto post hoc factum fortuna quasi ægre ferente rebus excidit. Author Suidas. Huius vt docti hominis meminit Cicero libro primo de Officiis, Quod idem fecit(inquit)Timotheus, Cononis filius, qui cum belli laude nō inferior fuisset quàm pater, ad eam laudem, doctrinæ & ingenii gloriam adiecit. Hactenus Cicero. Timotheus item Atheniensis comicus, mediæ comœdiæ, cuius fabulas nonnullas commemorat Athenæus. Timotheus Milesius, musicus, qui decimam & vndecimam chordam lyræ addidit, & antiquam musicam in molliorem modum mutauit. Emicuit tempore Philippi Macedonis, cuius filius Alexāder sono excitabatur, & ad res bellicas alacrius instruebatur. Decessit anno ætatis LIII. Scripsit de musica libros XVII, Encomia, Dithyrambos. Hæc Suidas. Timotheus, sculptor nobilissimus: cuius in templo Apollinis Romæ multa fuerunt monumenta: vnus ex his qui Mausoleum cælauere, vt scribit Plinius lib.34. cap.8. Timotheus Gazeus, grammaticus tempore Anastasii principis, qui scripsit versibus: cuius opera nōnulla commemorat Suidas. Timotheus, his omnibus præstantior, Pauli apostoli epistolis, tum martirio clarus, præsul Ephesinus, patria Lycaonius, viduæ mulieris filius. Volaterranus lib.20.

Tina, apud Ptolemæum lib.2.cap.3, Britanniæ fluuius: vulgò Tine.

Tingi, inquit Pomponius Mela lib.1. & Plinius libro 5.cap.1. Mauritaniæ peruetus oppidum, ab Antæo(vt ferunt)conditum. postea à Claudio Cæsare, cum coloniam faceret, appellatū traducta Iulia.

Tipasa, Ptolemæo lib.4.cap.2, vrbs Mauritaniæ Cæsariensis: hodie Tenese.

Tiphys, viri proprium in nauibus fabricandis arte singulari, & qui Argonautarum gubernator fuerit, authore Virgilio in Bucolicis Ecloga 4,

Alter erit tum Tiphys, & altera quæ vehat Argo
Delectos heroas, &c.

Tiresias, vates Thebanus, Peneto patre genitus, & mutatus quondam, vt poetæ tradunt, in fœminam: & post septem annos in virilem formam rediit. Eius anima ponitur Vlyssi veniēs obuiam, multáque ei prædicens apud Homerum lib.11. Odysseæ.

Tiriscum(inquit Ptolemæus lib.3.cap.1.)quod iam Taros dicitur, Daciæ vrbs: hodie Grossechana.

Tisarantus, fluuius est Scythiæ, & secundus post Ordessum, vt scribit Herodotus lib.4.

Tisiphone, vna ex furiis, à cædibus plectendis dicta. Virgilius 10. AEneidos,

Pallida Tisiphone media inter millia sæuit.

Tisobis, fluuius Britanniæ, teste Ptolemæo lib.2.cap.3. vulgò Conuuey.

Tissa, Ptolemæo lib.3.cap.4, Siciliæ vrbs: hodie Tisse.

Titan, vel Titanus, Cæli & Terræ filius, qui multitudinis etiã numero Titanes dicuntur. Virgilius 6. AEneid.

Hic genus antiquum terræ, Titania pubes,
Fulmine deiecti fundo voluuntur in imo. Terra (inquit Seruius) primum Titanas contra Saturnum genuit: Gigantes postea contra Iouem. Et ferunt fabulæ Titanas ab irata cõtra deos terra, ad eius vltionem creatos. Vnde & Titanes dicti sunt ἀπὸ τῆς τίσεως, id est ab vltione. Hactenus Seruius.

Titanus, Plinio lib.5.cap.30, fluuius est AEolidis, & ciuitas ab eo cognominata.

Titaresius, Homero lib. Iliad.2, fluuius è Styge ortum habẽs: qui in Peneum influens, illius aquis non confunditur, sed instar olei innatans excurrit.

Tithonus (inquit Seruius) frater Laomedõtis fuit, quem præliantem Aurora dilexit, & rapuit: ex qua Memnonem filium genuit. sed tandem post longissimam optatámque vitam, audita Memnonis filii morte, in cicadam à poetis versus esse dicitur. Ex Seruio, enarrante apud Virgilium libro quarto AEneidos hunc locum,

Et iam prima nouo spargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile. Est item Laomedontis filius (teste Diodoro libro quinto) qui in Asia Orientem versus vsque in AEthiopiam militans dicitur genuisse ex Ida filium, nomine Memnona: qui quum Troianis opem tulisset, postea ab Achille est interfectus. Hæc Mancinellus ex Diodoro, declarans hunc locum Horatii primo Carminum, ode vicesima octaua,

Occidit & Pelopis genitor conuiua deorum,
Tithonúsque remotus in auras.

Titianus, Titiani filius, orator Græcus, præceptor Maximini principis, scripsit libros prouinciarum pulcherrimos: appellabatur Simia sui temporis, quòd omnia probè imitaretur. Capitolinus.

Titornus, bubulcus fortitudinis monstrosæ fuit, cum Milone de robore certauit vicitque, cum pedem tauri vna manu, altera verò alterius tauri pedem per vim conantibus ipsis resilire traheret. Author AElianus.

Titus, clarissimus Romanorum princeps, Vespasiani filius, & frater Domitiani. Author Tranquillus.

Tityrus, apud Virgilium & Theocritum in carmine Bucolico pastoris proprium.

Tityus (inquit Seruius) secundum alios terræ filius fuit: secundum alios à terra nutritus. vnde elegit sermonẽ quo vtrunque significaret. nam alumnum dixit. Hic amauit Latonã, propter quod Apollinis cõfixus est sagittis. Et damnatus hac lege apud inferos, vt eius iecur vultur exedat. Quanquam Homerus vicissim dicat duos vultures sibi in eius pœnam succedere.
Hactenus Seruius enarrans illud Virgilii 6. AEneid.
Necnon & Tityon terræ omnipotentis alumnum
Cernere erat: per tota nouem cui iugera corpus
Porrigitur: rostróque immanis vultur obunco
Immortale iecur tundens, fœcundáque pœnis
Viscera, rimatúrque epulis, habitátque sub alto
Pectore: nec fibris requies datur vlla renatis. Tityus item Sex. authore Cicerone in Bruto, orator, homo loquax sanè & satis acutus, sed tamẽ solutus & mollis in gestu, vt saltatio quædã nasceretur, cui saltationi Tityus nomen esset. Ita cauendum est ne quid in agendo, dicẽdóve facias, cuius imitatio rideatur. Hactenus Cicero.

T L

Tlepolemus, Herculis filius, teste Homero lib. Iliad. 2. Hic cũ Rhodiorũ rex esset, occisus est à Sarpedone in bello Troiano.

T M

Tmolus (inquit Seruius) mõs est Ciliciæ, in quo nascitur crocum præcipuè. Hæc ille apud Virgilium lib. Georg. 1,
Nonne vides croceos vt Tmolus odores,
India mittit ebur, molles sua thura Sabæi?

T O

Tobius, Ptolemæo lib. 2. cap. 3, Britãniæ insulæ fluuius, ad cuius ostia est oppidum quod Touue vulgò dicitur.

Tolentum, Italiæ oppidum in Piceno: à quo Tolẽti nates, populi dicti Plinio cap. 13. lib. 13.

Toletum, Ptolemæo lib. 2. cap. 6: alio nomine Serezo la dicta, Hispaniæ vrbs: vulgò Toledo.

Tolosa, Tectosagum, Narbonensis Galliæ vrbs nobilissima, à qua Tolosani, Tectosagi Plinio lib.3.cap.4.dicti. Notum est adagium, Aurum habet Tolosanum. De cuius raptu quæstionem aliquando habitam Romæ, scribit M. Cicero lib.de natura deorum 3. Vide Gellium lib.3, & Iustinum lib.22.

Tomarus, mons est AEtoliæ, vt scribit Plinius cap.2.lib.4. Idē & Tmarus appellatur, nobilis circa radices centum fontibus, vt Theopompo placet.

Tomos, Ponti oppidum, Nasonis exilio notum, quod ipsum à Milesiis deductum innuit Ouidius lib.Tristium 1,

A quibus adueniat Miletida sospes ad vrbem,

Offensi quò me contulit ira Dei. Cur autē Tomos dictum sit, eodem lib. his versibus exponit,

Inde Tomos, locus est dictus, quia fertur in illo

Membra soror fratris consecuisse sui. Nam τομὴ Græcis incisio dicitur. Absyrtus autem ille fuit Medeæ crudelitate sectus, vt idem Ouidius lib.3. Tristium scribit.

Tomyris, regina nobilis Massagetarum in Scythia, quæ Cyrum debellauit & interemit. De qua plenè Herodotus, & Iustinus lib.1. scripserunt.

Tongri, Galliæ populi, Ptolemæo lib.2.cap.9. vulgò Brabant.

Topazos, Plinio lib.6.cap.29. insula in mari rubro: in qua reperitur lapis Topazius mirè pellucidus, splendoréque aureo ita refulgens, vt interdiu videri non possit.

Toranius, mãgo quidam: qui, vt author est Plinius cap.12.lib.7, M. Antonio iam Triumuiro, eximios forma pueros, alterum in Asia genitum, alterum trans Alpes, vt geminos vendidit: tanta vnitas erat. Postquam deinde sermone puerorũ, detecta fraude, à furente increpitus Antonio est, inter alia magnitudinem pretii conquerente (nam ducẽtis mercatus erat sestertiis) respondit versutus ingenii mango, ob idipsum se tanti vẽdidisse, quoniam non esset mira similitudo in vllis eodem vtero editis: diuersarum quidem gentium natales tam concordi figura reperiri, super omnem esse taxationem: adeóque tempestiuam admirationem intulit, vt ille proscriptor animus, modo & contumelia furens, non aliud in censu magis ex fortuna sua duceret.

Torone, Plinio lib.4.cap.10, Macedoniæ oppidum.

T R

Trachalus, orator, Domitiani temporibus sobrius, & satis apertus suis, & quem velle optima crederes, auditus tamen maior. Nam & vocis, quantam in nullo cognoui, fœlicitas & pro-

nuntiatio, vel scenicis suffectura,& decora: omnia denique ei quæ sunt extra, superfuerunt. Author Quintilianus lib.10.cap.1, qui sonum Trachali appellat.

Trachonitis, regio Syriæ Palestinæ, vt scribit Plinius ca.18.li.5.

Tragia, Plinio lib.4.cap.12.insula vna ex Sporadibus. Ex hac fuit Theogiton Peripateticus Aristoteli familiaris.

Tragurium, insula Illyrici,& oppidum: cuius marmor commendatur Plinio cap.21.lib.4.

Traiana, Picenorum vrbs, authore Ptolemæo lib.3.cap.1. Hodie Potentia.

Traianus, inter Cæsares optimus. Fuit & Traianus Patricius, qui sub Iustiniano principe floruit. Scripsit tẽporum epitomen nobilem. Author Suidas. Est item Traianus, portus Tuscorum Ptolemæo lib.3.cap.1.hodie Volaterranorum portus.

Trallis, oppidũ Cariæ regionis in Asia minore, vt author est Plinius cap.29.lib.5.

Trapezus Trapezũtis, Cappadociæ ciuitas libera,& vasto mõte clausa, vt author est Plinius cap.4.lib.6. Hanc patriam habuit Georgius Trapezuntius, magnus in omnibus illustribus doctrinis homo: qui ad extremam senectutẽ, omnium & Græcarum & Latinarum literarum oblitus est.

Trasimenus, lacus. de quo Plinius cap.84.lib.2, Quo quidem anno ad Trasimenum lacum dimicantes, maximum terræ motũ neque Pœni sensere, nec Romani. De hoc & Ouidius Fastorum 6, Sunt tibi Flaminius Trasimenáque littora testes.

Trebatius iurisconsultus, Ciceronis familiaris, vt perspicere licet ex familiaribus epistolis.

Trebia, Subalpinæ regionis fluuius, iuxta Dertonẽ ciuitatẽ (author Strabo li.5.) clade Romanorũ ab Annibale accepta isignis.

Trebonius, cum Bruto & Cassio tertius coniurauit cõtra Cæsarem. in Asia deinde fraude Dolabellæ interfectus crudelissimè fuit, vt narrat Cicero in Philippicis.

Trebula, oppidum fuit haud longè ab vrbe, vt scribit Plinius. Et olim Trebulanis ciuitas data fuit. Hinc casei Trebulani dicti sunt. De quibus Martialis,

Trebula nos genuit, commendat gratia duplex,
Siue leui flamma, siue domamur aqua. Prope Trebulanos sunt & alii populi, nomine Trebani, authore Plinio lib.3.ca.12. vel Trebiani Suetonius in Tiberio, Iterũ eo cẽsente, vt Trebianis legatam in opus noui theatri pecuniam ad munitionẽ viæ transferre concederetur, obtinere non potuit quin &c.

Trecæ,arum, vrbs nobilis,& potens in Campania Gallicana.

Trechus, Homero Iliados 5,vir AEtolus, bellator egregius,à Marte in bello interemptus.

Treueri,Galliæ Belgicæ populi,vetusti sanè, noménque retinentes,nec pristinæ cedentes famæ:apud quos insignis olim cognoscendarum causarum , populi Romani curia, Treuirorum cognominata.Cuius in Floriano meminit Vopiscus.

Triballi,Epiri populi,Dardanis oppositi,& Mœsiæ gentibus, vt scribit Plinius cap.1.lib.4.

Trica,Stephano,vrbs Thessaliæ,id nominis sortita à Trica Penei filia.Plinius verò cap.10.lib.3,Tricā & Apinā, oppida quondam fuisse Apuliæ scribit.Hæc autē Diomedes tāta ignominia euertit,vt in prouerbii ludibriū transierint. Quoties enim rem futilem ac nugatoriam ostēdere volumus, Tricas & Apinas nominamus. Martialis, Sūt Apinæ,Tricæq;,& siquid vilius istis.

Trieterica,erant Bacchi sacra: quæ quia tertio quoque anno sumptuosiora quotidianis Orgiis agitabantur, Trieterica dicta sunt,dicente Ouidio lib.9.Metamor.

Vtque tuo moto proles Semeleia thyrso
Ismariæ celebrant repetita triennia Bacchæ. Idem & Seruius affirmauit,enarrans illud Virgilii lib.AEneid.4,
Thyas, vbi audito celebrant Trieterica Baccho
Orgia,nocturnúsque vocat clamore Citheron.

Trigarius,locus iuxta campum Martium.Plinius lib.vltimo ca.13,Ne equos quidē in Trigariis præferri vllos vernaculis animaduerto.Apud Martianum quoque Capellam libro 9,qui de Musica inscribitur,Trigarium(inquit)supplicantis semper germanitatis adueniet : hoc est,trigemma (inquit) illa mulier siue tres in vnius nominis vocabulo conspirantes.

Trinacria,Sicilia cognominata est à tribus promōtoriis, quæ Latinè etiā Triquetra dicitur,vt notat Seruius apud Virgiliū lib. AEneid.3, Ante & Trinacria lentandus remus in vnda.

Trinoantes,Britanniæ insulæ populi Orientales,penes Iamessam æstuarium, vt author est Ptolemæus lib.2.cap.3. Trinobates Cæsar appellat.

Triocla,Siciliæ vrbs,Ptolemæo lib.3.cap.4. hodie Triochala.

Triozenus, Thrax fuit vnus ex his qui venerunt in auxilium Troianorum,vt ostendit Homerus lib.Iliad.2.

Tripolis,Phœniciæ locus,ex numero dicitur trium vrbium, Tyro scilicet,Sidone,atque Arado, vt testantur Strabo,Plinius, & Pomponius Mela lib.1.in descriptione Phœniciæ.

Triptolemus, Celei filius, teste Seruio, aratri inuẽtor & agriculturæ. Eleusin (inquit) ciuitas est Atticæ prouinciæ, non longè ab Athenis, in qua cũ regnaret Celeus, & Cererẽ filiã quærentem liberalissimè hospitio suscepisset, illa pro remuneratione ostendit ei omne genus agriculturæ: filium etiam eius Triptolemum recens natum per noctem igne fouit, per diem diuino lacte nutriuit: & eum alatis serpẽtibus superpositum, per totum orbem misit, ad vsum frumentorum hominibus indicandum. Hactenus Seruius.

Trismegistus, qui etiam ἑρμῆς τρισμέγιστος, Mercurius, quasi ter maximus dictus, vel valde maximus, qui fuit nepos maioris Mercurii, quem fabulantur fuisse filium Nili. Hunc tamen secundum adserunt occidisse Argum, AEgyptiisque præfuisse, & leges literásque tradidisse: sed literarum caracteres animalium arborúmque figuras habuisse. Hic condidit vrbem, quem à se Hermopolim nominauit. Dictus est autem Trismegistus, quòd & philosophus maximus & sacerdos, & maximus denique rex fuerit. Consueuerunt enim AEgyptii ex omni philosophorum numero sacerdotes, ac rursus ex sacerdotibus regem eligere. Hic autem vt philosophos sapientia, ita religione sacerdotes excelluit, ac mox in imperio administrãdo superiores omnes reges superauit. Hic primus à Physicis ad diuinorum speculationem se erexit. Primus de maiestate Dei, de dæmonum ordine, animarúmque mutationibus sapientissimè disputauit. Scripsit multa volumina quibus arcana mysteria & oracula pandũtur. Non enim vt philosophus solum, sed vt propheta futura sæpe prædicit. Hæc ex Diodoro Siculo.

Tritanus, vt author est Varro in relatione prodigiosæ fortitudinis, gladiator fuit, qui in ludo gladiatorio Samnitium, & rectis & transuersis neruis non modo crate pectoris, sed & manibus cancellatis, & brachiis omnes aduersarios leui tactu, ac penè securis congressionibus vicit. Hic habuit filium Cnei Pompeii militem pari fortitudine natum, qui hostem se prouocantem ita spreuit, vt inermi dextra eum superauerit, & captum digito vno in castra imperatoris sui reportauerit. Huius & meminit Plinius cap. 20. lib. 7.

Tritees, populi fuerunt Achiuorum, authore Herodoto lib. 1.

Tritium metallum, Hispaniæ vrbs, Ptolemæo lib. 2. cap. 6: hodie Tafalla.

Triton (inquit Seruius) deus marinus, Neptuni & Salatiæ deæ marinæ filius, ab aqua salsa dictæ. Hæc Seruius enarrans hunc lo

cum Virgilii lib.AEneid.1,

Cymothoe simul,& Triton adnixus acuto
Detrudunt naues scopulo:leuat ipse tridenti,
Et vastas aperit Syrteis,&c. Est & Triton, Africæ minoris fluuius & lacus,cuius meminit Plinius cap.4.lib.5.Herodotus lib. 4,in palude insulam esse ait,vbi vestigia sunt euidētia,Iasonem aliquando in his locis fuisse. Amnis ipse Triton in Syrtim minorem egreditur,Ptolemæo lib.4.cap.3. Alii aliis in locis paludem hanc statuerunt,vt belle Plinius obseruauit.Ad illam primum apparuisse Palladem vetustas credidit, atque inde Tritonia dicta,authore ante alios Festo.Silius lib.9,

Et Pallas Libycis Tritonidis edita lymphis. Item lib.3,
Huic qui stagna colunt Tritonidos alta paludis,
Qua virgo(vt fama est)bellatrix inclyta lympha,
Inuento primam Libyen perfudit oliuo. Lucanus lib.9,
Hanc & Pallas amat patrio quòd vertice nata,
Terrarum primam Libyen(nam proxima cælo est
Quod probat ipse calor)tetigit:stagníque quieta
Vultus vidit aqua,posuitque in margine plantas,
Et se dilecta Tritonida dixit ab vnda.

Tritonice, Ponti vrbs, eadem Tomos appellata, de qua antè diximus.

Triuia, dicta est Diana, quòd triuiis præesset, propter quod tres facies habere fingebatur.Virgilius 4.AEneid. Tria virginis ora Diana. Ouidius 1.Fastorum,

Ora vides Hecates in tres vergentia parteis,
Seruet vt internas compita secta vias.

Troas,Asiæ regio Hellesponto adiacens,eadem quondā AEolis & Mysia appellata, authore Plinio cap.30.lib.5. Mela lib.1, Proxima(inquit)regio, ex quo ab AEoliis incoli cœpit, AEolis facta,antè Mysia,& qua Hellespontum attingit, Troianis possidentibus Troas fuit.Hactenus Pomponius.

Troctes,vir quidam è Phœnicia,qui,vt testaturHomerus lib. Odyss.14,aptus ad decipiendum, multa hominibus mala inflixit: atque Vlyssi persuasit vt in Phœniciam,vbi ipsius domus & substantia erat,proficisceretur.

Troezenii,populi,fide societatis Atticæ illustres,vt inquit Pōponius Mela,in ipsa Chersoneso siti, ad quos recto cursu ex Piræeo commodissima nauigatio est.Eo igitur tempore quo Xerxes cum tantis copiis in Græciam traiecit, cum Themistoclis oraculum interpretantis sententia valuisset,vt terra relicta,mari

se concrederent: iuuentutem omnem Athenienses in triremes imposuerunt, plurimi verò parentes & vxores in Troezenem, Troezeniis eos humanissimè suscipientibus. Decreuerunt enim vt hi publicè alerentur, duobus obolis in singulos distributis: puerisque facta potestas, vt vndecunque liberet, poma acciperent, & pro his erudiendis, magistris merces persoluta est. Eius decreti author Nicagoras fuisse traditur. Hactenus in Themistoclis vita Plutarchus.

Troglodytæ, populi AEthiopiæ, nullarum opum domini (inquit Mela lib. 1.) strident magis quàm loquantur. Specus subeunt, aluntúrque serpentibus. Hactenus Pomponius Mela.

Troia, teste Liuio de bello Macedonico lib. 7, regio est minoris Asiæ, in qua fuit Ilion ciuitas cantatissima. nonnunquam tamen pro ipsa vrbe Troia ponitur. Ouidius Epistolarum lib. 1, Troia iacet certè Danais inuisa puellis. Et rursum alibi in eadem epistola, Iam seges est vbi Troia fuit. Similiter & Virgilius lib. AEneid. 3, Et campos vbi Troia fuit. Troia etiam ludus puerorũ equestris fuit. Suetonius de Cæsare, Troiam (inquit) lusit turma duplex maiorum.

Tros, rex Troiæ (inquit Seruius) Ganymedis pater, à quo Troia dicta. Virgilius lib. Georg. 3,

-demissǽque ab Ioue gentis
Nomina, Trósque parens & Troiæ Cynthius author. Tros etiam ponitur pro Troius, vt notat idẽ Seruius apud Virgilium AEneidos 6,

-cessas in vota, precésque
Tros ait, AEnea, cessas?

Trossuli, populi. De quibus Plinius cap. 2. li. 33, Postea Trossuli, cum oppidum in Tuscis citra Volsinios pass. 1x.m. sine vllo adiumento peditum cepissent eius vocabuli: ídque durauit vltra C. Gracchum.

Truentus, fluuius Picenorum Ptolemæo libro 3. cap. 1: vulgò Tronto.

Tryphiodorus, AEgyptius poeta, scripsit Marathoniaca, Excidiũ Ilii, Odysseã, id est poema de erroribus & laboribus Vlyssis. Paraphrases comparationũ ab Homero positarũ. Author Suidas.

Tryphon, Alexandrinus grammaticus, Augusti tempore, scripsit de copia orationis, de orthographia, & alia à Suida commemorata. Tryphon, Origenis auditor, ad quem nonnullæ eius extant epistolæ, in sacris literis eruditissimus fuit, vt eius multa

oſtendunt monumenta. De hoc ſcribit Hieronymus.

T V

Tuæſis, æſtuarium maris Britannici apud Ptolemæum lib.2. cap.3: vulgò Tuuede, iuxta quod Beruicia, munitiſſimum oppidum regis Anglorum, in finibus Scotiæ. vulgò Beruuyk.

Tubero Romanus, is notiſſimus eſt ex Ciceronis oratione pro Ligario. Eſt item Tubero, fluuius apud Indos, Pōponio Melæ lib.3. Plinius cap.23. lib.6. Tuberum appellat.

Tuberum, Plinio lib.6. cap.23, flumen nauigabile, quod circa Pariræ.

Tucca, L. Varus & Plocius, viri doctiſſimi, amici Virgilii, hæredéſque ex parte teſtamēti relicti: iuſſu Auguſti carmina AEneidos emendauerunt, hac lege vt nihil adderent, vt Seruius tradit.

Tucris, Ptolemæo lib.2. cap.6, Hiſpaniæ vrbs: vulgò Tudela.

Tudæ, Ptolemæo libro 2. cap.6, vrbs Hiſpaniæ, hodie Tyde in Gallicia.

Tuder, oppidum mediterraneum Vmbriæ. Author Plinius libro 3. cap.14.

Tuerobis, fluuius Britanniæ, Ptolemæo libro ſecundo cap.3. vulgò Abedeuy.

Tulcis, modicus amnis Hiſpaniæ ad Tarraconem, vt ſcribit Pomponius lib.2.

Tuliphurdum, Ptolemæo lib.2. cap.11, Germaniæ vrbs: vulgò Cottingen.

Tuliſurgium, Ptolemæo lib.2. cap.11, vrbs Germaniæ, hodie Prunſuiga, vulgò Brunſuuig.

Tullum, Galliæ vrbs in Belgica, authore Ptolemæo lib.2. cap. 9: vulgò Tulle, Toll.

Tullus Hoſtilius, tertius Romanorum rex bellicoſus. De quo vide Liuium lib.1. Decadis primæ.

Tunetum, ſiue, vt quidam dicunt, Tunitium, Scipionis tempore tumulus erat editior, vnde Scipio ſpectauit Carchedonios ad Romanam claſſem exurendam proficiſcentes. Noſtra tempeſtate regis Libyci ciuitas metropolis eſt, in qua veluti ampliore & magnificentiore conſueuit habitare, & Tuniſæus rex appellatur. Tunetum non ſanè ob hanc cauſam habitarunt, quòd Carthagine carerent à Scipione diruta, quum denuò amplificata ſurrexerit, ex qua (velut ex equo Troianò) manarunt literarum proceres. Ad cuius celeberrimum gymnaſium Auguſtinus profitetur contendiſſe. Hanc Eutropius libro quarto,

continuis sedecim diebus arsisse perhibet. Hæc septingentesimo anno postquam cōdita erat, deleta est. Hæc, vt idē author ait, L. Cæcilio Metello & Tito Flaminio consulibus, in Africa iussu Senatus reparata est, quæ nunc manet, annis vigintiduobus euo lutis, postquam à Scipione fuerat euersa. Abest Tunetum à Carthagine duodecim millia fermè passuum. A Tuneto, Tunetæi dicti sunt, quos Sidonius Tunisæos appellat.

Turarius, vicus Romæ. Asconius, Signum Vertumni in vltimo vico Turario est, sub basilica se flectentibus.

Turcæ, teste Pōponio lib.1, populi sunt Scythici, iuxta Thyssagetas & vltra Sauromatas. Ab his orti iudicantur, qui ætate nostra latissimè imperitant: Turci vulgò dicti, ignauia quidem nostra magni, sed post Macedonas & Romanos sine dubio potentissimi, Hermolao.

Turde, Vilumbrorum ciuitas in Italia, teste Ptolemæo lib.3. cap.1. Tudea Silio: Tudertum hodie.

Turduli & Bastuli, populi in Hispania Bætica præcipui, vt & Bætica Turdetania dicta sit Straboni libro 3. Plinius cap.1.lib.3, Ab Ana autem (inquit) Atlantico Oceano obuersa Hispania, Bastulorum, Turdulorúmque est. Strabo li.3, Turdetanos cum Ptolemæo lib.2.cap.44, nominat.

Turia, Vide DVRIAS.

Turiasso Ptolemæo li.2.ca.6, Hispaniæ vrbs: vulgò Tiriassona.

Turnus, nomen ducis qui ab AEnea occisus est, vt videre licet in 12. Virgilii AEneidos.

Turones, Lugdunēsis Galliæ populi ad fluuium Ligerim, authore Plinio cap.18. lib.4.

Turpio Ambiuius, actor comœdiarum Terentii temporibus.

Turris Bissonis, ciuitas Sardiniæ Ptolemæo lib.3.cap.3. Sardos hodie: Turris Libysonis Plinio.

Turulis, fluuius Hispaniæ Tarraconēsis Ptolemæo lib.2.cap. 6. Turia vulgò Claudiano & Hermolao apud Plinium. Pomponius Duriam corruptè nominat.

Turuptiana, Ptolemæo lib.2.ca.6, Hispaniæ Tarraconēsis vrbs: Tuitana hodie: Tuy vulgò.

Tuscia, regio est Italiæ, quæ & Hetruria dicitur, vt scripsimus in dictione HETRVRIA: vulgò Toscana.

Tusculum, Italiæ oppidum, Telegoni Vlyssis & Circes filii ædificium. Ciceronis villæ nobilissimum. Silius, Mœnia Laertis quondā regnata nepote. Tusculani, Frederici, AEnobarbi

imperatoris quondam coniuncti copiis, Romanos insigni clade affecere, vt postea resipiscere non esset. Romani itaque iniuriæ memores, post aliquot annos, tanta in eos ira perciti sunt, vt vix vrbis fundamenta relinquerent. Volaterranus lib.6. Tusculum, vulgò Frascati.

Tuscus, vicus Romæ, in quo habitauerunt Tusci, à Porsenna ex obsidione relicta. De quo Horatius in Sermonibus, Ac Tusci turba impia vici.

T Y

Tyana, vrbs Cappadociæ, Apollonii Tyanei patria. Inde Tyanensis prætura, in qua est oppidum Tyana. Author Strabo libro 12, & Plinius cap.3. lib.6.

Tyberis, amnis Italiæ è media ferè longitudine Apœnini Aretinorum finibus defluēs, tenuis principio, nec ferè nauigabilis. Fertur per centum & quinquaginta millia passuum non procul Tiferno, Perusia, & Otriculo. Hetruriam ab Vmbris ac Sabinis, mox Veientem agrum à Crustumino, deinde Fidenate, Latinúmque à Vaticano dirimens, duobus & quinquaginta fluuiis augetur. Præcipuis autem Nare & Aniene: nec minus tamen aquis, fontibúsque in vrbem perductis: & ideo quamlibet magnarum nauium ex Italo mari capax, rerum in toto orbe nascentium vector placidissimus. Primùm ab aquarum colore Albula dictus est, deinde Tybris appellatus: vel à rege Tusco eius nominis, iuxta eum in bello occiso. Quod sensisse etiam videtur Virgilius AEneid.li.8,

-aspérq; immani corpore Tybris:
A quo post Itali fluuium cognomine Tybrin
Diximus, amisit verum vetus Albula nomen.

Vel quòd τῆς ὕβρεως, hoc est iniuriæ fluuius, esset, propter regem Tuscorum, latrocinari circa eius fluminis ripas, ac vastare omnia solitum. Seruius, Vt autē (inquit) Tybris dicatur, hæc ratio est, Quodam tempore Syracusani victores ceperunt Syracusis ingētem Atheniensium hostium multitudinem: & eam cæsis montibus fecerunt addere munimenta ciuitati. Tunc auctis muris, etiam fossa intrinsecus facta est: quæ flumine admisso repleta munitiorem redderet ciuitatem. Hanc igitur fossam per hostium pœnam & iniuriam factam, Tybrim vocarūt ἀπὸ τῆς ὕβρεως. Postea profecti Siculi ad Italiam, eam tenuerunt partem, vbi nunc Roma est, vsque ad Rutulos & Ardeam. vnde est, Fines super vsque Sicanos. Et Albulam fluuium, ad imaginē fossæ Syracusanæ Tybrin vocarunt, quasi ὕβριν. Hactenus Seruius. Rursus autem

à Tyberino Albanorũ rege in eo submerso pro Tybri dictus est Tyberis. Ouidius Fastorum 2,

Albula, quem Tyberim mersus Tyberinus in vndis
Reddidit, hybernis forte tumebat aquis. Hinc Tyberinus, Tyberina, Tyberinũ dicitur. Et Tyberinus, Tyberis fluminis deus. De quo Virgilius lib. AEneid. 8,

Huic deus ipse loci fluuio Tyberinus amœno. Tyberis etiam Ptolemæo lib. 3. cap. 1, Albula prius: vulgò Teuero.

Tybur, vrbs est Italiæ, sedecim millibus passuum distãs ab vrbe Roma: quã, teste Solino, ex authoritate Catonis Catillus Arcas, præfectus classis Euandri, condidit. Quod etiam sensit Seruius: De Græcia (inquit) tres fratres venerunt ad Italiam, Catillus, Coras, Tybur vel Tyburnus. Hi simul omnes vnam fecere ciuitatem, & eam de fratris maioris nomine Tybur appellauerũt: licet & alias fecerint singuli. Hactenus Seruius enarrãs illud Virgilii lib. AEneid. 7,

Tum gemini fratres Tyburtia mœnia linquunt,
Fratris Tyburti dictam cognomine gentem
Catillúsque, acérque Coras, Argiua iuuentus. Tybur autẽ Virgilio dicitur superbũ: id est nobile, inquit Seruius: aut per transitum tetigit illud, quod aliquãdo quũ à Senatu auxilia poscerent Tyburtes sub cõmemoratione beneficiorum, hoc tantum à Senatu responsum acceperunt, Superbi estis. Hæc Seruius, explicans illud Virgilii lib. AEneid. 7,

Quinque adeò magnæ positis incudibus vrbes
Tela nouant, Atina potens, Tybúrque superbum,
Ardea, Crustumerique, & turrigeræ Antemnæ.

Tycha, Hesiodo teste, Nympha Oceani & Tethyos filia.

Tydeus, Altheæ & OEnei filius, quem in bello Thebano Menalippus extinxit. Author Seruius in illud Virgilii AEneid. 6,

Hîc illi occurrit Tydeus, hîc inclytus armis
Parthenopeus. De hoc, vt scribit Homerus lib. Iliad. 4, cũ Mycenis moraretur, fama est neminem illi viribus corporis potuisse æquari. At postquam rediens, ad fluenta Asopi venit, cæteri eum Græci ad Eteoclem pro legato miserunt. Ad quem cum iuisset, ingressúsque regiam, complures illic ciues comperisset (fortè cum Eteocle in conuiuio erant) non timuit & hostis & solus Thebanos omnes ad quodlibet certaminis genus prouocare. Atq; vt animosè prouocauit, ita omnes (sic illi Pallas propitia erat) strenuè vicit. Quamobrem Thebani dolore indignationis accensi, reuersuro insidias tetenderunt: collatis ad oppor-

tunum locum,qua Tydeus transiturus erat,quinquaginta iuue nibus cum duobus ducibus deorum immortalium robore similibus,Mæone AEmonis,& Lycophonte Autophoni filio.Eos Tydeus omnes ad ipsum locum occurrentes strauit occiditque, fretus deorum qui sibi ministrabāt auguriis: vnū tamen Mæonem cum tristi nuntio redire permisit,immo iussit.

Tydides,Diomedes Tydei filius, bellator strenuus,qui præter alia bene & fortiter gesta, Venerem in dextra, & Martem sub vtero percussit,vt late scribit Homerus lib.Iliad.5. Proinde scribitur Horatio, Tydides melior patre. Atque 1.Carm.Ode 6,

Quis Martem tunica tectum adamantina
Dignè scripserit?aut puluere Troico
Nigrum Merionem? aut ope Palladis
Tydidem superis parem?

Tymbræus(inquit Seruius)Apollo dicitur,à loco Troiæ vicino pleno Tymbra:in quo eius & nemus est, & templum, vbi à Paride Achilles occisus est. Vnde & fingitur manu Apollinis vulneratus.Ergo Tymbræus,vt Delius.Nam numina à locis frequenter nomen accipiunt.Hactenus Seruius apud Virgilium libro AEneidos tertio,

Da propriam Tymbræe domum,da mœnia fessis.

Tymœtes,Priami filius. Huius meminit Seruius, Euphorionis verba referens:Priamus,inquit,ex Arisba filium vatem suscepit. Qui cum dixisset quadam die nasci puerum , per quem Troia posset euerti:pepererunt simul & Tymœtæ vxor & Hecuba,quæ Priami legitima erat.Sed Priamus Tymœtæ filiū,vxorémque iussit occidi. Hactenus Seruius enarrans hunc locum Virgilii 2.AEneid.

Pars stupet innuptæ donum exitiale Mineruæ:
Et molem mirantur equi. primúsque Tymœtes
Duci intra muros hortatur,& arce locari.

Tymphæi, Plinio lib.4.cap.2,populi AEtoliæ. Strabo lib.7, Propinqui Macedoniæ & Thessaliæ sunt ad montem Pœum & Pindū AEthices & Penei fontes, de quibus & Tymphæi & Thessali,Pindi accolæ certant.

Tyndarus, rex OEbaliæ, filius OEbali regis, habuit vxorem formosissimam Ledam. Nonnunquam pro Tyndaro, Tyndareus ponitur.vt Ouidius in Epistolis,

Me tibi Tyndareus vita grauis author & annis
Tradidit: & reliqua. Hinc Tyndaridæ Castor & Pollux dicti, & Helena Tyndaris. Seruius, Atqui (inquit) Helena Iouis

est, non Tyndarei filia. Sed sic dicimus Tyndaridis de Helena, vt de Hercule Amphitryonides. Nam de Ioue & Leda nati sunt Pollux & Helena. De Tyndareo & Leda Castor, qui & solus mortalis fuit. Vnde Virgilius 6. AEneid.
Si fratrem Pollux alterna morte redemit. Qui immortalitatem suam cum fratre partitus est. Helenam verò immortalem fuisse indicat tempus. Nam constat fratres eius cum Argonautis fuisse. Argonautarum filii cum Thebanis dimicauerunt. Itē illorum filii contra Troiam bella gesserunt. Ergo si immortalis Helena non fuisset, tot sine dubio seculis durare non potuisset. Hanc autem legimus prius à Theseo raptā, & in AEgypto commendatam Protheo. Hæc Seruius apud Virgilium li.2. AEneid.
Non tibi Tyndaridis facies inuisa Lacænæ,
Culpatúsve Paris, &c. Est & Tyndaris, Siciliæ vrbs, media ex parte à mari absumpta. Plinius cap.91. lib.2.

Typhœus, gigas fuit Terræ & Titani filius. Inde Typhoeus Typhoea Typhoeum. Virgilius 1. AEneid.
Nate patris summi, qui tela Typhoea temnis,
Ad te confugio: & supplex tua numina posco. Is alio nomine dicitur Typhon, quem Strabo lib.13. ex Pindari authoritate sub AEtna cruciari scribit. Alii sub Inarime condunt. vt Lucanus, Conditus Inarimes æterna mole Typhœus. Typhon item ventus est quem Græci turbidum & orbe motum nominăt, vt scribit Meteororum 3. Aristoteles. Gellius lib.19. cap.1, Nauigabamus (inquit) à Cassiopia ad Brundusium, mare Ionium violentum & vastum & iactabundum. Nox deinde, quæ diē primum secuta est, in ea ferè tota ventus à latere sæuiens, nauē vndis cōpleuerat. Tum postea complorantibus nostris omnibus, atque in sentina satis agentibus, dies quidem tandem illuxit: sed nihil de periculo atque sæuitia remissum, quin turbines etiā crebriores, & cælum atrum, & fumigātes globi, & figuræ quædam nubium metuendæ, quas τυφῶνας vocabant, impendere, imminereque, ac depressuræ nauem videbantur. Hactenus Gellius.

Typhon, frater Osiridis regis AEgypti, qui, vt testatur Diodorus Siculus, ipsum regē clàm necauit, & in vigintiquinque partes corpus eius discerpsit. Tādémque ab Iside regina in bello est interemptus.

Tyra, Plinio lib.4. cap.12, fluuius Istro proximus, Mœsiæ partem perlabitur. Ptolemæo lib.3. cap.10, & Ammiano. Tyras, ciuitas sic appellata.

Tyrambe,Sarmatiæ in Asia vrbs,authore Ptolemæo lib.5.ca. 9.hodie Trapano.

Tyranion Amisenus,discipulus Estiæi Amiseni nobilis gram matici, tempore magni Pompeii, docebat Romæ. Ductus est à Lucullo captiuus in bello Mithridatico:prius dicebatur Theophrastus: mutauit autem nomen, quòd inter æquales superbis versaretur moribus. Clarus & diues ob doctrinam factus adeò est,vt supra tria millia librorum possideret. Decessit senex morbo podagræ. Tyrannion iunior è Phœnicia discipulus prioris, à quo nomen sibi vsurpauit, cum prius Diocles vocaretur.Captiuus & ipse Romam ductus, à quodam Diamante Cæsaris liberto emptus,deinde dono datus Terentiæ Ciceronis,ab eáque liber factus,ludum Romæ aperuit:scripsit libros LXVII. Vtriusque author Suidas.

Tyrannus, Sophista fuit qui scripsit de diuisione orationis libros decem.Author Suidas.

Tyras,Sarmatiæ fluuius in Europa,Ptolemæo lib.3.cap.5:vulgò Neyster.

Tyres,fluuius est Scythiæ,post Istrum secundus, teste Herodoto libro quarto.

Tyridates, rex Armeniæ magus temporibus Neronis, vt est author Plinius lib.33.cap.33.

Tyrinthia, ciuitas Argis vicina, in qua nutritus est Hercules, qui inde Tyrinthius dictus est Virgilio libro 7.AEneid.vt notat Seruius, -postquam Laurentia victor,
Geryone extincto,Tyrinthius attigit arua,
Tyrrhenóque boues in flumine lauit Iberas.

Tyrius,vrbs mœnibus insignis in Peloponeso,teste Homero.

Tyrus,Phœniciæ peninsula. De qua Plinius ca.19.li.5.sic scribit,Tyrus(inquit)quondam insula,præalto mari septingetis passibus diuisa,nunc verò Alexandri oppugnantis operibus continens.Olim partu clara vrbibus genitis, Lepti, Vtica, & illa Romani imperii æmula terrarum orbis auida, Carthagine, etiam Gadibus extra orbem cõditis.Nũc omnis eius nobilitas cõchylio atque purpura constat.Hactenus Plinius.De obsidione eius, vtque cõtinenti adiuncta est, nemo vberius Diodoro lib.17.Lege Curtium lib.4.

Tyrrhenum mare dictum est, vel quòd Tusciã alluit (inquit Seruius)id est Tyrrheniam:vel à Tyrrhenis nautis,qui se in hoc mare præcipitauerunt. Nanque hoc habet fabula, Dormiẽtem in litore Liberum patrem puerum nautas abstulisse Tyrrhenos.

qui quum esset experrectus in naui, quò duceretur interrogauit. Responderunt illi, Quò vellet. Liber ait, Ad Naxum insulam sibi sacratam. Sed cum aliò vela deflecterent, iratum numen tigres sibi sacratas, visibus eorum obiecit, quo terrore se illi in fluctus dedere præcipites. Hactenus Seruius enarrans hunc locum Virgilii 1.AEneid.

Gens inimica mihi Tyrrhenum nauigat æquor
Ilium in Italiam portans, victósque penates. Idem in hymno quodam in Bacchi laudes scripsit Homerus.

Tyrrhus (inquit Seruius) pastor, apud quem Lauinia peperit. Inde Tyrrhidæ, Tyrrhi filii. Hæc Seruius apud Virgilium lib.7. AEneidos,

Ceruus erat forma præstanti & cornibus ingens
Tyrrhidæ pueri, quem matris ab vbere raptum
Nutribant, Tyrrhúsque pater, cui regia parent
Armenta, & latè custodia credita campi.

Tyrtæus, poeta Græcus, cuius sæpe meminit Plato in libris de legibus, O diuine poeta Tyrtæe (inquit) sapiens certe ac bonus nobis esse videris, quia excellentibus eos extulisti laudibus, qui in bello excelluerunt.

Tyrus, Plinio lib.5.ca.20, oppidum iuxta Libanum montem.

Tyttygias, latro fuit & plagiarius in Arcadia, qui res alienas, quas furto abstulerat, venditabat: eóque quæstu diues factus est. Zenodotus apud Erasmum in Chiliad.

V A

VACCA, fluuius est Lusitaniæ in Hispania, vt scribit Plinius cap.21.lib.4.

Vaccei, Hispaniæ citerioris populi, vt scribit Plinius capite 20.lib.4.

Vacorium, vrbs Norici apud Ptolemæum libro secũdo cap. 14.hodie Villacum.

Vacuna, dea quæ præerat otiosis & vacantibus. Huic sacrificabant agricolæ, quum post collectas fruges quiescebant. Vnde Ouidius lib.6. Fastorum,

Nam quoque cum fiunt antiquæ sacra Vacunæ,
Ante Vacunales stántque sedéntque focos.

Vageni, Plinio libro tertio cap.20, populi inter Alpinas gentes. Silius,

Tum pernix Ligur, & sparsi per saxa Vageni.

Valasca, Bohemorum regina fuit, quæ facta cum cæteris mu

lieribus coniuratione, de excutiendo virorum principatu, copiarum ductrix bellum mouit, interfectísque viris fœminas omnes asseruit in libertaté, ita vt instar Amazonum multos annos imperarint sine viris. Volaterranus in Geographia.

Valentia, Hispaniæ citerioris vrbs tribus millibus passuum à mari remota, vt author est Plinius lib.3.cap.3.& Ptolemæus lib.2.cap.10.& Mela lib.2. Est & Valentia, iuxta Viennam ad Rhodanum, Allobrogum ciuitas, vt docet Plinius cap.4.lib.3. Hodie Valence.

Valeria, Ptolemæo lib.3.cap.3, oppidum Hispaniæ, à qua Valerienses populi Plinio cap.3.lib.3.

Valerii, prius Valesii, teste Quintiliano appellati: sicut Fusii, deinde Furii.

Valerius, L. Valesii filius, qui primum de Veientibus, deinde de Sabinis, postremò de vtrisque triumphauit. Hic quia in locum tricipitini collegæ consulem non subrogauerat, & domum in Velia tutissimo loco habebat, in suspicionem regni affectati venit. quo cognito apud populum questus est, quòd tale aliquid timuissent. Quapropter remisit qui domum suam diruerent: secures etiam fascibus dempsit, easque in populi concione summisit: legem de prouocatione à magistratibus ad populum tulit. Hinc Publicola dictus. Cum diem obiisset, publicè sepultus, & annuo matronarum luctu honoratus. Author Cæcilius de viris illustribus. Hic quadriga primus in triumpho vectus est, sine vlla inuidia: præterea collegæ Bruto honores funúsque curauit, funebrémque orationem de ipsius laudibus habuit, quæ adeò iucunda fuit Romanis, vt ex eo consuetudo manarit: vt qui strenuè pugnando occubuissent, ab optimatibus laudarentur. Author Plutarchus. Valerius, M. Publicolæ frater consul vnà cum Posthumio Tuberto factus, ac contra Sabinos profectus, rem fœliciter fratris auspiciis & administratione gessit. Ex quo publicè ei domus ædificata, cuius fores extra honoris gratia aperirentur, cum cæteræ intus procederent. Valerius Coruinus Tribunus militum, sub duce Camillo reliquias Senonum persequente, aduersus Gallum prouocatorem solus processit. Coruus ab ortu solis galeæ eius insedit, & inter pugnandum, ora oculósque Galli reuerberauit: & hoste victo, Valerius Coruinus dictus fuit. Hic, quum ingens multitudo ære alieno oppressa, Capuam occupare tentasset, & ducem sibi Quintium necessitate magna compulsum fecisset, sublato ære alieno seditionem compressit. Hæc Cæcilius.

Liuius verò addit de Samnitibus eum triumphasse, sexies consulem fuisse, hostes T. Manlii morte exultantes cõpressisse. Vixit præterea, teste Valerio, corporis & animi viribus integris annos centum. Lege Liuium lib. 7. Decad. primæ. Valerius Potitus, post Decemuiralem inuidiam, plebem in patres incitatam legibus & cõditionibus suis mitigauit. Vnde Potiti cognomen adeptus. Primus quoque consul, post Decemuiros cum Volscos AEquósque ad Algidum magna laude debellasset, triumphus ei à patribus negatus fuit. Sed suadẽte Icilio Tribuno plebis primus sine authoritate Senatus triũphauit cum collega suo M. Horatio. Quamobrem Maximi cognomẽ adeptus est, quod nemini à Senatu præterquã Fabio Maximo cõcessum est, vt scribit Plutarchus. Valerius Leuinus consul cum Pyrrho prælio congrediens, in Lucania infœliciter pugnauit. Iterũ postea consul contra Agrigentum missus, ac superato Hannone duce Carthaginensium, oppidum in potestatem recepit: Senatum securi percussit. Alter Valerius Leuinus, contra Philippum Macedoniæ regem fœliciter bellum gessit, teste Liuio lib. 7. de 2. bello Punico. Valerius Flaccus, M. Catonis familiarissimus, eũdem ex agro Tusculano ad Rempublicam adduxit, pariter & instruxit, vt ait Plutarchus. Cõsul cum eodem Catone circa Mediolanum, vt Liuius testatur, cum Gallis & Insubribus & Boiis collatis signis pugnauit, vbi decem millia hostium sunt cæsa. Causam mulierum de abroganda lege Oppia contra collegã suum Catonem obtinuit, quorum vide apud Liuium elegantes vtriusque orationes libro 4. de bello Macedonico. Valerius Soranus poeta, quem Cicero in libris de Oratore doctissimum togatorum appellat: Plutarchus verò virum philosophum & eruditum dicit, ac interfectum à Cn. Pompeio fuisse. Valerius Antias scriptor historiæ sæpe ab authoribus testis citatur, vt à Liuio. Valerius Procillus militauit sub Cæsare, in Galliam missus legatus ad Ariouistum, vt est in Commentariis Cæsaris. Valerius Maximus historicus, scripsit dicta ac facta memorabilia ad Tiberium Cæsarẽ. Militauit sub Sex. Pompeio, vt ipse de se testatur, vbi de institutis antiquis loquitur. Valerius Flaccus poeta scripsit Argonautica. Quintilianus eum sua ætate fuisse testatur his verbis, Multum (inquit) in Valerio Flacco nuper amisimus.

Vandali, siue, vt Plinio lib. 4. cap. 14, & Straboni lib. 7. placet, Vindelici, populi sunt Germaniæ: qui, vt ait Volaterranus, paucis ante annis quàm Gothi Romam caperent, Gallias inuasere.

Inde in Hiſpaniam, traiecto Pyrenæo, penetrantes, loca circa Bæticam, quæ Vandalia poſtea dicta eſt, occupauerunt.

Vangiones, inter populos Galliæ Belgicæ ponũtur, Coloniæ Agrippinenſi vicini Plinio cap.17.lib.4.

Varduli, Hiſpaniæ populi. De quibus Pomponius Mela lib.3.

Varro, poeta Romanus, quem Fabius Quintilianus, inter peritiſſimos Satyræ ſcriptores enumerat. Eiusverba cap.1.lib.10.hæc ſunt, Alterum illud eſt & prius Satyræ genus, quod nõ ſola carminum varietate miſtum condidit Terentius Varro, vir Romanorum eruditiſſimus. Plurimos hic libros & doctiſſimos compoſuit, peritiſſimus linguæ Latinæ, & omnis antiquitatis, & rerum Græcarum noſtrarúmque: plus tamen ſcientiæ collaturus, quàm eloquentiæ. Eſt & alter Varro, cuius meminimus in dictione TERENTIVS.

Varus, fluuius eſt, Narbonenſem prouinciam ab Italia ſeparans. De quo lege Strabonem lib.4.ab initio.

Vaſcones, Hiſpaniæ populi, verſus Gallicum & Britannicum Oceanum, ad Pyrenæum ſiti. De quibus Plinius cap.3.lib.3.

Vaſio, Narbonenſis Galliæ Vocõtiorum oppidum, vt ſcribit Pomponius Mela lib.2.in deſcriptione Galliæ Narbonenſis.

Vaticanus, collis in vrbe Roma dictus (inquit Feſtus) quòd eo potitus ſit populus Romanus vatum reſponſo, expulſis Hetruſcis. In eo autem colle ſita eſt Petri Baſilica. Is denique collis nõ longè eſt à theatro Pompeii, vt Porphyrio ſcribit apud Horatium, 1.Carm.Ode 20, -ſimul & iocoſa
Redderet laudes tibi Vaticani
Montis imago. De Vaticano agro, colle, & deo ſic ſcribit Gellius cap.17.lib.16, Et agrum Vaticanum (inquit) & eiuſdem agri deum præſidẽ appellatum acceperamus à vaticiniis, quæ vi atque inſtinctu eius dei, in eo agro fieri ſolita eſſent. Sed præter hanc cauſam Marcus Varro in libris rerum diuinarum, aliam eſſe tradit iſtius nominis rationem. Nam ſicut Aius, inquit, deus appellatus, aráq; ei ſtatuta eſt, quæ eſt in infima noua via, quòd eo in loco diuinitus vox edita erat: ita Vaticanus deus nominatus, penes quem eſſent vocis humanæ initia: quoniam pueri ſimulatque parti ſunt, eam primam vocem edunt, quæ prima in Vaticano ſyllaba eſt. Idcircóque vagire dicitur, exprimẽte verbo ſonum vocis recentis. Hactenus Gellius.

Vatinius, quum eſſet dignitati Ciceronis ſemper aduerſus, ita poſtea præualuere amicitia, vt duobus iudiciis publicis ab eo defenſus. Author Valerius. Hic quum eſſet impudentiſſimus,

eleganter à Seneca describitur: Vatinius (inquit) assiduo couitio depudere didicerat.

Vaunia, Italiæ ciuitas, Venetiæ propinqua, Ptolemæo authore lib.3.cap.1. vulgò Louino.

V B

Vbii, inter Galliæ Belgicæ populos ad Rhenū coloniæ, Agrippinensi finitimi, ponuntur Plinio cap.17.lib.4.

V C

Vcalegon, nobilis Troianus, qui tempore Troiani belli ob senium abstinebat armis, vt scribit Homerus lib. Iliad.3. Inde, vt scribit Seruius, Virgilius 2. AEneid. rem domus ad personā transtulit, dum ait,

-iam proximus ardet
Vcalegon: Sigæa igni freta lata relucent.

Vcia, Ptolemæo lib.2.cap.4. Plinio lib.3.cap.1, Vria, Hispaniæ ciuitas.

V E

Vectis, insula Britānici maris, vt scribit Ptolemæus lib.2.cap.3. Vuyht incolæ vocant, in qua sunt oppida Calbork & Neuport.

Vectones, Hispaniæ populi, Vacceis & Celtiberis proximi, vt scribit Plinius cap.3.lib.3. Horum meminit Lucanus,
Vectonésque leues, &c.

Vedra, fluuius Britanniæ insulæ, Ptolemæo lib.2.cap.3. Vuere vulgò.

Vegeti, Asiæ populi, Murrhanis, Cappadocibus, Comagenis, & Armeniis vicini, vt scribit Pomponius Mela lib.1.

Vegetius Flauius Renatus, comes Constantinopolitanus, scripsit ad Valentinianum principem libros quinque. Epitomen videlicet institutionum rei militaris, de commentariis Catonis, Augusti, Traiani, & Hadriani principum, ac Frontini. In primo electionem docet iuniorum, ex quibus locis vel quales milites probandi sunt, aut quibus armorum generibus exercitus imbuendi. Secundus veteris militiæ continet morem, ad quem pedestris institui possit exercitus. Tertius omnium artium genera, quæ terrestri prælio sunt necessaria, exponit. Quartus vniuersas machinas, quibus vel oppugnantur ciuitates, vel defenduntur enarrat, naualísque belli præcepta subnectit. Ex Raphaelis Volaterrani lib.22.

Veii, Italiæ populi, & vrbs in Hetruria quondam à Camillo capta in regione vndecima Italiæ, vt scribit Plinius cap.17.lib.3.

à Veiis, Veiens dictus: & Veientana gemma Plinio lib.37.cap.10, Veientana(inquit)Italica gemma est, Veiis reperta, nigram materiam distinguente limite albo. Hactenus Plinius. De Veientana gemma scribit & Solinus cap.8.sub finem.

Velauni, inter Alpinas gentes, Plinio commemorantur capite 20.libri tertii.

Velia, Lucaniæ oppidum in Italia ad mare situm. Inde Velinus, adiectiuum. Virgilius 6.AEneid.

Iniice(nanque potes)portúsque require Velinos.

Veliates, populi Liguriæ Cisalpini, vt scribit Plinius capite 5. libri tertii.

Velitræ Velitrarum, ciuitas Volscorum insignis fuit. Inde Veliternus ager dictus, quem, Volscis victis, Romani ademerunt, vt scribit Liuius lib.7. Inde etiam Veliterni populi, Velitrarum incolæ dicti, quos commemorat Plinius cap.5.lib.3. Ex ea vrbe gentem Octauiam fuisse testatur Suetonius in Augusto.

Velina, regio in vrbe, Palatino monti coniuncta, in qua Valerii Publicolæ, & Victoriæ, deorúmque penatium ædes erant. Dicta Velina, quòd ibi pastores Palatini vellere lanam sint soliti. vnde Velinus lacus Plinio lib.33.cap.2.

Vellocasses, Galliæ Lugdunensis populi, Plinio cap.18.lib.4. Lugdunensis(inquit)Gallia habet Lexouios, Vellocasses, Galletos, Venetos, Abrincatuos, Osismios, flumen clarum Ligerim.

Venafrum, ciuitas Campaniæ oleis abundans. Author Plinius cap.5.lib.3. & Acron grammaticus apud Horatium lib.2.Carm.

Ille terrarum mihi præter omnes
Angulus ridet, vbi non Hymeto
Mella decedunt, viridíque certat
Bacca Venafro.

Venaria, insula est in mari Tusco, vt scribit Plinius capite 6. libri tertii.

Veneris portus, Galliæ inter Pyrenæi promontoria oppidum. Author Pomponius Mela libro secundo. Strabo Aphrodisium nominat, Veneris templum Ptolemæus.

Veneti, Galliæ Lugdunensis populi, author Plinius capite decimo octauo lib.4. Sunt & Veneti, Italiæ populi, Troiana stirpe orti, vt author est Cato: quorũ regio Venetia dicitur Adriatico mari apposita, & omnis ora circũ sinũ maris, post Istriam vsque ad ostia Padi.

Venonius historicus, cuius meminit Cicero lib.1.de legibus,

Nam(inquit)post Annales pótificum maximorum,quibus nihil potest esse nudius,si aut ad Fabium,aut ad eum qui tibi sem per in ore est,Catonem, aut ad Pisonem, aut ad Fannium, aut ad Venonium venias:quanquam ex his alius alio plus habet virium, tamen quid tam exile quàm isti omnes? Hactenus Cicero. Huius historiam se non habere dolet idē Cicero ad Atticū.

Venulus,Turni legatus ad Diomedem,vt scribit Virgilius in procemio lib.AEneid.8,

Mittitur & magni Venulus Diomedis ad vrbem,
Qui petat auxilium,& doceat quæ causa petendi.

Venus,Iouis filia à nostris(vt scribit Cicero)sic dicta,quòd ad res omnes veniret,Venerem nostri nominauerunt:atque ex ea potius venustas,quàm Venus ex venustate.Græci ἀφροδίτην,quòd è spuma maris è testibus Saturni proiectis sit nata. Cōcha insidentem finxerunt, quòd, vt legitur apud Stobeum, mulierem deceat præter omnia cura sub tecto,ac silentium.Hæc vt amorum,gratiarúmque,ita pulchritudinis & deliciarum,& voluptatum omnium dea est. Eam triplicem, & amores geminos facit Cicero de natura deorum lib.3.

Venusia,colonia inter Lucaniam & Apuliam, Horatii poetæ patria , qui inde Venusinus dicitur. Venusiæ meminit Plinius cap.11.lib.3.

Vercellæ,vrbs Italiæ Transpadanæ,in regione vndecima,Taurinis vicina,vt scribit Plinius cap.17.lib.3.

Vergiliæ,signum est ante genua Tauri,quod ortu suo primæ nauigationis tempus ostendit. Vnde Græcis Pleiades dicuntur ἀπὸ τοῦ πλεῖν: Latine Vergiliæ, à Verni temporis significatione. Hæc Seruius enarrans illud Virgilii 1.Georg.

Nauita tum stellis numeros,& nomina fecit:
Pleiadas,Hyadas,clarámque Lycaonis Arcton.

Veromandui, Galliæ Belgicæ populi, quorum meminit Plinius cap.17.lib.4.

Verona,vrbs Venetiæ à Gallis olim condita,duce(vt quidam opinatur)Brenone,à quo Brenona primùm,deinde mutatis cōsuetudine literis,Verona appellata. Galli enim quum nouas sedes quærere ob intestinas discordias,& assiduas domi dissensiones cogerentur,in Italiam venere: expulsisque inde cultoribus, Mediolanum, Comum, Brixiā,Bergomum,Tridentum, Vincentiam condiderunt. Veronam magna ex parte alluit fluuius omnium amœnissimus Athesis,qui ex Tridentinis Alpibus ortus,nō lōgè à fossa Clodia Pado miscetur. Clara hæc vrbs solo,

ac frugum & fructuum omnium vbertate, tum alumno Catullo poeta. Ouidius,

Mantua Virgilio gaudet, Verona Catullo.

Verres C. perfunctus quæstura & prætura vrbana, patre C. Verre, & prætextato filio, & filia nupta, successit in Sicilia prætor C. sacerdoti: atque in ea libidinose auaréque versatus, decedés tandem succedente Metello repetundarū reus à Siculis postulatus est. Qui M. Tullium ad accusandum descēdere compulerunt, iampridem ipsis necessitudine copulatum, cum Quæstor in Sicilia fuisset. Author Asconius Pædianus.

Vertobrige, oppidum est Hispaniæ Bæticæ, vt scribit Plinius cap.1.lib.3.

Vertumnus (inquit Acron) deus dictus est qui humanis mentibus præest, à vertendo: hic quondam Romæ colebatur. Aliter Vertumnus dicitur deus qui præest sensibus, ab eo quod vertat, & mutet cogitationes humanas: scribitur itaque multiformis. Is autem dicitur iniquo Vertumno natus, qui nescit se regere. Hactenus Acron apud Horatium Sermonum lib.2,

Vertumnis quotquot sunt natus iniquis.

Verulani, populi sunt Italiæ, Tusculanis & Veliternis vicini, vt scribit Plinius cap.5.lib.3.

Vescis, Ptolemæo authore lib.2.cap.4, Hispaniæ ciuitas: alio nomine Vesci, & Fauentia Plinio dicta lib.3.cap.1.

Veseuus (inquit Seruius) mons est Liguriæ sub Alpibus positus. Nam Campaniæ Vesuuius dicitur: pro quo multi Veseuum esse positum volunt. Hactenus Seruius apud Virgiliū li.Georg.2,

Talem diues arat Capua, & vicina Veseuo
Ora iugo, & vacuis Clanius non æquus Acerris.

Vespasianus, imperator Romanus. De quo abundè Suetonius Tranquillus.

Vesper, sydus, alio nomine Venus dicitur & Lucifer. Plinius lib.2.cap.8, Præueniens quippe (inquit) & ante matutinū exoriēs, Luciferi nomen accipit, vt sol alter, diem maturans: contrà ab occasu refulgens, nuncupatur Vesper, vt prorogans lucem, vicémq; Lunæ reddēs. Hactenus Plinius. Horatius 2.Carm.Ode 9,

-nec tibi Vespero
Surgente decedunt amores.

Vesperies, Hispaniæ citerioris oppidum, vt scribit Plinius cap. 20.lib.4.

Vestæ, duæ à veteribus memorantur: altera Saturni mater, altera eiusdem dei filia. De qua Ouidius 6.Fastorum,

Ex ope Iunonem memorant, Cererémque creatas.

Semine Saturni: tertia Vesta fuit. Confundunt tamen hæc poetæ, alteram pro altera ponentes. Quando eam terram esse dicunt, de matre Saturni intelligendũ est. Quãdo verò virginem nominant, de filia eius, quam ignem esse voluere. Ouidius ibidẽ,

Nec tu aliud Vestam, quam viuam intellige flammam,

Natáque de flamma corpora nulla vides:

Iure igitur virgo est, quæ semina nulla remittit. Huius simulachrum Romani Pesinunte allatum in æde Victoriæ, quæ est in palatio posuere: & virgines ei sacrarunt, quæ ignem perpetuum conseruarent: hæ si stuprum commisissent, viuæ defodiebãtur. Vesta ἀπὸ τῆς ἑστίας, id est à foco, in quo ignis alitur, dicta est. Est enim Vesta, quasi focus vrbis appellata, ait Cicero de legibus libro secundo. Nam quum pro terra, siue deorum matre accipitur, à vestitu denominatur, quòd variis herbis ac floribus vestita sit terra, vt diligentissimè annotauit Sipontinus.

Vestia Oppia, mulier Atellana, Capuæ habitans, quæ quõdam quæstum corpore faciebat, vt est apud Liuium lib. sexto secundi belli Punici.

Vestini, populi Italiæ, Sabinis & Picentibus vicini, vt scribit Plinius cap.5.lib.3. Apud eos olim fiebãt casei laudatissimi. Martialis lib.13, Si sine carne voles ientacula sumere frugi,

Hæc tibi Vestino de grege massa venit.

Vesulus, mons Liguriæ iuxta Alpes, vt notat Seruius. In huius radicibus imis exoritur Padus fluuius, vt Pomponius scribit libro secundo.

Vesuuius, Campaniæ mõs, vt scripsimus ex Seruio, in dictione VESEVVS.

Vetulonĩũ, Tuscorũ vrbs, Ptolemæo lib.3.ca.1. hodie Viterbo.

V F

Vfeus, Plinio lib.3.cap.5, fluuius prope Pontinam paludem.

V I

Via, Hispaniæ fluuius, Ptolemæo lib.2.cap.6: cuius meminit & Pomponius lib.3.

Vibius Virius, Capuæ deditionem elegantissima oratione dissuadet apud Liuium Decad.3.lib.6. Fuerat enim author Campanæ defectionis ab Romanis ad Annibalem. Is mortem sibi consciuit ante deditionem, & multis ciuibus Senatoribus vt idem quoque facerent persuasit. Vibium Virium (inquit Liuius) septem & viginti fermè Senatores domum secuti sunt, epulatíque cum eo: & quantum facere potuerant, alienatis menti-

bus vino,ab imminentis sensu mali,venenum omnes sumpserunt. Inde misso cōuiuio,dextris inter se datis,vltimóque complexu, collachrymantes suum patriæque casum , alii vt eodem rogo cremarentur,manserunt, alii domos digressi sunt. Impletæ cibis vinóque venæ minus efficacem in maturanda morte vim veneni fecerunt. Itaque noctem totam plerique eorum,& diei insequentis partem cum animam egissent : omnes tamen prius quàm aperirentur hostibus portæ,expirarūt.Hactenus Liuius,apud quem Vibii orationem legito lib.6.Decad.3.

Vibon, vrbs est in agro Brutiorum, antè Hippo appellata, vt scribit Mela lib.2.

Vicentia,Venetiæ oppidum,vt scribit Plinius cap.19.lib.3.

Vienna,Austriæ ciuitas inclyta,omnium vrbium,quas Danubius sustinet,& ædium magnificentia,& rerum facili copia, clarissima. quam Vianam Plinius nominasse videtur cap.24.lib.3, vt placet Hermolao. Est & Vienna,Allobrogum illustris ciuitas in Gallia Narbonensi, cuius meminit Mela lib.2. in descriptione Galliæ Narbonensis.

Vindelici, populi Rhœtis vicini, inter Alpinas gentes Plinio commemorantur cap.20.lib.3.De his diximus in dictione VANDALI.

Vindius, Edulius, Egdubeda, Ortospeda, Hispaniæ Tarraconensis insignes montes sunt apud Ptolemæum libro secundo cap.6.vulgò montes de Oca y de Asturias.

Vintium, Nerusiorū in Alpibus litoreis vrbs,Ptolemæo lib. 3.cap.1.vulgò mont Visol,Vesulo monte.

Vion valentia,Apulorum vrbs, authore Ptolemæo lib.3.cap. 1.hodie Biuona,Hippo Plinio.

Virbius,teste Seruio,dictus estHippolytus,quòd abÆsculapio ab inferis reuocatus, ac pristinæ sanitati restitutus vir bis fuerit.

Virgi, Hispaniæ oppidum, in sinu quem Virgitanum vocant situm.Author Pomponius lib.2.

Virgilius Maro,Latinorum poetarum præstantissimus,cuius vitam non minus doctè quàm copiosè scribit Petrus Crinitus lib.2.de poetis Latinis.

Viriatus Lusitanus, primum in Hispania, è pastore venator,è venatore latro, mox iusti exercitus dux factus, vniuersam Lusitaniam occupauit.M.Ventidium prætorem fuso eius exercitu cepit.Pòst Cn.Plancius prætor nihilo fœlicius rem cū eo gessit: tantúmque terrorem hostis his intulit,vt aduersus eum consulari opus esset duce & exercitu. Denique à proditoribus consi-

M.ii.

lio Cepionis interemptus est, & ab exercitu multum imploratus, tumulatúsque nobilissimé. Author Liuius & Florus.

Viritium, authore Ptolemæo lib.2.cap.11, Germaniæ vrbs: vulgò Griesnagen.

Viruesta, Ptolemæo lib.2.cap.6: in antiquo codice Virdubesca, Hispaniæ vrbs, vulgò Bruiesca.

Visontium, Hispaniæ vrbs Ptolemæo lib.secundo cap.6: vulgò Viseum, Viseo.

Visurgis, Germaniæ fluuius est, vt scribit Pomponius Mela libro tertio.

Visula, Sarmatiæ in Europa fluuius Pomponio lib.3. Vistula item dicitur Iustilla Iustula & Istula, vt notat Vadianus.

Vitunus, antiquis deus erat, qui credebatur vitam largiri: vt Sentinus, sensum.

V L

Vlpianus iurisconsultus, Adriani imperatoris scriniorum magister, Tyrius fuit. Is vtitur authoritate Pomponii in libris Pandectarum. Qui quum Galliam regeret, populari tumultu excitato, interfectus est, vt notat Raphael Volaterranus.

Vlubræ (inquit Porphyrio apud Horatium) locus est in Italia in quo nutritus est Cæsar Augustus, propter quam causam ab Horatio nominatur cū sit desertissimus vicus. Hactenus Porphyrio apud Horatium lib.1.Epist.epist.1,

Strenua nos exercet inertia, nauibus atque
Quadrigis petimus viuere: quod petis hîc est,
Est Vlubris, animus si te non deficit æquus.

Vlysses, Græcorum omnium qui ad Troiam profecti sunt, sapientissimus, filius Laertæ & Autolyæ. Cuius vitam & res omnes in vita gestas scribit Homerus.

Vlyssipona, Lusitaniæ metropolis, quam hodie Lisbonam vocant, regum Portugalliæ hodie regia est. Tradit vetustas ab Vlysse conditam esse. Strabo Vlysseam appellari scribit lib.3.

V M

Vmbri, Italiæ populi, Ptolemæo lib.3.cap.primo: hodie ducatus Spoletanus.

Vmbria, Italiæ regio, pars Tusciæ, sic dicta (vt nōnullis placet) quòd ea regio propter altitudinem mōtium, & vicinitatē Apœnini vmbrosa sit: quanuis aliqui ἀπὸ τοῦ ὄμβρου potius, hoc est, ab imbre nominatam volunt: quòd Vmbri, omnium Italiæ populorum antiquissimi, inundatione terrarum imbribus superfuisse credantur, vt scribit Plinius cap.14.lib.3.

Vocontii, Galliæ Narbonensis populi, vt scribit Mela libro 2. in descriptione Galliæ Narbonensis.

Volaterræ, seu Volaterrana vada, Hetruriæ oppidum ad Cecinnam fluuium, vt scribit Plinius cap.5.lib.3.

Volcæ, populi Galliæ Narbonensis. Volcarum nomen trans Rhodanum in occasum celeberrimũ fuit, sicut citra Saliorum siue Salyum: vel Ptolemæo teste lib.2.cap.10, Volcæ, vulgò Languedoc.

Volcatius Consul, impediit ne Catilina ob accusationem repetundarum peteret consulatum. Author Pædianus. Volcatius Gallicanus quintum consul scripsit vitas imperatorum ad Diocletianum. Eius tantum extat nunc Auidii Cassii vita. Volcatius Terentianus historiam sui temporis, id est Gordianorum scripsit, ac dicit Gordianum seniorem vultum Cæsaris Augusti valde retulisse. Author Capitolinus. Volcatius Epidius grammaticus, scripsit res gestas Pompeii Magni & eius patris: primus Libertinorum qui historiam scripserit, quum ab optimo quoque scribi solita sit, vt scribit Cornelius Nepos. Ludum aperuit, docuitque inter cæteros M. Antonium & Augustum. Ex Tranquillo. Volcatius Sedigitus in libro de poetis, quid sentiat de his qui comœdias scripserunt, his versibus monstrat,

Multos incertos certare hanc rem vidimus,
Palmam poetæ comico cui deferant.
Eum me iudice errorem dissoluam tibi:
Vt contrà siquis sentiat, nihil sentiat.
Cæcilio palmam statuo de comico.
Plautus secundus facilè exuperat cæteros.
Dein Næuius qui feruet, pretio in tertio est.
Siquid quarto detur, dabitur Licinio.
Post insequi Licinium facio Attilium.
In sexto consequitur hos Terentius.
Turpilius septimum, Trabea octauum obtinet.
Nono loco esse facile facio Luscium.
Decimum addo antiquitatis causa Ennium.

Volsci, populi mediterranei Tusciæ. De quibus Pomponius Mela lib.2.in descriptione Italiæ.

Volsinium, Ptolemæo libro 3.cap.1, Tuscorum vrbs, hodie Balsena.

Volusius, poeta fuit Patauinus, qui Ennium secutus, rerum gestarum populi Romani annales carmine scripsit. Catullus,

At Volusi annales Paduam morientur ad ipsam,

Et laxas scombris sæpe dabunt tunicas.

Voranus, fuit Q. Luctatii furacissimus libertus, quem nummularius nummos de mensa subtrahentem, & in calceos infarcientem deprehendit. Cælius cap.49.lib.10.

V R

Vrania, vna è nouem musis, cælestis interpretatur: vel à cælestium rerum cantu, vel à cantus diuinitate, vt rectè Sipontinus.

Vranus, authore Bocatio lib.3.ca.23, pater Saturni: alio nomine Cælum vel Cælius, cui Saturnus filius amputauit virilia.

Vrbinum, Italiæ oppidum in Vmbria, à quo Vrbinates Plinio cap.14.lib.3.

Vrce, vrbs Tarraconensis Hispaniæ, Ptolemæo lib.2.cap.6: hodie Aquile.

Vrium, Hispaniæ vrbs, vt scribit Ptolemæus lib.2.cap.4. Auriensis alio nomine dicta.

Vrolanium, Ptolemæo lib.2.cap.3: aliis Verulanum, Britanniæ insulæ ciuitas: vulgò Sanctus Albon.

Vrsa Baluia, Picenorum vrbs, Ptolemæo libro 3.cap.1. hodie Vrbsa.

V T

Vtica, Africæ minoris in litore Carthaginensi & magnitudine & authoritate secunda post Carthaginem, quæ illa excisa vt metropolis erat, & receptaculum Romanorum ad res in Libya gerendas. Hæc Strabo lib. vltimo.

Vtinũ, Italiæ oppidum iuxta Aquileiam, principum Austriæ opus insigne admodum, & arce in mediæ vrbis edito colliculo conspicuum, vt scribit Vadianus.

V V

Vulcani (inquit Cicero) fuere cõplures. Primus Cælo natus, ex quo & Minerua Apollinẽ eũ, cuius in tutela Athenas antiqui historici esse voluerũt. Secũdus in Nilo natus Opas, vt AEgyptii appellãt, quẽ custodẽ esse AEgypti volunt. Tertius è tertio Ioue & Iunone, qui Lemni fabricæ traditur præfuisse. Quartus Menalio natus, qui tenuit insulas propter Siciliam, quæ Vulcaniæ nominabantur. Hactenus Cicero lib.3. de natura deorum.

Vulsinii, Tusciæ oppidum opulentissimum, totum fulmine concrematũ. Plinius li.2.cap.52. Huius meminit & Strabo lib.5.

Vulturnus, vẽtus ab oriẽte hyberno spirãs, inquit Gellius. eũ plerique Græci misto nomine, quòd inter Notũ & Eurũ sit, εὐρόνοτον appellãt. Hi sunt igitur tres vẽti oriẽtales, Aquilo, Vulturnus, Eurus: quorũ medius Eurus est. Hactenus Gellius ca.22.lib.

2. Eſt & Vulturnus,ſeu Vulturnum,Campaniæ oppidum,cum fluuio eiuſdem nominis,vt ſcribit Plinius cap.5.lib.3. Pomponius Mela lib.2.Vulturnus,amnis:Vulturnum,oppidum.

V X

Vxama,oppidum Hiſpaniæ citerioris, vt ſcribit Plinius cap.3. libri tertii.

Vxella,inſulæ Britanniæ vrbs,vt ſcribit Ptolemæus lib.2.cap. 3.vulgò Krekhornuuel.

X A

XANTHI,populi ſunt in Aſia: qui cũ eorum vrbs ab Harpago, Cyri regis præfecto obſideretur, vxores ſuas ac ſeruos vnà cum ſupellectili in arce poſuerunt, eámque igni ſuccenderunt, deinde omnes pariter contra Harpagum irruentes, interfecti ſunt,vt ſcribit Herodotus lib.1.

Xãthippe,vxor Socratis philoſophi.De qua Gellius, Xãthippe, Socratis philoſophi vxor,moroſa admodum fuiſſe fertur & iurgioſa : irarúmque & moleſtiarum muliebrium per diẽ, pérque noctem ſcatebat,& reliqua.Legito ipſius Gellii caput 17.lib.1.

Xãthippus,Lacedæmoniorum dux,accerſitus à Carthaginenſibus,contra Luctatium conſulem pugnauit.Volaterranus.

Xantho, vna fuit ex Nymphis Oceani & Tethyos filia. Author Heſiodus in Theogonia.

Xãthus,antiquus rerũ Lydorũ ſcriptor.Lydúſne an Sardianus fuerit,Strabo ſe dicit incertũ habere.Suidas Lydũ eſſe dicit è Sardibus ciuitate fuiſſe, ſcripſiſſéque hiſtoriã Lydorum libris IIII. Xanthus alter,poeta Melicus ponitur ab AEliano. Xãthus itẽ fluuius eſt Troiæ.De quo Virgilius 1.AEneid.

Ardentéſque auertit equos in caſtra: prius quam
Pabula guſtaſſent Troiæ,Xanthúmque bibiſſent.

Eſt præterea Xanthus,flumen & oppidum Lyciæ,cuius quoque meminit Homerus lib.Iliad.6.& Pomponius lib.1.

X E

Xenarchus, comicus poeta, cuius fabulas cõmemorat Athenæus. Xenarchus alter,è Seleucia Ciliciæ Peripateticus,docuit Alexãdriæ primũ,deinde Romæ.Arii philoſophi, deinde Cæſaris Auguſti vſus amicitia,vſque in ſenectutẽ in honore habitus. Deniq; paulo ante mortẽ viſu orbatus diẽ obiit.Strabo lib.14.

Xenocrates,philoſophus,Platonis auditor,præceptor Polemonis. Cũ princeps quódã intẽtatæ legationis ad Antipatrũ,à quo omniũ expectatio erat, nihil nõ illo orãte impetrare poſſe ſperaret:reliquis ſociis humaniter acceptis,in cõſpectũ vix quidem

admissus est, quòd suspectus haberetur. Tunc versus ad socios Xenocrates, beneficium accipere dixit, quòd sese vnum Antipater suæ in Athenienses ingratitudinis & perfidiæ testem veretur. Et dicere incipientem, nunc obstrependo, nunc obsecrando tacere Antipater coegit. Cui in orando Phocion legationis comes successit. Ad hūc misit Alexander dono triginta talenta auri: ille statim remittens, ait regibus non philosophis opus esse pecunia. Author Suidas. Xenocrates, alter philosophus, modestia nihil superiore inferior, scripsit οἰκοσκόπον, id est domesticū auspicium. Quando videlicet, aut mustela, aut serpēs, aut his similia in domo apparent, quid portendere soleant. Suidas.

Xenodochus, Cardianus quidam, ad quem Alexāder conuersus verba facit apud Plutarchum in Alexandro.

Xenodorus, statuarius, scientia fingendi, cælandíque nulli veterum postponendus. Cuius meminit Plinius cap. 7. lib. 34.

Xenophanes, philosophus Colophonius, Archelai auditor, scripsit elegias & iambos contra Hesiodum & Homerum, quæ de diis dixere improbādo. Author Laertius. Huius meminit etiā Strabo lib. 14. de Colophone scribens. Xenophanes, alter poeta, item iambicus, patria Lesbius. Suidas.

Xenophilus, musicus, patria Chalcidēsis, Pythagoricus, biennio minor quàm Gorgias, qui CVII vixit annis, sed fœlicitate non inferior. siquidem, vt Aristoxenus ait, omnis incommodi humani expers in summo perfectissimæ doctrinæ splēdore extinctus est. Author Valerius. Fœlicitatis huius Xenophili meminit Plinius cap. 50. lib. 7.

Xenophon, Grylli filius, Atheniēsis Socratis discipulus, ob eloquentiā musa Attica vocatur, equorū, venationis, & rei familiaris in primis studiosus, vt ex eius literis deprehēdi potest. Venit in amicitiam Cyri minoris, cum quo militauit, ac eius παιδείαν scripsit, non tam historiæ seruiens veritati, quàm vt perfectum institueret ducem, vt Cicero in secundo de Oratore testatur: quē librum se frequenter lectitasse, & manibus triuisse, alibi in epistola quadam dicit. Scripsit præterea Symposium, & OEconomicum paruum admodum libellum, à Cicerone in Latinam orationem conuersum, si credimus Columellæ. Edidit & historiam Peloponnesiaci belli, ac eorum quæ Athenienses post Thucydidem gesserunt, quam Paralipomena appellauit. Quintilianus Xenophontis iucunditatem inaffectatam dixit, quam nulla affectatio consequi possit. Cū Platone simultates gessit, vt scribit Gellius cap. 3. lib. 14. Pluribus persequitur hu-

ius vitam Laertius. Xenophontes,præter hunc,alii tres fuere: vnus Antiochenus,qui scripsit Babylonica,opus scilicet de amore. Alter,Ephesius historicus. Tertius Cyprius,qui scripsit Ephesiaca,amores, videlicet Cyrenes, Myrrhæ, & Adonidis. Author Suidas.

Xerxes,Darii filius, maximus omnium regum Persarũ fuit, AEgyptum,quæ à patre desciuerat,recepit.Expeditionem etiam quam Darius in Athenienses parauerat, quinque annorum apparatu prosequens, decies centena hominum millia traduxisse dicitur.Quem numerum,vt Valerius,itémque Hieronymus testantur,de alta prospectans specula fleuisse fertur,quòd post centum annos nullus superesset.Hac igitur multitudine accinctus, vt omnes referunt authores, & maria põtibus coniũxit, Athon montem cõtinenti abscidit:vel,Plinio teste cap.10.lib.4, Victus demum à quatuor millibus apud Thermopylas, nauale certamen cum Themistocle tentauit,à quo item apud Salamina superatus,turpiter cum paucis parua cymba aufugit, relicto Mardonio præfecto, qui & ipse profligatus in Bœotia fuit. Demum cum se otio, socordiæque relicta militia tradidisset, præmium, genus luxuriæ nouum inuenientibus proposuit, vt scribit Valerius.Quamobrem à suis spretus, paucis post annis ab Artabano præfecto suo in regia interficitur,cum regnasset annis octo. De quo Trogus lib.2. Xerxes alter, pictor Heracleota,Venerem adeò pulchram pinxit, vt ex ea quæstum magnum faceret,pretio accepto ab his qui eam visere cupiebant.Itaque Græci lepido cauillo Venerem eam amicam Xerxis vocitabant, quòd ex eius lenocinio quæstũ faceret.Author AElianus de varia historia.

X Y

Xylinæ,Ptolemæo lib.5.cap.6,Ponti Cappadocii vrbs, vulgò Sentina.

Xystiani,Plinio lib.5.cap.29,populi liberi in Apamia.

Z A

ZACHANTEI, teste Polybio, Zacynthiorũ coloni,in medio Pyrenæi montis siti, & iuxta fluuium Iberum habitantes.

Zacynthus,Græciæ insula est,AEtoliæ propinqua,vnicam habens vrbem eiusdem nominis,teste Liuio in 6.de 2.bello Punico.Plinius lib.4.cap.12. scribit sitam esse inter Samem & Achaiam,oppido magnificam,& fertilitate præcipuam, & Hyrie aliquando dictam.Virgilius lib.3.AEneid.nemorosam appellat,

Iam medio apparet fluctu nemorosa Zacynthos.

Zagrus, Straboni lib. 11, mons non longè à Media.

Zaleucus, legislator Locrensis vinum ægris prohibuit iniussu medici, pœna capitis indita. Author AElianus. Apud Valerium Seleucus malè scribitur, de quo ab eodem narratur: quòd cum eius filius adulterii crimine damnatus, secundū ius ab ipso constitutum vtroque oculo carere deberet, ac tota ciuitas virtuti & meritis patris crimen condonaret, ipse sibi non pepercit: sed suo prius, deinde filii oculo eruto, vsum vtrique videndi reliquit. Ex Valerio lib. 6. cap. 5.

Zamolsis, vir inter Getas natus, Pythagoræ discipulus ac seruus, ad AEgyptios vnà cum eo penetrauit, deinde eorum ritus in patriam deduxit, à suísque post mortem habitus deus, vt scribit Herodotus lib. 4.

Zancle, oppidum Achaiæ, vt scribit Plinius cap. 5. lib. 4. Est & Siciliæ ciuitas eodem authore cap. 8. lib. 3, condita à Messeniis, quam de suo nomine Messanam dixerunt. Zancle, Siciliæ inditum nomen aiunt, quòd falcis formam referat. Siculi enim Zanclen falcem dicunt, vt meminit Thucydides libro sexto. Silius autem libro decimoquarto nomen accepisse ait, quòd Saturni falx ibi reperta fuerit, hoc carmine,

Nec Zanclæa ferunt, & reliqua. Id autem à poetis idcirco fictum tradunt, quòd solum Siculum fertilissimum habeatur.

Zarmizegetusa, regia Daciæ vrbs, authore Ptolemæo libro 3. cap. 8: Vlpia Traiana deinde dicta, vulgò Cron.

Z E

Zeno Eleates, Parmenidis auditor, simul cum Perdica & in philosophia, & in administranda Republica clarissimus, teste Suida. Hunc inuentorem dialectices fuisse, sicut Empedoclem rhetorices, Aristoteles est author. Zeno Cittiæus, Stoicæ sectæ princeps. De quo Cicero in Oratore, Zeno quidem ille, inquit, à quo disciplina Stoicorum est, manu demōstrare solebat quid inter has artes interesset. nam quum compresserat digitos, pugnúmque fecerat, dialecticam aiebat eiusmodi esse: cum autem diduxerat, & manum dilatauerat, palmæ illius similē eloquentiam esse dicebat. Hactenus Cicero.

Zenodotus grammaticus, vixit temporibus Ptolemæi primi, cuius etiam filios erudiit, ac præfuit Alexandrinæ bibliothecæ: primus quoque Homeri libros correxit, ac in ordinem redegit. Suidas. Zenodotus alter Sophista, sub Adriano principe docuit Romæ, scripsitque Epitomen prouerbiorum Didymi: con

uertit in Græcum sermonem historiam Salustii, præterea Genethliacon in Adrianum,& alia.Suidas.

Zenobia, vt ex Pollione refert Volaterranus, regina Palmyreorum : post Odenati viri mortem, in Syria Romanum rexit imperium:ponitúrque inter xxx tyrannos,qui tempore Galeni orbem vsurpauerint.Superata tandē ab Aureliano,ac in triumphum ducta fuit,eique principis clemētia Tybure possessio con cessa, vbi honeste agitaret. Hæc ea castitate dicitur fuisse, vt ne cum viro suo nisi prolis gratia congrederetur. Regali alioquin pompa.Persarum ferè modo adorabatur.Ad conciones galeata procedebat cum limbo purpureo gemmis dependentibus,voce clara,moribus seueris. Græci AEgyptiiq; sermonis peritissima, Latini non ignara.OrientalemAlexādrinámque historiam epitomauit. Herennianum & Timolaum filios literis erudiit. De quorum exitu nescitur,an interierint morbo, an ab Aureliano fuerint interfecti.

Zephyre, insula est maris mediterranei iuxta Cretā. Author Plinius cap.12.lib.4.& Pomponius lib.2.

Zephyrium,Locrorum promontorium in Italia,à quo Locri Epizephyrii dicti, in extimo eius agri iugo siti, iuxta Heracleā & Crotonē.Plinius cap.5.lib.3.Strabo lib.6, Locri agri promontorium offertur, quod Zephyrium appellatur, portum habens venientibus ab occasu ventis commodum, qua ex causa & nomē assequitur.DeincepsLocri Epizephyrii vrbs insignis.hæc ille.

Zephyrus,Græcis dicitur ventus, quē Latini Fauoniū nominát. Is aduersus Eurū stat, vt scribit Gellius cap.22.lib.2. Plinius lib.18.cap.34,Ipse leniter pluuius,tamen est siccior Fauonius,ex aduerso eius ab æquinoctiali occasu,Zephyrus à Græcis nominatus.Hæc ille. Zephyrus ineūte vere flare incipit:&,vt author Varro li.de re rustica 1,v11. Idus Februarii. Horat.1.Car.Ode 4, Soluitur acris hyems grata vice veris & Fauoni. Virg.1.Georg.
Vere nouo,gelidus canis cum montibus humor
Liquitur, & Zephyro putris se gleba resoluit.

Zerbis,Mesopotamiæ fluuius in Tigrim cadens,vt scribit Plinius cap.26.lib.6.

Zethus,Iouis filius ex Antiopa,Amphionis frater.De quo Cicero lib.2.de Oratore, Miror cur philosophiæ sicut Zethus ille Pacuuianus,propè bellum indixeris.

Zetus vel Zetis, & Calais, Boreæ Thraciæ regis filii & Orithyæ,allati iuuenes; cum Argonautis profecti, a quibus ad pellendas Harpyas missi sunt, vt scribit Seruius.

Zeugma, Daciæ vrbs, Ptolemæo lib.3.cap.8: vulgò Clesenburgk.

Zeuxis, Heracleotes pictor sua ætate maximus. Hic teste Plinio cap.9.lib.35, opes tantas acquisiuit, vt in ostẽtatione earum, Olympiæ aureis literis in palliorum tesseris intextum nomen suum ostentarit. Postea donare opera sua instituit, quòd ea nullo satis digno pretio permutari posse diceret. AEquales eius & æmuli fuere Timanthes, Androcydes, Eupompus: & Parrhasius, cum quo descendisse in certamen traditur, vt in ea dictione vidimus. Idem eodem teste cap.10. supradicti libri, fertur pinxisse puerum vuas ferẽtem, ad quas cum aduolarent aues, eadẽ ingenuitate processit iratus operi: & dixit, Vuas melius pinxi quàm puerum. nam si & hoc consummassem, aues timere debuerant.

Zeuxo, Nympha Oceani & Tethyos filia, teste Hesiodo in Theogonia.

Z O

Zoilus, quidam malignus poeta, scripsit aduersus Homeri libros: vnde Homeromastyx dictus est, id est Homeri flagellum. Quæ scripta cum Ptolemæo regi recitasset, rex indignatus nullum ei verbum fecit. Cúmque Zoilus inopia pressus regem rogaret vt sibi aliquid quò viueret, daret: Homerus, rex ait, multos pascit: quare tu qui illo doctior es, saltẽ teipsum pasce. Tandẽ Zoilus parricidii damnatus, iussu regis cruci affixus est. Hinc omnis quicũque doctis viris detrahit, Zoilus vocatur. Ouidius 1. de Remedio amoris,

Ingenium magni liuor detrectat Homeri:
Quisquis es, ex illo Zoile nomen habes.

Zopyrus, vt testatur Herodotus circa finẽ lib.4, nobilis Persa, qui, quũ Darius rex Persarũ Babyloniã diu & frustra oppugnaret, ipse sibi nasum, aures & labia amputauit, & ita ad Babylonios quasi transfuga se contulit, conquerẽs de crudelitate sui regis. Receptus igitur à Babyloniis, & dux belli constitutus, vrbem Dario tradidit. Est & alter Zopyrus, qui, vt author est Plinius cap.12. lib.34, sculpsit Areopagytas, & iudicium Orestis in duobus scyphis pondo duodecim æstimatis.

Zoroastres, Bactrianorum rex, qui primus, vt author est Plinius cap.1. lib.30, artes magicas in Perside inuenit. Emicuit Nini regis temporibus, cum quo bella gessit. Fuit ante bellũ Troianum annis cccc. absumptus est igne cælesti, prædixítque Assyriis, vt si eius cineres seruarent, regnum eorum non defuturum. Feruntur eius de natura libri IIII. De lapidibus item pre-

tiosis vnus.Præterea Astronomica,& alia.Author Suidas.Plinius quoque cap.16.lib.7. vnum eodem die quo genitus est risisse testatur.Eidémque cerebrum ita palpitasse,vt impositam repelleret manum,futuræ præsagio scientiæ.

Z Y

Zygâtes,populi sunt Pœnis vicini,vbi,vt author est Herodotus lib. 4,magnam vim mellis apes conficiunt, sed multo plus opifices viri facere dicuntur. Omnes minio inficiuntur, ac simiis vescuntur: quarum affatim gignitur iis, qui in montibus degunt.

Prætermissa.

A B

Abaris,huius Abaris,penul.corr.nomē viri proprium: de quo sic Cælius cap.22.lib.9, Abarim Hyperboreum ferunt,sagittam per orbem terræ circuntulisse, nihil omnino vescentem. Hunc Abarim,Seuthæ filium, non ignarum literarum, oracula scripsisse traditur,quæ Scythica nuncupentur: & nuptias Hebri fluminis,Apollinis aduentū ad Hyperboreos,ratione metrica, abs quo sagittam acceperit quā diximus.Huius & Gregorius Theologus cōmeminit in epitaphio ad magnumBasilium.Hactenus Cælius.Ouidius 5.Metamor.

Caucaseúmque Abarim,Sperchionidémque Lycetum.

Abaton,Abati,ædificium erectum à Rhodiis ad protegēdum Artemisiæ trophæum,quod religione impediti diruere non poterant. De Rhodiorum Abato meminit Cælius Antiq.lect.lib. 7.cap.53,Artemisiam mirari non desinunt Græci,quæ irruentes Rhodios classe exuerit,insulámq; domuerit, erecta in vrbe Rhodo statua,quæ ciuitati stigmata videretur inurere.Quem locum obseptum mox Abaton dixere, quoniam trophæa mouisse religio est.

Abila, oppidum in regione Decapolitana. Plinius li.5.cap.18.

Abis, fluuius in Danubium influens. Hic etiam Absus dicitur.Author Athamerus.

Abnoba, mons Germaniæ, in quo oritur Danubius. Plinius. lib.4.cap.12.

Aboccis,oppidum AEthiopiæ, Plinius lib.6.cap.29.

Abrotonium, nomen proprium fœminæ, vt Glycerium, Philotium, Dorciū, Sophroniū: quæ, teste Prisciano lib.5. vbi de generibus, quāuis habeāt articulos fœmininos, declinationē tamē & formā tā apud Latinos, quàm apud Græcos seruāt neutrorū.

Absarus, Plinio cap.4. & 10. lib.6, fluuius Iberiæ. Ptolemæus Absorum vocat.

Absynthii, populi iuxta Pontum, teste Herodoto lib.6. habitātes. In eo loco, ait Plinius li.27. ca.7, pecora pinguescere solēt.

A C

Accius, tragœdiographus, natus est parentibus libertinis, Marcino & Serano consulibus. Tragœdiæ illius maximè laudantur, quòd ad sententiarum grauitatem, verborúmque pōdus, ac authoritatem personarum attinet. Cæterùm vt duriusculum Cicero ad Atticum ipsum incessit. Sed & Licinius scriptorē ferreum ipsum appellabat: quòd dum tragœdias ex Sophocle in Latinū verteret, duriorem se præstiterit. Quanquam Quintilianus pro suo candore id vitii in tempora illa reiicit. Quin & ipse Pacuuio Atreum suam vt duriusculam minus probanti, respondit, illud ipsum ingeniis vsuuenire quod pomis: quæ quidem dura & acerba nascuntur: sed pòst mollescūt & mitiora fiūt. Tanta fuit, authore Valerio, confidentia, vt Cæsari venienti in collegium poetarum non assurrexerit. Tanti autem eum faciebat D. Brutus, vt eius versibus & templa & monumenta ornaret. Erat humili admodum breuique corpore: sed eo dissimulato, statuam in æde Camœnarum prægrandi statura formáque posuit. Fuit item eiusdem nominis alius Pisauriensis, cuius accusationi Cicero respondit pro A. Cluentio: quémque in Oratore suo inter oratores claros refert. Fuit rursum alius Accius Nauius, cuius idem Cicero 1. de diuin. meminit. Ex Volaterrano lib.13.

Achæmenides, fuit vnus ex sociis Vlyssis, qui apud Virgilium lib.3. AEneid. de Polyphemo dicit,

Sum patria ex Ithaca, comes infœlicis Vlyssi,
Nomen Achæmenides, Troiam genitore Adamasto
Paupere (mansissetque vtinam fortuna) profectus. Ibidem,
Talia monstrabat relegens errata retrorsùm
Littora Achæmenides, comes infœlicis Vlyssi.

Acragas, vnus ex statuariis qui in admiratione summa fuerunt, teste Plinio lib.34. cap.12.

Acrisius fuit, teste Eusebio libro temporum, abantis Argiuorum regis filius, & pater Danaes Amasiæ Iouis. Virg.7. AEneid.
Et Turno, si prima domus repetatur origo,

Inachus Acrisiúsque patres, mediæque Micenæ.

Acrothon, oppidum est, teste Plinio lib.4.cap.10, super montem Athon collocatum.

A D

Adria (inquit Iustinus lib.20.) Illyrico mari proxima, quæ Adriatico mari nomen dedit, Græciæ vrbs est. Liuius primæ Decadis lib.5, Adriaticum mare ab Adria Tuscorum coloniavocauere Italicæ gentes. Vide Strabonem lib.5. Plin.lib.3.cap.16, Nobili portu oppidi Tuscorum Atriæ, à quo Atriaticum mare antè appellatur, quod nunc Adriaticum.

Aduallas, mons est, teste Strabone lib.4, ex quo in Septētrionem Rhenus excurrit: & diuersa ex parte Aduas, in Larium iuxta Comum intrans.

AE M

AEclus, viri nomen, Straboni libro decimo dicenti, Post res verò Troianas AEclus & Cothus ex Athenis profecti habitauerunt: ille quidem Eretriam, Cothus verò Chalcidem.

AEgæa, nomen duarum vrbium, vt scribit Ptolemæus, quarum vna lib.3.cap.13, in Emathia, Edissa primo. Plinio verò lib. 4.cap.10, AEgæ, in qua mos sepelire reges. Altera, teste Ptolemæo lib.4.cap.2, in Mauritania.

AEgila, Plinio libro 4.cap.12, insula, quæ xv.mil.passuum à Cythera: eadémque à Cretæ Phalasarna oppido xxv.mil.passuū.

AElia, regio in Asia inter Mysiam & Ioniam. Est & quædam vrbs Calabriæ, à qua AElianus, adiectiuum.

AElius & AElia, nomina sunt propria Romanis. Perottus.

AElius Stilo, nomē scriptoris cuiusdā, cuius meminit Plinius lib.9.cap.35. Hic præconius dictus à præcone.

AEmathia, regio quæ nunc Macedonia dicitur, teste Plinio lib.4.cap.10.

AEmyliā gentē appellatā dicūt à Mamerco Pythagoræ philosophi filio, cui propter vnicā humanitatē cognomen fuerit AEmylos. Ab illo Mamerco (inquit Plutarchus in vita Numæ) & AEmyliorū familiā admistā patritiis nominatā ferunt: sic rege blandiloquium illius viri, quod αἱμυλίαν vocant, & in dicendo gratiam appellāte. Hactenus Plutarchus. Hæc familia AEmyliana, Romæ honestissima fuit, à qua AEmylianus appellatus est Scipio Africanus minor, quasi AEmylii filius, qui per adoptionem insertus fuit familiæ Scipionum.

AEmylia via, ab AEmylio consule dicta, quæ à Placētia Ariminum vsque perducta est.

AEmyliana ædificia, erant extra Romam, de quibus Cornelius Tacitus, Plus infamiæ id incendium habuit qui à prædiis Tigilini AEmylianis proruperat.

AEneobarbus, nomē viri proprium, qui dictus est Domitius, quoniam Castor & Pollux, quum de victoria nuntiarent Domitio, ipsęque minimè crederet narrantibus, malas, barbámque manibus permulserunt, & eam ex fusca in flauam conuerterunt. Vide Plinium lib.8.cap.36.

AEnienses, populi ab AEnia, teste Plinio lib.4.cap.2.

AEnna, ciuitas est in Meditullio, & vmbilico Siciliæ collocata: quæ quum ob præfecti sæuitiam à Romanis desciuisset, ipse ad concionē conuocatos AEnnenses, vltima internecione, clam submissis militibus armatis deleuit. Ex Liuio lib.4.3.decadis.

AEola fuit, teste Homero in decimo Odysseæ, filia AEoli ex Lepatra coniuge.

AEpea, vrbs fuit in agro propinqua Pylo. Strabo lib.8, AEpea hoc tempore Thuria dicitur, quam Phæris conterminam commemorauimus: sita verò est in excelso colle. vnde Αἰπεῖα, id est celsa, nomen sortita est.

AEpy, vrbs fuit sub ditione Nestoris, quā bene munitam dixit Homerus lib. Iliad.2. Et in montibus sitam esse dicit Statius lib.4. Thebaid. cum inquit,

Quos Thryon in summis ingestum montibus Aepy. Meminit & huius Strabo lib.8.

Aetius, nomen authoris in medicina, cuius sedecim libri extāt, & quædam epistolæ. Dictus Aetius, id est aquilinus, ἀπὸ τοῦ ἀετοῦ. nā αἰετὸς, aquila dicitur, ab ἀΐσσω, id est, cum impetu irruo. Fuit ex Antiochia Syriæ discipulus Ennonii, tempore Cōstantini imperatoris, ἄθεος cognominatus, quoniā diceret nullum esse deum, a vt alii quidam antiqui philosophi.

A G

Agarus, fluuius, teste Ptolemæo lib.3.ca.5, in Sarmatia, quem Sagarim nominat Ouidius. Est item Agarum, ibidem, promōtorium in Sarmatia.

Agatha, Plinio lib.3.cap.4, oppidum prouinciæ Narbonensis, quondam Massiliensium. Est etiam virgo, teste Volaterrano lib.13, Cathanensis & martyr sub Gallo mamillis torta.

Agathyrsi, populi, teste Plinio libro 4.cap.12, cæruleo capillo insignes. Virgilius 4. AEneid.

Instaurátque choros: mistique altaria circùm
Cretésque, Dryopésque fremunt, pictique Agathyrsi.

Agyeus, est agnomen Apollinis: ab eo quòd in viis publicis colebatur. nam ἀγυιά, est via.

Agyllina, quæ nunc Cere dicitur, vrbs est Tusciæ, à nomine conditoris, quam Virgilius lib.8.AEneid. ex Lydia venisse ostendit, quum ait,

Haud procul hinc saxo colitur fundata vetusto
Vrbis Agyllinæ sedes: vbi Lydia quondam
Gens bello præclara, iugis insedit Hetruscis.

A L

Alanus, Scythiæ fluuius, à quo Alani, populi Plinio lib.4.ca. 12.dicti sūt, iuxta quos Roxolani. Ammianus scribit Alanos dici, quos prisci Massagetas dixerunt. Hi carnibus vescuntur, & panē non manducant. Martialis,

Nec te Sarmatico transit Alanus equo.

Albunea, fons & nemus iuxta Anienē, siue à colore aquæ sulphureæ, siue quòd Albunea Latinè sit, quæ Græce Λευκοθέα dicitur. Virg.7.AEneidos, -lucósque sub alta
Consulit Albunea, nemorum quæ maxima sacro
Fonte sonat.

Almon, oppidum in Thessalia, teste Plinio lib.4. cap.8.

Alphesibœus, pastor quidam, cuius meminit Virgilius in 5. Ecloga,

Cantabunt mihi Damœtas & Lyctius AEgon:
Saltantes Satyros imitabitur Alphesibœus.

Altellus, Romulus dictus est, quasi in terra altus à lupa: siue quòd telis aleretur, siue quòd rebus gestis excelsus ac gloriosus esset: seu quòd à Tatio Sabinorum rege in colloquium postulatus, alternis vicibus audierit ac loquutus fuerit. Nam sicut à macro macellus, à vafro vafellus: ita ab alterno Altellus fit, secundum aliquorum opinionem.

A M

Amastrum, siue Amastris, vrbs metropolis Paphlagoniæ, ait Strabo lib.7. De qua Valerius Flaccus lib.6. Nauticorum,
Peditem pedes haurit Amastrim.

Amathusa, quæ & Cyprus Ptolemæo lib.5.cap.14.dicta est.

Ambrones, gentes quædam Gallicæ, quæ subita inundatione maris, quum sedes suas amisissent, rapinis se alere cœperunt. Hos cū Cimbris Teutonicisque Marius deleuit. Hinc tractum est, vt turpis vitæ homines, Ambrones dicantur.

Ambrysus, teste Plinio lib.4.cap.3, vrbs est in AEtolia. Strabo lib.9, Abæ quoque non lōgè absunt ab his locis, oraculum,

neque Ambryſus, quæ idem quod Bœotia nomen tenet.

Ambubaiæ, teſte Acrone, mulieres tibicinæ Syrorum lingua dicuntur.Alii Latinum putant, & dictũ quòd am,id eſt circum Baias, locum amœniſſimum, & voluptatis plenum, verſentur. Horatius 1.Sermonum,Satyra 2,

Ambubaiarum collegia,pharmacopolæ,
Mendici,mimi,balatrones:hoc genus omne
Mœſtum ac ſollicitum eſt cantoris morte Tigelli.

Amorges,fuit ex Larii ducibus vnus, qui in Caria occiderũt. Herodotus lib.5,In eas inſidias Perſæ noctu incidentes, obtrun cati ſunt cũ ducibus ſuis Dauriſe & Amorge & Siſamace, necnon Myrſe Gygis filio.

Amphilytus, vir Acarnanus ac ariolus. Herodotus lib.1, Hic diuina pompa fungens Amphilytus Acarnan, vir ariolus, Piſiſtratum cui aſſiſtebat adiit,atque hæc hexametro carmine vaticinatus eſt,inquiens,

Eſt nummus proiectus,item ſunt retia tenta,
Nocte meant thynni claro ſub ſydere lunæ.

Amphiſtratus,Amphitus,Vide TELCHIVS.

Amymone, Danai regis filia fuit:quæ dum ſe in ſyluis iaculando exerceret,Satyrum percuſſit imprudens,qui impetu in eã facto,vim eivoluit inferre.Quapropter implorato Neptuni auxilio, id ab eo paſſa eſt, quod a Satyro formidarat. Itaque prægnans facta Naupliũ peperit.Hanc in ſmaragdo Alexander ſcul pi voluit.Vide Strabonem lib.8. Eſt & Amymone apud eundem, fons iuxta Lernam: Et apud Pliniũ lib.4.cap.5,in Achaia.

Amynæ fuerunt,teſte Macrobio lib.3.Saturnalium,loca,vbi poſtea Phalernum dictum fuit. Vnde Amynææ vites Virgilio 2. Georg. Sunt & Amynææ vites, firmiſſima vina.

A N

Anaetis,Anaetidis, nomen deæ cuiuſdam quæ à Lydis colebatur:quæ à Strabone lib.5,Anaitis dicitur. Erat & Anaitis,ſiue Anætia, quædam Armeniæ regio. Plin.li.5.ca.24, Euphrates fluit Derxenem primum, mox Anætiam, Armeniæ regiones à Cappadocia excludens.

Anaphe, inſula in mari enata, vt ſcribit Plinius libro 2.cap.87. Ammianus quoque ſic ſcribit, Emerſerunt Delos, & Hiera,& Anaphe,& Rhodus. Dicta Anaphe ab Argonautis, quia tempeſtate laborantibus & intermeſtri luna exinſperato cõparuiſſet.

Anaxylides, nomen philoſophi: de quo Hieronymus contra Iouinianum ſcribit, quòd in libro ſecũdo philoſophiæ ferat po

toriam matrem Platonis, fantasmate Apollinis oppressam: & sapiétiæ principé nõ aliter arbitretur, nisi de partu virginis editũ.

Anchiala, ciuitas Ciliciæ, de qua Strabo lib.14, Postea est Anchiala paulo supra mare sita, Sardanapali op᷒, vt Aristobulus ait.

Ancyra, nomen, teste Plinio lib.5.cap.vltimo, duarum vrbiũ: quarum altera est Phrygiæ, altera Galatiæ. Hinc synodus Ancyritana in iure pontificio sæpe nominatur. Dicta Ancyra, ab anchoris nauium captarum à Mithridate, quas Ptolemæus, AEgypti rex, suppetias Gallogræcis miserat. Ancyra, metropolis Ptolemæo lib.5.cap.4. Mediacus nunc dicitur, teste Volaterrano.

Andriclus, Ciliciæ mons, Straboni lib.14, qui ait, Vlterius est mons Andriclus, & aspera quædam præternauigatio, nomine Platanius. Est etiam Plinio lib.5.cap.27, fluminis nomen.

Angerona, vocitata est voluptatis dea, quæ & Volupia dicebatur, cui sacra à Romanis instituta sunt, quum angina ciuitas vexaretur: abangore tollendo sic dicta. Eius festa Angeronalia sunt vocitata. Putabant enim ab hac dea populum eo morbo, præmisso voto, fuisse liberatum. Huic pontifices in sacello Volupiæ sacrum faciebant.

Angrus, fluuius est ex Illyricis versus Boream fluens. Herodotus lib.4, Quin ex Illyricis in Aquilonẽ tendens Angrus, planitie Triballiam interfluens, Brongum intrat, Brongus iste Istrũ.

Ania, Romana mulier: quam quum propinquus moneret vt alteri viro nuberet (esse enim ei & ætatem integram, & faciem bonam) Nequaquam hoc faciam, inquit. Si enim virũ bonum inuenero, vt antè habui, nolo timere ne perdã: Si malum, quid necesse est post bonum, pessimum sustinere?

Aniger, seu Antiger, vel Anager, vel Anagrus, fluuius est Thessaliæ, in quo Centauri ab Hercule vulnerati lauerunt vulnera sua. Quamobrẽ quum primò habuisset aquas dulces, atque potabiles, habuit postea fœtidas atque turpes. Hæc Bocatius.

Anitius, ædilis curulis, teste Plinio lib.33.cap.1, dicente, Appii Cæci scriba promulgauerat, vt ædilis curulis crearetur cum Q. Anitio Prænestino, qui paucis antè annis hostis fuisset, præteritis C. Petilio & Domitio.

Antacus, fuit gigas in Libyavel Mauritania: qui cum Hercule singulari certamine cõgressus, quoties abHercule prostratus terrã tetigit, toties fortior surrexit. Nã terra mater eius, vires ei auxit. Quod notãs Hercules, illũ à terra cõtinuit, & sic tãdẽ occidit.

Antalcides, fuit nomen proprium viri Lacedæmonii, qui præ cæteris visus est honore præstitisse. Plutarchus in vita Pelopidæ.

Antandros, teste Strabone lib.13, Phrygiæ vrbs, ad Meridiem posita, quam habitauere Leleges, finitimi Cilicibus. De qua Plinius lib.5.cap.30, Rursus in litore Antandros, Edonis prius vocata, deinde Cimmeris & Assos, eadem Apollonia. Virg.3. AEneidos, -classemque sub ipsa
Antandro, & Phrygiæ molimur montibus Idæ. Dicta est autem Antandros, vt author est Seruius, vel quòd de Andro insula eam condiderũt coloni, quasi ἀντὶ ἄνδρου: vel quia Græci venientes per Thraciam, cepere Polydorum: pro cuius pretio hanc accepere ciuitatem, quæ ex facto nomen accepit.

Anthemion, vir Troianus, Simoesii pater. Author Homerus lib.Iliad.4. De Simoesio vide suo loco.

Anthylla, vrbs in AEgypto. De qua Herodotus lib.2, Harum vrbium Anthylla, quæ est insignis, datur peculiaris in calceamenta vxori semper eius qui in AEgypto regnat.

Antia, Leõtio teste, filia fuit Amphianassæ, & vxor Prœti Argiuorum regis, Abantis filii. Vide Bocatium lib.2.cap.31.

Anticeta, Straboni lib.11, fluuius Asiæ.

Antichthones, Plinio cap.22.lib.6, populi ad Taprobanem insulam habitãtes: in zona hyemali. Dicti ab ἀντὶ, quod est cõtra: & χθὼν, id est terra: quòd cõtraria parte aduersis vestigiis stẽt contra nostra vestigia. Alio nomine Antipodes appellãtur. Martianus tamẽ Antichthones separat ab Antœcis & Antipodibus. Subtilis enim & diuersa apud veteres inquisitio semper fuit, Sintne homines qui sub terra, sua vestigia nostris opposita habeãt, néc-ne. Quod ita esse ratione satis euidenti Macrobius 2. de Somnio Scipionis: & Plinius cap.65.lib.2. ostendere conantur. Sunt verò nonnulli qui credãt fabulosa esse omnia quæ de Antipodibus ab aliis sunt relata: quod Augustinus capite 9.lib.16. de ciuitate Dei: & Lactãtius cap.24.lib.3. Diuinarum institutionum ostendunt. His assentitur Lucretius lib.1,

Illi cum videant solem, nos sydera noctis
Cernere, & alternis nobiscum tempora cæli
Diuidere, & noctes pariles agitare diebus.
Sed vanus stolidis hæc omnia parturit error.

Alii altius intelligũt, vt inquit Seruius in 6. AEneid. qui sub terra esse inferos volũt secũdũ Chorographos & Geometras, qui dicunt terrã σφαιροειδῆ esse, quæ aqua & aere sustentatur. quod si ita est, ad Antipodes potest nauigatione perueniri: quia quantum ad nos spectat, inferi sunt, sicut nos illis. Hinc est quod terram esse inferos dicimus: quanquam illud sit, quia nouem cingitur circulis. Ti-

berianus etiam inducit epistolam vento allatam ab Antipodibus, quæ habet, SVPERI INFERIS SALVTEM. Sunt, vt etiam Strabo retulit lib.1, qui Oriẽtis extremi, & maximè ad Occasum inclinatæ regionis incolas, quales sunt Indi atque Hispani, Antipodas esse contendant. Ratione consimili Antipodas esse, qui tum extremam Meridiei, tum Septentrionis partem vltimam incolunt. De his & Cicero Academicarum quæstionum lib.4, Nónne etiã dicitis esse è regione nobis, è contraria parte terræ, qui aduersis vestigiis stent cõtra nostra vestigia, quos Antipodas vocatis? Declinatur autem Antipus, Antipodis, vel Antipodos.

Antigenides, authore Suida, Thebanus musicus tibicen, Philoxeni discipulus, qui primus calciamẽtis Milesiis lasciuioribus vsus fuisse dicitur. Huius meminit Plinius ca.36.lib.16. Hic etiã, vt author est Cicero in Bruto, discipulo frigenti ad populũ ait, Mihi cane & musis. De eo vide Gelliũ cap.17.lib.15.& Valerium lib.3.cap.7.de fiducia sui.

Antipodes, Vide ANTICHTHONES.

Antitaurus, mons Tauro oppositus. De quo Strabo lib.11, Taurus itaque Septentrionem versus in multos quasi ramos discinditur, quorum vnus est Antitaurus: sic enim ibi appellatur. Is Sophenam comprehendit in conualle quadam, quæ inter eum iacet, atque Taurum vltra Euphratem. Denique, vt idem lib.12.refert, in eo valles sunt profundæ & angustæ, in quibus sita sunt Comana ciuitas memoratu digna, & Bellonæ fanum, quod illi Comana vocant. Sunt qui Auritaurus legi debere contendant.

Antœci, populi, quos Martianus ab Antichthonibus separat, vt in ea dictione videbis.

M. Antonius orator, Triũuiri auus. Cic. in Bruto, Nũc ad Antoniũ Crassũmq; peruenimus. Nam ego sic existimo, hos oratores fuisse maximos, & in his primũ cũ Græcorũ gloria Latinè dicendi copiam æquatã. Omnia veniebant Antonio in mẽtem, eáque suo quæque loco vbi plurimum proficere & valere possent: vt ab imperatore equites, pedites, leuis armatura: sic ab illo in maxime opportunis orationis partibus collocabantur. Erat memoria summa, nulla meditationis suspicio, imparatus semper aggredi ad dicẽdum videbatur: sed ita erat paratus, vt iudices illo dicente nonnunquam viderẽtur non satis parati ad cauendum fuisse. Verba ipsa, nõ illa quidem elegãtissimo sermone: itaque diligẽter loquendi laude caruit, neque tamen est admodum inquinatè locutus. Interfectus est à Mariana factione, vnà cum pluribus aliis clarissimis ciuibus, quorũ capita in

roſtris pepēdere.Huius filii M.& C. Antonii fuere: quorum M. Antonius gratia Cottæ conſulis,& Cethegi factione in Senatu curationem rei frumētariæ & totius oræ maritimæ nactus, Siciliam & prouincias omnes depopulatus eſt. Et ad poſtremum inferens Cretenſibus bellū,ibi morbo interiit.Hunc, Salluſtius ait, perdundæ pecuniæ genitum, & vacuum à curis niſi inſtātibus.Author Pædianus. C.Antonius alter, oratoris filius, multos in Achaia ſpoliauerat, nactus de exercitu Syllano equitū turmas.Græci autem quòd multos ſpoliauerat,eduxerunt eum in ius ad M. Lucullum prætorē, qui ius inter peregrinos dicebat. Egit pro Græcis etiam tum adoleſcentulus:& cum Lucullus id, quod Græci poſtulabant,decreuiſſet,appellauit Tribunos,iurauítque ſe ideo iurare, quòd æquo iure vti non poſſet.Hunc Antonium Gellius & Lētulus cenſores ſexennio,quo hæc dicerentur,Senatu mouerunt,cauſáſque ſubſcripſerūt, quòd ſocios diripuit, quòd iudicium recuſauit, quòd propter æris alieni magnitudinem prædia mancipauit, bonáque ſua in poteſtate non habuit. Pædianus. Hūc item Cicero in Verrinis vocat in exercitu Syllano prædonem, in introitu gladiatorem, in victoria quadrigarium. Nam inter eos fuit, qui iuſſu Syllæ in Circenſibus,quos ipſe poſt victoriam fecit,quadrigas agitauerūt. Huius filius C. Antonius cum Cicerone cōſul fuit:eique maxime aduerſatus,vt qui Catilinæ cōiurationi faueret.Placatus ab eo demū,rectáque de Repub.ſentire perſuaſus eſt. Poſtremò poſt Cæſaris mortem in diſſenſione ciuili in Bruti poteſtatem cum in Græciam veniſſet, ab eodem traditus eſt M. Ciceronis filio, in patris vltionem in proſcriptione trucidari. M. Antonio oratoris filio, M. & L. filii fuere: quorum M. Antonius Triumuir, cauſa & fax totius belli ciuilis extitit, cum eſſet Tribunus clàm ex vrbe ad Cæſarem in Galliam profugiendo:eum quoque mortuum laudando, percuſſores publicè deteſtando: denique ſanguinolentam veſtem oſtendendo,ac teſtamētum eius quo populum Romanum viritim ille numerabat,recitando: effecit vt interfectores ob metum ab vrbe profugerent. Deinde Mutinam Bruti prouinciam inuadentem, hortante Cicerone Senatus hoſtem iudicauit: ſuperatúſq; ab Hircio & Pāſa coss. ac Cæſare puero,mox Triumuiratus fœdere inter eum & Lepidum ac Cæſarem inito, Brutū & Caſſium in Macedonia apud Philippos ſuperauit.Quo bello cōfecto Octauius valetudinis cauſa Romam rediit: Antonius in Græciam Aſiámque profectus, honore quaquauerſus ingenti eſt exceptus. Cum illi Oriēs,Au-

gusto Occidẽs, Lepido Italia obtigisset, multos per Oriẽtem reges & Tetrarchas debellauit. Inter quos Antigonũ, Iudæorum regem, securi percussit: quod antea regum nulli cõtigit. Captus amore Cleopatræ, multa ipsius gratia nefanda admisit, eíque regna multa concessit in Syria. Fuluiã vxorẽ statim inito Triumuiratu repudiauit, ac Octauiam Augusti sororem duxit: vtranque postremo ob Cleopatram contempsit. Ad bellum Parthicum, Ventidium legatum misit. Qui, interfecto Pacoro regis filio, ab Antonio missus Romam, triumphauit. Inde Cleopatra in AEgyptum remissa, per Armeniam Arabiámque profectus, copias vndique cõtraxit. Cum Phraate Medorum rege prælio congressus, ac victor eum vsque ad Araxem fluuium persecutus est. Dein in Armeniã reuersus, eius regem in triumphum Alexandriam duxit. Repudiata igitur Octauia, causa fuit inter eum & Octauiam dissensionis. Quo cum postremò ad Actium nauali prælio congrediens, superatus est, Alexandriámque confugiens, atque ibidem ab eodem obsessus, gladio sponte incubuit, anno ætatis L VI. Huius viri illud imprimis admirabile dicitur, quòd in otio luxuriosissimus, in negotio laboriosissimus fuit. Nec ob res male gestas quicquã de solita voluptate remisit. Hæc ex Plutarcho. L. Antonius Triũuiri frater, apud Perusiã ab Octauio fame obsessus, in deditionem cum c c c aliis venit: quibus, vt ait Liuius in Epitome, Octauius ipse pepercit: vt verò Trãquillus, omnes ad aram Cæsaris necare crudeliter iussit. Antonius Iulianus rhetor Romæ perquam fuit honesti atque humani ingenii: doctrina quoque ista vtiliore ac delectabili, veterúmque elegantiarum cura & memoria multa fuit. Ad hæc scripta omnia antiquiora tam curiosè spectabat, aut virtutes pẽsitabat, aut vitia rimabatur, vt iudicium ab eo factum examussim diceres.

Gellius Antonius Gnipho ingenuus in Gallia natus, sed expositus, & à nutritore suo manumissus, Romæ docuit Rhetoricã, & poemata in domo Iulii Cæsaris pueri adhuc. Cuius etiã scholam Cicero & clari viri frequentasse dicũtur. Fuit alioquin miti facilíque natura: nec vnquam aliquid de mercedibus pactus, eóque plura ex discentium liberalitate consecutus est. Vixit annos L. Ex Tranquillo.

Anxurus, siue Anxyrus, nomen est, quo Iupiter à Campanis vocitatus est, quasi ἄνευ τοῦ ξυροῦ, id est sine nouacula: quia barbã nunquam rasisset. Author Seruius in illud Virgilii AEneid. 7,

Circæúmque iugum: queis Iuppiter Anxurus aruis
Præsidet, & viridi gaudens Feronia luco.

A O

Aonides,dictæ sūt musæ à fōte Aone,in Aonia regione Bœotiæ illis consecrato.Vnde Iuuenalis,

-cupidus syluarum,aptúsque bibendi,

Fontibus Aonidum.

Aorsi,populi,teste Ptolemæo lib.6.cap.14,nō procul à Iaxarte fluuio,qui in Hyrcanum mare influit.Alios Plinius libro 4. cap.12,in Europa collocat Aorsos.Strabo lib.11,Aorsos dicit Tanaim fluuium accolere.

A P

Apesus, penultima correpta, montis nomen est qui Nemeæ superiacet,vbi Theseus Ioui primùm operatus creditur. Dictus ab heroe,cui Aphesas nomen erat. Papinius,

Mons erat audaci seductus in æthera dorso,

Nomine Lernæi dicunt Apesunta coloni,

Gentibus Argolicis olim sacer. Ab hoc mōte Apesuntius Iupiter dictus est.Plinio lib.4.cap.5,Absantus scribitur.

Aphedātes, populi in Molossis,inquit Stephanus, ab rege cui Aphedas nomen fuerit.

Aphrodite,nomen quo Venus vocitata est,ab ἀφρὸς,quod est spuma.Nam de spuma maris nata dicitur.

Apilas,Vide ASORVS.

Apina,Vide TRICA.

Apries, Psammis AEgypti regis filius, cui in regno successit. Hic,vt testatur Herodotus libro secundo,ab AEgyptiis,qui à se ad Amasim defecerant, strangulatus est, & sepultus in paternis monumentis.

A Q

Aquilo,penultima correpta,vētus dictus à vehemētissimo volatu,instar aquilæ. Hic Boreas Græcè dicitur, siccus & frigidus. De quo Ouidius lib.6.Metamor.Flat hic vētus ab æstiua & solstitiali plaga Orientis. Aquilones etiam dicūtur venti,qui octo fermè diebus exortū Caniculæ antecedūt,& perflant diebus quadraginta, quos vocāt Etesias & Prodromos, quasi præcursores.

A R

Aragus, fluuius, de quo Strabo lib.11, Sed præcipuè Aragum dicunt in partes multas diuisum, regionem Massagetarum alluere,aliis ostiis in aliud mare exeuntē, Boream versus,vno aut solo Hyrcanium sinum versus.

Areopagus,vicus erat Athenis,à templo Martis sic cognominatus: vbi primum iudicium capitis actū fuisse scripsit Plinius

cap.56.lib.7.Inde dicti sunt Areopagitæ, iudices seuerissimi, qui in templo Martis iudicabant, quod iudicium exquisitissimum habebatur.Nam quum Mars,qui Græcè dicitur ἄρης,homicidii insimularetur, iudicantibus duodecim diis,in eo pago sex sententiis absolutus est,vt Stephanus Byzantius docet,& multi alii Græci. Verum quid ageretur in Areopago, Iulius Pollux lib.8. scribit de magistratibus Atheniensium,& eorum locis.

Arginusæ, Straboni lib.13,tres sunt paruæ insulæ,continenti proximæ,Canis adiacentes inter Mitylenen & Methymnam.

Arpi,vrbs Apuliæ,à Diomede cōdita:quæ,vt annotat Seruius in 7.AEneid.primò Argi,pòst Argiripa,pòst Arpi dicta est. Vide ARGIRIPA.

Aryandes,AEgypti prætor fuit à Cambyse constitutus,qui aliquanto post tempore quum æmulari Darium vellet,ab eo est interfectus. Author Herodotus lib.4.

A S

Asorus,fluuius est,teste Liuio libro 6.Decad.4,alluens Heracleam ciuitatem,sitam in radicibus mōtis OEtæ. Hūc esse coniici potest,de quo Plinius cap.10.lib.4,In ora Heraclea, flumen Apilas.Hic à Bocatio Asassus,ab aliis Asurus vocatur.

Assos,ciuitas Troadis arte & natura munita. De qua est illud Stratonici dictum,Qui celeri passu Assum it,mortis periculum adit.In ea erat lapis qui scindebatur.Plinius cap.17.lib.36,In Asso Troadis sarcophagus lapis fissili vena scinditur. Ex Asso fuit Cleantes philosophus Stoicus, qui Zenoni successit. Altera fuit Assos Mysiæ,vt inquit Stephanus.Alia in Lycia,in sublimi loco. Alia in Epiro ignobilis.

Asterie,filia fuit Cei Titanis filii,vt Theodōtio placet.Hæc autem,vt ait Fulgentius post vitiatam Latonā à Ioue dilecta est,à quo in aquilam verso oppressa fuit: eíque ex eo concubitu Herculem peperit.Quæ tandem,vt quibusdam placet,aduersus Iouem sentiens, & eius fugiēs iras,deorum miseratione in coturnicem versa est, quæ Græcè vocatur ὄρτυξ:nomēnque dedit insulæ,in quam aufugerat,vbi à Ioue in lapidem mutata est, vndíque demersa,& ab eisdē huc illuc agitata,quæ tandem ob susceptam Latonam firmata est.Ex Bocatio.

Astiochia, mater fuit Tlepolemi, filii Herculis, quam rapuit ex Ephyre ciuitate Laconiæ.Bocatius.

Astomi,Indiæ sunt populi. De quibus Plinius cap.2.lib.7,Ad extremos fines Indiæ ab Oriente circa fontem Gāgis, Astomorum gentem sine ore, corpore toto hirtam vestiri frondium la-

nugine,halitu tantum viuentem,& odore quē naribus trahant. Nullum illis cibum,nullúmque potum: tantum radicum florúmque varios odores & syluestrium malorū, quæ secum portant longiore itinere, ne desit olfactus: grauiore paulo odore haud difficulter examinari. Hæc Plinius.

Astrea,Vide ASTREVS.

Asty, teste Diodoro Siculo, nomen quo olim Græciæ vrbes vocabantur.

A T

Atthis, Atthidis, Cranei filia, à qua regio Attica, vt quidam existimant,dicta est,cum prius Attica ab Acteone diceretur: siue ab Acteo rege, vt Fauorino & Licophroni placet. Siue ab ἀκτῆ, quod litus significat:cum ea regio,vt Strabo in principio libri noni scribit,magna ex parte litoralis sit.Qua voce etiam vtuntur Latini.Virg.5.AEneid.

At procul in sola secretæ Troadis Acta
Amissum Anchisem flebant. In hac sunt Athenæ & Marathon campus cum oppido eiusdem nominis. Atthis quoque à poetis quandoque Luscinia dicitur,quasi Attica. Martialis,
Sic vbi multisona feruet sacer Atthide lucus. In Attica etiam regione fuerunt Athenæ,ciuitas,philosophorū alumna, in qua primus omnium Cecrops regnauit.

Attilius,Vide REGVLVS.

A V

Auritaurus,Vide ANTITAVRVS.

Austraria, insula Oceani Septentrionalis, à barbaris sic appellata:à Romanis verò Glessaria,dum scilicet Germanicus Cæsar ibi res classibus gereret.Author Plinius cap.3.lib.37.

A X

Axantos, Plinio lib.4.cap.16, insula infra Hyberniam & Britanniam.

Axium,Ptolemæo cap.10.lib.3,ciuitas Mysiæ inferioris: vulgò Chilia.

Axon,Plinio lib.5.cap.37,fluuius est in Caria.

Axona,fluuius in extremis Rhemorum.Bocatius.

B A

BAETVLON, Ptolemæo lib.2.cap.6, Hispaniæ Tarraconensis fluuius: alio nomine Betholon, Beson vulgò. Eius irrigatione ager Barchinoensis lætissimus est.

Bactes, Bacchi nomen, quemadmodum & Babactes, ἀπὸ τοῦ βάζω, id est clamo,vocifero:ob bacchantium clamorem tumul

tuarium, & quia madidi vino huiusmodi voces emittere consueuerunt.

Basilidæ, Pōponio lib.2, sunt populi Scythiæ Europæ qui ab Hercule & Echidna originem sumpserunt.

Bassareus, nomen quo Bacchus vocatus est, à specie vestium, quibus ministræ eius vtebantur in sacris, & ab eisdem ministræ Bassarides nūcupatæ. Bocatius. Alii verò Bassareum, à βάζειν vocant, quod clamare significat.

Batrachus, sculptoris nomen, dicente Plinio lib.36.cap.5, Nec Sauron atque Batrachum obliterari conuenit, qui fecere templa Octauiæ porticibus inclusa, natione & ipsi Lacones.

Bathyllus, adolescens Samius, quem Anacreon poeta Teius ardenter amauit. Horatius in Epodis, Ode 14,

Non aliter Samio dicunt arsisse Bathyllo

Anacreonta Teiū. Hic pātomimus, hoc est ioculator & saltator fuit. Vnde Iuuenalis, Molli saltante Bathyllo. Alium præterea Theodontius enumerat, quem Phorci & marini monstri filium fuisse dicit.

B E

Belbina, Straboni lib.9, insula è regione Anaphlystiorum, apud quos Panos templum est, & aliud Veneris Coliadis.

Bembinadia, Plinio cap.6.lib.4, nomē quo regio Nemæa vocitata est. Hoc autem in loco contendit Hermolaus, Bembinadia non Bembina legendum. Cuius verba hæc sunt, Legendum est Bembinadia. Fuit enim vicus Bembina, vnde Nemæus leo à poetis Bembinites dictus. Sed & in Plautino milite, vbi dicitur, Bombamatides clutum instar, cogitent legentes an emendandum sit, Bēbinatidis beluæ instar, hoc est Nemæi leonis instar.

Bessyga, Stephano, emporium in India: vnde Bessygitæ, populi qui humanis carnibus vescūtur. Ibi est ānis Bessygas, vt idē tradit.

Bethys, Vide BAETIS.

Betica, siue Bethyca, Vide BAETICA.

B R

Brabasthenes, mons, quem Liuius lib.4. de bello Macedonico decem millibus passuum à Lacedæmonia propinquū dixit.

Briseis, Homero Iliad.1, Phrygia puella, forma nobilis, quæ capta ex Lyrnesso regia Minetis, Achilli in sortē cesserat. Verùm quia Chryseis filia Chrysæ sacerdotis Apollinis, quæ Agamemnoni contigerat, à patre repetita fuit, communi cōsilio restituta est, vt exercitus à pestilentia liberaretur, quam Apollinem intulisse putabant. Quare Agamēnon Briseida Achilli eripuit, quam

rem grauiter ferens, amplius pugnare noluit. Nec vnquam potuit precibus aut donis, aut minis induci vt pugnaret, donec Patroclum charissimum socium in armis suis ab Hectore occisum audiuit. Huius Horatius Carm.2. Ode 4. meminit,

-prius insolentem
Serua Briseis niueo colore
Mouit Achillem. Extat Briseidis epistola inter Ouidianas.

Brongus, fluuius, de quo in dictione ANGRVS.

B V

Bupalus & Anthermus, Anthermi Chii filii, Plinio cap.5. lib. 36. clarissimi sculptores fuere. Hi quia Hipponacti poetæ notabilis vultus fœditas erat, imaginem eius lasciuia iocorum proposuere ridentium circulis. Quod Hipponax indignatus, amaritudinem carminum distrinxit in tantum, vt credatur aliquibus ad laqueum eos compulisse. Vnde Horatius in Epod. Ode 6,

Qualis Lycambe spretus infido gener,
Aut acer hostis Bupalo. Et Hipponacteum præconiũ pro infami nota posuit Cicero Epist. lib.7, Eúmque addictum iam tum puto esse Calui Licinii Hipponacteo præconio.

Busæ, Herodoto libro 1, populi sunt Medorum, quos subegit Deioces.

B Y

Byblesia, vrbs Asiæ. De qua Herodotus lib.1, Nam cum initium Byblesiæ ex peninsula auspicetur, síntque Cnidii propemodum circunflui: eam partem, qua Boreã spectat, Ceraunius claudit sinus, australem verò Symanum Rhodiúmque mare.

Byrsa, Straboni lib.17, arx fuit in media vrbe Carthaginensium, in cuius vertice AEsculapii templum erat, quod Asdrubalis vxor capta vrbe secum concremauit. Huius autem nominis origo cum ex Seruio, tum ex aliis talis est, Appulsa ad Libyam Dido, quum ab Hiarba pelleretur, petiit callide vt emeret tantum terræ, quãtum posset bouino corio occupare. quod cũ permisisset, corium in tenuissima frusta sectũ tetẽdit, occupauítque stadia XXII. Itaque ostensis thesauris suis sociis, eísque animatis, ciuitatem construxit, quam postea vocauere Carthaginem. Arcem verò à bouino corio, quod sic vocitant, Byrsam nuncupauit. Quod & tangit Virgilius lib. AEneid.1,

Mercatíque solum, facti de nomine Byrsam,
Taurino quantum possent circundare tergo.

C A

CADVCIFER, nomen quo Mercurius vocitatus est. Cũ enim

Mercurius lyram in Cyllene monte Arcadiæ ſepticordem ad Atlantidum numerum inſtituiſſet, quòd Maia mater eius ex illarum numero eſſet: ac non multo poſt deprehenſus fuiſſet ab Apolline boues ſuas abigere, quo facilius veniam ab eo impetraret, Apollini traditur conceſſiſſe vt lyram à ſe primò inuentam prædicaret. Quamobrem Apollinem ferunt virgam quandam Mercurio dediſſe: quam cum manu tenens in Arcadiam proficiſceretur, inuentos ab eo fuiſſe dracones duos ſimul ligatos, & inter ſe mutuò pugnantes: quo viſo, virgam interpoſuiſſe, & dicto citius prælium diremiſſe. Eo facto, huiuſmodi virgam pacis gratia dixit eſſe conſtitutam. Vnde factum eſt vt legati pacis Caduceatores dicerentur. Eius virgæ poteſtatē deſcribit Virgilius AEneid. 4.

Tum virgam capit: hac animas ille euocat Orco
Pallenteis, alias ſub triſtia Tartara mittit:
Dat ſomnos, adimítque, & lumina morte reſignat.
Illa fretus agit ventos, & turbida tranat
Nubila.

Cadytis, Herodoto lib. 2, vrbs Syriæ maxima.

Cæretum, Vmbriæ oppidum inter Spoletum ac Nurſiam, à quo Cæretani appellantur, totum orbem vano quodā ac turpi ſuperſtitionis genere ludificantes: ob quam cauſam ferè continue peregrinantur, familia atque vxoribus domi relictis.

Cæyx, Vide HALCYON.

Calliſtratus, nomen ſtatuarii cuiuſdam, cuius meminit Plinius cap. 8. lib. 34.

Calon, ſtatuarius, cuius meminere Quintilianus cap. 10. lib. 12. & Plinius cap. 8. lib. 34.

Cana, Straboni lib. 13, promontorium quod contra Lectum cōſurgēs, Adramyttenum ſinum efficit, cuius pars eſt Elaiticus. Sunt & Canæ eidem, Locrorum oppidulū, ſitū in agro Canæo.

Candaules, quē Græci Myrſilū nominăt, Herodoto circa initiū lib. 1, Sardiū fuit tyrānus, ab Alcæo Herculis filio oriundus. Is vxorē adeò amabat, vt eā præ amore arbitraretur omniū fœminarum eſſe pulcherrimā. Hoc ita eſſe ſibi perſuadēs, apud Gygem Daſcyli filium ſibi acceptiſſimum, ſpeciē vxoris ſupra modum extollebat: tandémque nudam eam Gygi conſpiciendam propoſuit. Quare ab vxore & Gyge interemptus.

Carinæ, ſunt ædificia facta in modum carinarū, quæ erant intra templū Telluris. Author Seruius in illud Virgilii AEneid. 8, -paſſímque armenta videbant,

Romanóque foro,& lautis mugire Carinis.

Carpophorus,Domitiani Cæsaris amicissimus, cuius meminit Martialis in Amphitheatro ipsius Cæsaris.

Carrhæ, Plinio cap.7.lib.31,Arabiæ oppidum, vbi muros domósque massis salis faciunt,aqua ferruminantes.

Cassiterides,Vide CATTITERIDES.

Castianira,vxor Priami pulcherrima, quã ex AEsymo Thraciæ vrbe duxit vxorem. Author Homerus lib.Iliad.8.

Cattiterides,Ptolemæo cap.6.lib.2,decem sunt insulæ in occidentali Oceano. Cassiterides cæteri vocant à plumbi stannique copia,quod κασσιτερὸς dicitur.Plinius ca.22.li.5,Ex aduerso Celtiberiæ complures sunt insulæ,Cassiterides dictæ Græcis, à fertilitate plumbi . Herodotus lib.3, Ne Cassiteridas quidem noui insulas,hoc est stannarias,vnde ad nos venit stannum.

C E

Cerceis,Hesiodo,nympha,Oceani & Tethyos filia.

C H

Charãdæi,populi iuxta Põtũ.Author Orpheus in Argonautica.

Charites seu Gratias, quidam ex Venere & Ioue genitas scripserunt,alii ex Venere & Libero: Cicero ex Erebo & Nocte ortas existimat.Lactãtius in primum Thebaid. Iouis & Autonoes filias putat.Hesiodus Iouis & Eurymones Oceani filiæ,filias scribit.Tres sunt,Aglaia,quæ alio nomine Pasythea dicitur:Thalia, Euphrosyne. Tot autem ideo esse prodiderunt, quia & benefici esse in alios debemus , & aliorũ beneficia suscipere: & iis qui in nos fuerũt liberales,retribuere. Dare autẽ & accipere & referre, tres actus sunt inter se distincti.Alii ideo dicunt tres Gratias esse, quia acceptum beneficium cum fœnore reddi debet. Quapropter solebant veteres ita Gratias pingere,vt vna earum auersam faciem teneret,quasi à nobis profecta: duæ verò nos aspicerent, vt duplex nobis beneficium rependi debere ostenderent.Nudæ etiam pingebantur,quia beneficia fuco debent carere, & nullo velamine obtegi.Item cõnexæ,quia insolubiles esse Gratias decet: & beneficiũ,aliud semper beneficium parere,perpetuúmque esse amicitiæ fœdus.Qui Veneris & Liberi filias esse arbitrantur (è quibus est Seruius)hac mouentur ratione: quòd horũ præcipuè deorum muneribus, gratiæ concilientur. Tradũt etiam eas in Acidalio fonte,qui est Orchomeni,Bœotiæ vrbe,lauari,quoniam pura esse beneficia oportet:& nihil sordidum,nullã spem retributionis habere.De his Mantuanus,

-properate sorores

Gratiæ ab Orchomeno:tu primùm Aglaia decoro
Lætitiam præ te ore ferens,tecúmque Thalia
Cincta sacrum viridi strophio caput, Euphrosynéque
Læta genas,læta os roseum, vaga lumina læta.

Charopes,Homero lib.Iliad.11,vir Troianus,Hippasi filius,& Soci frater,quos ambos vno die Vlysses interemit. Est & nomen cuiusdam inter Epirotas primarii, qui Tito Quintio Flaminio consuli Romano contra Philippum bellum gerenti,fauit.Author Plutarchus in vitam eiusdem Flaminii.

Chidnæi,Orpheo teste in Argonautica,populi iuxta Pōtum.

Chilo,philosophus Lacedæmonius, vnus ex septem sapientibus Græciæ.Eius,Plinio teste lib.7.cap.32, tria dicta fuerūt Delphis in templo Apollinis cōsecrata:scilicet, Nosce teipsum.Nihil nimiū cupias.Comes æris alieni atque litis,est miseria.Quin & funus eius, quum, victore Olympiæ filio, gaudio expirasset, tota Græcia prosecuta est.

Chiron,Saturni & Phillyræ filius. Lactātius tamen dicit eum ex Pelopea conceptum.Dum enim, vt author est Seruius,cum amica Phillyra Saturnus coiret, Ops vxor eius aduenit, cuius præsentiam veritus,se in equū conuertit. exinde natus est Chiron, dimidia parte homo,dimidia equus. Qui cum excreuisset, in syluas abiit,eásque coluit.Huic autē à Thetide Achilles puer commendatus,quem ipse,simul & AEsculapium nutriuit & docuit.(Hic enim,vt author est Plinius cap.56.lib.7.herbarū vires atque medicamenta reperit.)Postremò quum eū visitasset Hercules, casu factum est, vt vna sagittarum eius Lernæo veneno perlita, super pedem eius caderet. Attamen quum à parentibus fuisset genitus immortalis, vt Ocyroes vaticinium impleretur, quo prædixerat eum optaturum esse mortalem, graui vexatus morbo mori cupiens, orauit superos vt illi mori concederent. Quo concesso,ab eisdem in cælum translatus est,& in Zodiaco locatus,& sagittarius appellatus.Ex Bocatio.

Chromius,vir Argiuus,cuius meminit Herodotus lib.1.

Chryseis,Vide BRISEIS in Prætermissis.

C I

Ciris,dicitur Scylla,Nisi regis filia, mutata in auem cirim,id est alaudam.Vide SCYLLA.

Citheron,mōs Libero sacer. De quo Seruius AEneid.10, Parnassus, mons est Thessaliæ iuxta Bœotiam, qui in duo finditur iuga,Citheronem Liberi,& Heliconem Apollinis & musarum. Hunc Lactantius lib.1.cap.22. Diuinarum institutionum, quia

ſuper ipſo frequenter Orpheus citharæ cantu perſonaret, Cithæronem appellatum ſcribit. Huius & meminit Ouidius lib. Metamorphoſ. 3,

-vbi electus facienda ad ſacra Citheron
Cantibus, & clara bacchantum voce ſonabat. Ibi enim ſanctè colebatur Bacchus. Quin & in illo Pentheus atque Orpheus dilaniati ſunt.

C L

Clœlia, virgo, obſes à Romanis Porſenæ Hetruſcorum regi data. Hæc, quum caſtra Hetruſcorũ fortè haud procul ripa Tyberis locata eſſet, fruſtrata cuſtodes, dux agminis virginũ inter tela hoſtium Tyberim tranauit, ſoſpiteſque omnes Romam ad propinquos reſtituit. Quod vbi regi nũtiatum eſt, primò incenſus ira, oratores Romam miſit ad Clœliam obſidem depoſcendam, alias haud magni facere. Si non dedatur obſes, pro rupto ſe fœdus habiturum. Si verò reddatur, intactā inuiolatámque ad ſuos remiſſurum. Itaque reddita, apud Hetruſcorum regem, non tuta ſolum, ſed honorata etiam virtus fuit, eámque partem obſidum quos vellet donare ſe dixit. Pace ſic redintegrata, Romani nouam in fœmina virtutem nouo genere honoris, ſtatua equeſtri donauere: in ſumma ſacra via fuit poſita virgo inſidens equo. Author Liuius lib. 2. Decadis primæ. Huius & meminit Valerius lib. 3. cap. 2, de fortitudine. Virgilius quoque circa finem libri octaui,

Et fluuium vinclis innatet Clœlia ruptis. Iuuenalis,
Quod miraretur cum Coclite Mutius, & quæ
Imperii fines Tyberinum virgo natauit.

Clotho, vna Parcarum, Vide in dictione PARCAE.

Clytius, iuuenis quidam a Cydone adamatus. Author Virgilius AEneid. 10,

Tu quoque flauentem prima lanugine malas
Dum ſequeris Clytiũ infœlix noua gaudia Cydon. Eſt & Homero lib. Iliad. 20, filius Laomedontis, & frater Priami.

C O

Cocles, vir Romanus, qui Porſenæ regi, vt docet Liuius libro 2. Decad. 1, per ſublicium pontem tranſire conanti, ſolus hoſtiũ impetum ſuſtinuit, donec à tergo pons à ſociis frãgeretur: quo fracto, ſecum armis præcipitauit in Tyberim. Et licet læſus in coxa fuerit, Tyberim tamen tranãdo ad ſuos peruenit. Vnde eſt illud ab eo dictum, quum ei in comitiis coxæ vitium obiiceretur, Per ſingulos gradus admoneor triumphi mei. Huius me-

minit Valerius lib.3.cap.2. Virgilius quoque AEneid.8,

Illum indignanti similem, similémque minanti
Aspiceres, pontem auderet quòd vellere Cocles.

De hoc diximus in dictione HORATIVS.

Cœos, Vide CEA.

Collina, porta Romæ, per quam ibatur ad collē Quirinalem. Eadem Salaria dicebatur.

Colosse, Straboni li.12, oppidum Phrygiæ prope Laodiceam: quod, teste Orosio, temporibus Neronis cum Laodicea & Hierapoli, terræ motu cecidit.

Coons, Homero lib. Iliad.11, primogenitus filiorum Antenoris, qui cum Iphidamantis fratris mortē ab Agamemnone illatam vindicare vellet, mediam Agamemnonis manum subter cubitum lancea transfixit: quam rem indignatus, eum confodit, moribundóque caput supra corpus fratris præcidit.

Coptus, Plinio cap.5.lib.37, oppidum Thebaidis, circa quod sunt colles & cautes, è quibus eruuntur smaragdi.

Corœbus, Vide CHOROEBVS.

Corone, Plinio cap.5.lib.4, oppidū Achaiæ, à quo Coronæus sinus. Strabo li.8. eam Coronam appellat, de qua sic refert, Corona, vrbs est mari vicina, & hanc nōnulli Pedasum à Poeta nominatam esse inquiunt.

Coronis, nympha ab Apolline adamata & compressa. Verùm coruus Apollini auis dedicatus, quum eam deprehendisset cum iuuene quodam AEmonio rem habentem, ad Apollinem detulit. Qua re Apollo iratus, eam sagittis interemit: factúque tādem pœnitens, quum illam ab inferis nequiret reuocare, secto eius vtero, conceptum ex se eduxit infantem, eúmque AEsculapium appellauit, & Chironi centauro tradidit educandū. Ex Bocatio.

Corybantes, Vide in dictione CVRETES.

Corydon, pastor, Theocrito & Virgilio memoratus.

C R

Crathis, Herodoto lib.1, Achæorum fluuius, à quo qui in Italia sic cognominatur, nomen accepit. De quo Ouidius libro Metamorph.15,

Crathis & hinc Sybaris vestris conterminus oris
Electro similes faciunt auróque capillos.

Hunc & lapidosum esse ait lib. Fastorum 3,

Est prope piscosos lapidosi Crathidis amnes
Paruus ager.

Hic, vt ait Strabo li.6, multis medetur morbis, hominésque in eo lotos cæsarie candidos & flauos efficit.

Cremera,fluuius Thusciæ: vbi Fabii cum Veientibus prælio congressi periere.Author Liuius lib.2.Decad.1.

Cressæa, Herodoto lib.7, regio Pallenæ vicina, ac Thermæo sinui contermina.

Creston,oppidum,de quo Herodotus lib.1, Qua lingua Pelasgi sunt vsi,affirmare non possum:sed cōiectura signorum, licet dicere eandem,qua nunc Pelasgi vtuntur,qui supra Tyrrhenos vrbem Crestonem incolūt, quodam tempore finitimi eorum qui nunc Dores vocantur. Est & nomen regis Bithyniæ,cuius meminit Iustinus lib.38.

Critheis,vt ex Ephoro refert Plutarchus in vita Homeri, filia fuit Atellis, quam post mortem Mæonis fratris tutelæ reliquit. Hic autem quum puellam vitiasset,grauidámque fecisset:atque ob id facti vereretur infamiam,Phemio eam Smyrnæo Grammaticæ præceptori in matrimonium dedit. Illa verò non multo post, quum ad lauacra, quæ prope Meletem fluuium erant, proficisceretur,Homerum iuxta fluuium peperit: ob idq; Melesigenes appellatus est,qui postea cæcus factus, Homeri nomē accepit.Cumæi nanque & Iones oculis captos,Homeros appellant,quòd homeris,id est itineris ducibus egeant.

C T

Ctesippus,Chabriæ filius,quem Phocion,mortuo Chabria amico,diligēter ac perhumanè collegit,quo impuros adolescentis mores componeret. eius tamen cum duro, tum minimè liberali ingenio nusquam adduci potuit vt curam & laborem in illo instituendo dimitteret: cuius ineptias non modo pertulit patienter, verumetiam studiose tegebat. Quanquam semel aiunt Phocionis constantiam importunitate leuissimi hominis superatam. Nam quum ille imperatorium quoddam munus studio accuratior obiret:Ctesippus vt erat futilis delirúsque,grauissimum peritúmque imperatorem cœpit fatuis quibusdam interrogatiunculis obtundere, atque illum monens docénsve importunius perurgere. Tum stomachatum Phocionem dixisse fama est,O Chabria Chabria,cumulatam tibi pro amore nostro gratiam nunc persoluo, qui nati tui deliramenta sustineo. Author Plutarchus in vitam Phocionis.

C Y

Cyaraxes, Phraortis regis Persarum & Medorum filius, cui successit in regno.Primus Asiæ populos in prouincias distinxit, primúsque in suum quosque ordinem distribuit, hastatos, sagittarios, equites, quum prius omnia promiscua essent atque

implicita. Hic & cum Lydis prælium fecit: quod quum fieret, dies nox effecta,& omnem trans Halym flumẽ Asiam sibi subiecit. Mortuus est XL.imperii sui anno. Eiúsque filius Astyages in eius locum suffectus est. Author Herodotus lib.I.

Cyminus,lacus Hetruriæ Cymino monti suppositus, vt Appianus ostendit.Huius nominis originem talem refert Seruius, Aliquando Hercules ad hos populos venit. Qui quum à singulis prouocaretur,ad ostendendam virtutem defixisse dicitur vectem ferreum quo exercebatur. qui quum terræ esset affixus,& à nullo potuisset auferri, eum rogatus sustulit. Vnde immensa vis aquæ cõsecuta est,quæ Cyminum lacum fecit. Author Seruius in illud Virgilii AEneid.7,

Hi Soractis habent arces,Flauiniáque arua,
Et Cymini cum monte lacum, lucósque Capenos.

Cynici, philosophi quidam dicebantur, quorum princeps erat Antisthenes, quorum gymnasium κυνόσαργες appellabatur, à quo scribit Laertius eos cognominatos. Alii verò ex nostris cognomen id à canibus,qui Græcè κύνες nomen id sortitos scribunt: quòd canum ritu inuerecundi essent, & liberè in hominum vitas inueherentur.Nam,vt refert Laertius in vita Diogenis Cynici,interrogatus Diogenes,quare canis diceretur:respõdit,Quia in eos qui dat,blandior:in eos qui non dant,oblatro: malos autem mordeo. Alii verò Cynicos ex eo dictos fuisse arbitrantur, quia eorum nonnulli velut canes absque verecundia exercere pudenda conati fuerint,vt Crates Thebanus cum vxore Hipparchia, & alii nonnulli. Hi, Diocle teste, philosophiam Naturalem & Rationalem tollebant,solíque morali innitebantur.Repudiabant Liberales artes, maximè Geometriam & Musicam. Placebat eis finem esse secundum virtutem viuere. Nobilitatem & diuitias abiiciebant. Quare sectam hanc vitæ consentaneam non esse plures putauerunt. De his vide Ciceronem in primo Officiorum libro.

Cytis,insula Arabiæ,vbi Toparius lapis inuenitur.Plinius capite 29.lib.6.

D A

DAVRISES,Herodoto libro 5,vnus ex Darii ducibus fortissimus,qui in insidiis à Cariis cæsus est.

D E

Dersæi,Herodoto lib.7,populi sunt Thraciæ,per quos Xerxes iter fecit.

D I

Dindyma, mons in Phrygia, vbi colebatur Cybele magna mater deûm, quæ ab eo dicitur Dindymena. Virgilius libro nono AEneid.

O veræ Phrygiæ (neque enim Phryges) ite per alta
Dindyma, vbi assuetis biforem dat tibia cantum:
Tympana vos, buxúsque vocat Berecyntia matris Idææ.

Diomeda, Homero Iliad. 9, Phorbantis filia, quam è Lesbo abduxerat: & quacũ post raptam Briseida dormire consueuerat.

Diospolis, Vide THERAE.

Dithyrambus, nomen quo Bacchus vocitatus est, quòd iterũ satus fuerit, & idem sonet. Author Lactantius.

D O

Dores, Herodoto lib. primo, populi sunt in Asia, quos Crœsus subegit.

Dorica, Vide DORIS.

Dorticum, Ptolemæo cap. 9. libri 3, Mysiæ superioris ciuitas, iuxta Danubium amnem.

Dorylæum, Ptolemæo cap. 2. li. 5, magna Phrygiæ ciuitas. Plinius cap. 29. lib. 5, Dorilaum vocat, iuxta quam oritur Hermus amnis.

D R

Drilon, Ptolemæo cap. 17. lib. 2, Dalmatiæ fluuius, qui à Scardo mõte profluit, iuxta mediũ superioris Mysiæ. vulgò Drino.

E L

ELYMAIS, Plinio cap. 35. lib. 6, regio Persidi vicina.

E N

Enyo, nomẽ quo Bellona dea belli, Martis soror, vocitata est. Martialis, Cum dubitaret adhuc belli ciuilis Enyo.

Eniochi, vel Heniochi, Ptolemæo cap. 9. lib. 5, populi Sarmatiæ iuxta Pontum non longè ab Achæis. Plinius capite 5. libri 6. à Telchio & Amphito, Castoris ac Pollucis aurigis Heniochorum gentem feram, ortam dicit. Strabo verò lib. 11, Tradunt (inquit) Laconas habitasse Heniochiam, quorum duces Rhecas & Amphistratus fuerunt, Castoris & Pollucis aurigæ, vnde ἡνίοχοι (vt par est) ex iis quidem sunt nominati. Ex lembis itaque classem comparantes, & interdum ad naues onerarias, interdum ad regionem vel vrbem aliquam nauigantes, mari dominabantur. Bosphorani eos nonnunquam in stationibus accipiunt; & commeatus & vendendæ prædæ copiam suppeditant. Hi quum domum repetunt, & vltrà nauigare non possunt, lembos humeris

impositos in sylvas referunt, in quibus habitantes tenue solum arant. Rursum quum nauigandi tempus adest, eos in mare deferunt. Idem faciunt in aliena. nam loca syluosa nota habent. vbi ascondits lembis, ipsi noctu, nonnunquam interdiu pedibus errant, capiendorū hominum gratia: quos quum ceperint, facile redemptitios faciunt.

E R

Erasistratus, medicus, cuius multis in locis meminit Plinius.

Ericates, nomen viri, Virgilio AEneid. 10, Cloniúmque, Lycaoniúmque Ericaten. Interpretari autem potest, ira confractus. Nam ἔρις, ira: κατάγω, infringo.

Erichtho, mulier Thessala, multis veneficiis famosa. De qua abundè Lucanus lib. 6. De hac & Ouidius in epistola Sapphus, Illuc mentis inops vt quàm furialis Erichtho Impulit.

Ero, puella Hellespontiaca: Vide LEANDER.

Erythia, Plinio cap. 22. lib. 4, insula in mari Gaditano, quàm sic cognominatam dicit, quoniam Tytii ab origine eorum orti ab Erythreo mari ferebantur. Tum subdit, In hac Geryones habitasse à quibusdam existimantur, quorum armenta Hercules abduxerit. Sunt qui aliam esse eam & contrà Lusitaniam arbitrentur, eodémq; nomine quodā ibi appellatam. Hæc Plinius.

Eryx, fuit Butæ filii Amyci Bebryciorum regis filius ex Venere, vt celebres Græcorum authores testantur. Seruius verò Neptuni filium dixit. Hic in Sicilia regnās, & corporis viribus præstans, legem dedit hospitibus vt cū eo cestibus decertarent: qui tandē Hercule redeunte ex Hispania victus occubuit, & in summo montis propinqui colle sepultus est. sub quo in honorem matris construxerat templum quod vocari iusserat Erycinæ: ex quo nomen monti Erycis datum est. De quo Ouidius lib. 2. de Arte amandi, Sed dea non patitur sic ad sua gaudia cogi
Colle sub vmbroso quem tenet altus Eryx.

E T

Ethruria, Vide HETRVRIA.

E V

Euæmon, Eurypili filius, qui cum Græcis ad Troiam profectus, cum XL nauibus præfuit Orchomeniis.

Eumelus, Admeti regis Thessaliæ filius ex Alcesti vxore. Huius meminit Bocatius lib. 5. cap. 43.

Eumenes, vir. Cuius vitam vide apud Plutarchum.

Euneus, Iasonis filius ex Hypsiphile filia Thoantis regis, teste Homero lib. 7. Iliad.

Euonymos, Plinio cap. 19. lib. 3, insula parua ex AEoliis.

Eupompus Macedo, Arithmeticæ & Geometriæ peritissimus, sine quibus negabat artẽ posse perfici. Est & Plinio lib.35.cap. 10, præclari pictoris nomẽ, qui docuit Pãphilũ Apellis præceptorẽ.

Euporus, seruus fuit C.Gracchi, qui dominum ex Auentino fugientem qua potuit ratione tutatus est, ac super occisum animã scissis proprio vulnere visceribus effudit, inquit Macrobius.

Eurus, ventus est ab Oriente spirans, teste Ouidio 1.Metam.
Eurus ad Auroram, Nabathæáque regna recessit,
Persidáque, & radiis iuga subdita matutinis.

Euryale, Minois regis filia, quæ Neptuno Orientem peperit. Alia fuit filia Prœti Argiuorum regis. Alia eiusdẽ nominis inter Gorgones numeratur, quæ tres fuerunt in extrema Africa circa Atlantem montem: quæ omnes vnum oculum habebant, quo inuicem vtebantur, Sthennio, Euryale, Medusa. Serenus tamen dicit puellas fuisse vnius pulchritudinis, quas cum vidissent adolescentes, stupore torpebant: vnde fingitur, quòd siquis eas vidisset, vertebatur in lapidem. Hæc Seruius enarrans illud Virgilii lib.AEneid.6,
Gorgones, Harpyiæque, & forma tricorporis vmbræ.

Euryalus, vnus fuit ex ducibus Peloponnesiacis, qui Argos & propinquas vrbes incolebant, & ad Troiam cum octoginta nauibus profecti sunt. quem dixit Homerus diuina pulchritudine fuisse lib.Iliad.2. Alium Troianum effinxit Virgilius lib.AEneid. 9. Fuit & histrionis nomen apud Iuuenalem.

Eurybates, vir Ithacus, quem Vlysses apud se perpetuum præconem habuit. Is & Talthybius missi sunt ab Agamemnone ad Achillis tentoria vt Briseidem raperent. De quibus Ouidius in Epistolis, Nam simul Eurybates me Talthybiúsque vocarũt. Meminit & huius Homerus lib.1.Iliad.

Eurybatus, latro fuit astutia singulari, quem deprehensum quum custodes vellent cogere vt ostenderet quibusnam modis cõsuesset domos cõscẽdere: ille aptatis spõgiis & stimulis ferreisq; retinaculis, irrepsit in parietẽ: & spectantibus illis, artificiíque nouitatem mirantibus, prehenso laqueari per tegulas effugit, eóq; modo periculũ euasit. Hinc Eurybatissare, id est, quum quis deprehensus sit arte quapiam elabatur. Meminit & huius Homerus lib.19.Odyss.

Eurybia, Nympha, quæ stellas & Luciferum genuit, teste Hesiodo in Theogonia.

Eurybiades, Herodoto lib.7, vnus ex ducibus Xerxis.

Eurycles, vates fuit, qui de se suísque incommodis aliquid

ſemper diuinabat. Hic per aſſiſtentem dæmonem vaticinabatur. Propterea Euryclidæ dicuntur omnes diuinaculi. Cælius cap.10.lib.5.

Euryclea, Homero lib. Odyſs.1, Opos Piſenoridis filia pulcherrima, quam Laertes in prima exiſtens pubertate viginti boum pretio emit, ac honore parẽ vxori domi habuit, Telemachúmque ei nutriendum dedit.

Eurycratidas, vir fuit Lacedæmonius, de quo nonnunquam Plutarchus meminit.

Eurydamas, vir Troianus, ſomniorum interpres, teſte Homero lib. Iliad.5.

Eurydame, Diactoris filia, & Menii ſoror, quam Leutychides Spartiatarũ rex duxit in vxorem. Author Herodotus lib.6.

Eurylochus, Phlegyorũ rex, qui, teſte Pherecide, ſtruxit Thebas antequam Cadmus adueniret, qui eas poſtea reædificauit.

Eurymedon, filius fuit Fauni, vt placet Statio in Thebaide,
Proximus Eurymedon cui paſtoralia Fauni
Arma patris, &c. Eſt & Eurymedon, Pamphiliæ fluuius, qui ex Tauri iugis ortus mediã Pamphiliam tranat, vt eſt apud Pomponium Melam lib.1.

Eurymone, nympha, filia Oceani & Tethyos filia.

Euryon, Amyntæ Macedonum regis filia, quæ patrem à matris inſidiis liberauit.

Eurypylus, Herculis filius, regnauit in Coo inſula, & omniũ Græcorum augur peritiſſimus eſt habitus, non tamen ſimilis Calchanti Troiano. hic cum aliis Græcorum ducibus ad Troiam profectus eſt. De quo Virgilius 2. AEneid.
Suſpenſi Eurypylum, ſcitatum oracula Phœbi
Mittimus, &c. Alter eiuſdem nominis fuit, qui cum quadraginta nauibus ſuæ gentis ad Troiam profectus eſt. Vtriuſque author Homerus.

Euſtathius, Epiphanæus, ſcripſit temporum epitomen ab AEnea Troiano vſque ad Anaſtaſium principem ſub quo fuit: Tomos etiam ſeptem, & alia quædam, vt Suidas ait. Euſtathius alius, genere Pãphilius, præſul Antiochenus aduerſus Arrianorũ dogma, multa cõpoſuit ſub Cõſtãtino principe: pulſus demum eſt in exiliũ Traianopolim Thraciæ ciuitatẽ, vbi & ſepultus eſt. Sũt quoq; ipſius volumina de anima, epiſtolǽq; cõplures. Hieronymus. Alius fuit præſul is qui in Homerũ & Dionyſiũ poetas cõmẽtarios edidit, patria Cõſtãtinopolitanus. Præter hos fuit Euſtathius martyr inter aulicos Traiani principis, Placidus antea

vocatus: cum in venatione ceruum sectaretur, conspecto inter eius cornua crucis simulachro, & voce feræ eiusdē audita, Cur me persequeris? domi vxori Theophytæ, & filiis rem manifestauit. factique ex hoc Christiani, ipse vnà cum vxore, sub Adriano æneo tauro necatus est. Cuius Romæ templum, festúmque colitur. Volaterranus lib. 15.

Eustephius, Aphrodiseus sophista, scripsit declamationes. Author Suidas.

Eustochius, Cappadox Sophista, scripsit ad Constantem principem de Cappadociæ aliarúmque gētium antiquitate. Volaterranus lib. 15.

Eustratius, nomen philosophi, qui in Ethicen Aristotelis commentarios edidit.

Euthydemus, authore Suida, Massiliensis philosophus, præceptor Apollonii Tyanei.

Euthymus pycta, in Locris Italiæ, qui Epizepyrii cognominātur ortus, Astycleo patre: vel (vt indigenis persuasū est) Cæcino amne genitus, qui Locros à Rheginis diuidit. Hūc semel à Thasio Theagene victum tradit Pausanias, non iusto quidem illum certamine, sed circunuentum dolo. vnde nec Theageni decretus honor: insuper damnatus vt mulctæ nomine talentum Euthymo repræsentaret. Demum Euthymus in Italiam reuersus post octauam & septuagesimam ferè Olympiadem, Temessam venit. De hoc & AElianus variæ historiæ li. 8, Euthymus (inquit) Locrus ex Italia, pyctes inclytus & robore insigni fuit, lapidem gestabat ingenti magnitudine, qui Locris ostenditur: & Temessæum heroa, quod cuique per vim abstulerat, reddere coegit, etiam cum fœnore: vt inde natum sit adagium iis qui sordidos & iniustos quæstus faciunt, affore Temessæum genium. Hic, inquit, Euthymus ad amnem Cæcinum, oculis hominum apparere desiit. Huius & meminit Plinius cap. 47. lib. 7.

Eutocus, authore Bocatio libro. 5, Apollinis & Cyrenes filius. Hunc, dicunt, descendentibus fratribus ex Africa, & in Græciam venientibus, Cyrenis remansisse, & iis imperasse, qui vnà secum ibidem mansere.

Eutyches, Constātinopolitanus abbas, tertius post Manetem & Apollinarem, aliū affirmabat esse CHRISTVM, aliud verbum Dei. Negabátque CHRISTI carnem nostræ similem: nec in patre duas in eodem supposito naturas esse. Sed de cælo corpus descendisse dictitabat, ac in virginis vtero tāquam solis radios penetrasse: vt visum sit sanè ex muliere generatum, quanuis verè

generatum non sit. Author Suidas.

Eutychides, Plinio cap.8.lib.34, statuarius, cẽtesima vicesima Olympiade floruit. Hic, vt idẽ author est, fecit Eurotam, in qua artem ipso amne liquidiorem plurimi dixere.

G A

GABALA, Syriæ vrbs, teste Ptolemæo lib.5.cap.15. Gebol Hebræis: hodie autem, Volaterrano teste, Gibel dicitur.

Gabienus, fortissimus classium Cæsaris à Sex. Põpeio captus, eiusdem iussu incisa ceruice iacuit in litore tota die. Deinde cũ aduesperasset, petiit vt Pompeius ad se veniret, testatus se ab inferis remissum, habere quod nuntiaret. Ex Plinio cap.52.lib.7.

Gabinus, presbyter ciuis Romanus, iussu Diocletiani imperatoris in carcerẽ coniectus est, ibíque fame extinctus, quòd Christianam profiteretur religionem. Frater fuit Caii pontificis: pater Susannæ virginis & martyris, quæ nuptias filii Diocletiani recusauit. Volaterranus.

Gadareus, Sophista, qui prius more mẽdicorum peregrinabatur, Maximiani beneficio consulatum adeptus est.

Gades, insula, Hispaniæ Bæticæ adiacens, authore Ptolemæo lib.2.cap.4. vulgò Caliz.

Gallica flauia, Ptolemæo libro 2.cap.6, Hispaniæ vrbs, vulgò Fraga.

Ganganorum, promontorium Hyberniæ, Ptolemæo libro 2. cap.3. vulgò Bangar.

Gannodurum, Heluetiorum ciuitas ad Rhenum, Ptolemæo authore lib.2.cap.9. vulgò hodie Constantia.

H E

HEXAGON, teste Plinio lib.28.cap.3, legatus Oblogenum (qui populi sunt in Cypro) à consulibus Romæ in dolium serpentiũ coniectus, experimenti causa, circummulcentibus linguis miraculum præbuit.

ERRATA SIC CORRIGITO.

Pagina	Linea	
3	Abdera,	Bæticæ.
5		Abrettini,
	Abrotonum,	meminerunt
6	lacu profluit, vsque ad finem lineæ, expunge.	
13	AEgæus,	Neptuni,
14	AEgalios,	AEgialos,
37	in Alcibiade	Anaxilaum & Lycurgũ à Lacedæmoniis
40	Anthenusa,	Anthemusa,
	ticyra	ad sinum
41	ris	Strongilæ
50	Archesilas,	Arcesilas,
52	Ardis,	Ardys,
53	virginis	Calistone
57	Aricia, puella &c. pone post Aricandos	
58	vnde	Aricinus lacus,
59	Erythræum	postremo Aristotelem, cui morienti conuiuium dixit, quòd Theophrastum ei in scholæ suc-
63	Artochines,	Artochmes,
70	Astrampsycus, &c. vsque ad finem, expunge.	
83	Bardasanes,	Bardesanes,
85	da sunt,	Hispanis
89	patefactus	Scholastica
	liter	Berenicen
99	Betulo,	Betullo,
100	Brasidas,	Brasiadas,
116	Cardamila,	Cardamyla,
118	Carpatos,	Carpathos,
138	Celena,	Cælena vel Celæna,
147	Charilius,	Charilaus,
160	Cleoymus	Cleonymus
181	mæa	Erythræam
183	vt	Tribunus
186	Ignifluisque	Lipare
	Nanque	Phaetontis
187	Cyme,	Cymen
193	Damasithynus,	Damasithymus,
196	Deioces,	Phraortæ
197	in virtute	virtute primus
199	tis viri,	cõiugioq; , &c. vsque ad finẽ, expunge.
200	Phyllide,	exceptus est, cõiugióque iunctus: deinde profectus est Athenas, affirmãs se breue reuersurum, quod quum non faceret, Phyllis impatientia amoris se la-

		queo suspendit, vt est apud Ouidium in Epistolis. Vide PHYLLIS.
205	Corinthiorum	M.& L. Antoninis
206	Dipœnus,	Dipœnus & Scyllis, in Creta insula geniti, etiamnum Medis imperantibus, priúsq; quàm Cyrus in Persis regnare inciperet, hoc est, Olympiade circiter L. primi omnium marmore sculpendo inclaruere: ii Sicyonem se contulere, quæ diu fuit officinarum omnium metallorum patria, vt ait Plinius lib. 36. cap. 4.
207	Draccus,	Dracus,
	mortem	Dracus Achaici motus primus author, ab Achæis dux creatus, ad Isthmon à L. Mumio COS. victus est.
208	his etiam	Siquidē (inquit) & in Gallia Druidæ sūt, è quibus ipse Diuitiacū Heduū hospitem tuum laudatorémque cognoui,
210	Edri,	Hiberniæ,
211	to,	Plinius his verbis lib. 37. cap. 2, Phaetōtis
	Electrion,	Electryon,
212	Elisa,	Elisa, nomē fuit Didonis. Dicta autē fuit Dido lingua Phœnicū, id est virago, quòd virile aliquid fecerit, quum se in ignem præcipitauit, vt
215	Epimethus,	Epimetheus,
217	Ericis,	Ericis portus
	Ericthæus,	Erichtheus,
	Sparserunt,	letum mœrenti
	sticis,	vt seipsam
231	At	pater est Nereus, quam cærula Doris
	XXX	millibus perfidia trucidatis, Viriatini
	Celtica	Aquitanica.
233	secum	è paradiso terrestri
	vt	Scythicis montibus
	solum	feracissimum est.
236	libus	Quintil. lib. 5. cap. 12, An verò statuarum artifices, pictorésq; clarissimi, quum corpora quam speciosissima fingendo pingendove effingere cuperent, nunquam tamen in hunc inciderunt
	operis	Doryphoron
	vel	bellicosorum,
	corpora	existimauerunt:

EXCVDEBAT ROBERTVS STEPHANVS HEBRAICARVM
ET LATINARVM LITERARVM TYPOGRAPHVS
REGIVS PARISIIS, ANN.M.D.XLI.
III. CAL. IVNII.





